ACTA

SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia : acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, ct alia huiusmodi: praesertim vero Causarum exj>ositiones ot resolutiones ex variis BE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studia redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant : in utilitatem eorum, qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

EDITIO STEREOTYPÁ

Volumen XV.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1898

JOHNSON REPRINT CORPORATION — **Ili Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003**

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD. — **Berkeley Square House, London, W. 1**

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DE CONSISTORIO HABITO DIE 3 IULII 1882

Sanctitas D. N. Leonis XIII publicum habuit hac mane Consistorium in Aedibus vaticanis ut galerum cardinalitiam; daret Emo ac Rmo D. Cardinali Karolo Martiali Allemand Lavigerie, creato atque publicato in Consistorio secreto diei 27 Martii huius anni. Dein eadem Sanctitas sua in Consistorio secreto sequentes proposuit Ecclesias:

T**itularem** E**cclesiam** P**atriarchalem** A**ntiochen**. Latini Ritus vacan, per obitum bo. me. Petri Villanova Castellaci, ultimi illius Patriarchae apud romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Placidi Ralli Presbyteri Romani. Qui inter alia munera, quibus functus est, pro Dei servis ad coelites honores provehendis advocatum agens, tum Congregationis studiorum, tum hucusque sacri Consilii legitimis Ritibus cognoscendis a secretis renuntiatus est. In Seminario Romano ac Pio Deputati, et Congregationis Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositae Consultoris munere perfunctus, inter Antistites domus Pontificis Maximi, et Protonotarios Apostolicos e numero Beneficiariorum adscitus est.

M**etropolitanam** E**cclesiam de** Q**uito** in ditione aequaioriana Americae meridionalis, vacan, per obitum bo. me. Josephi ignatii Checa et Barba, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Josephi Ignatii Ordóñez, iam Episcopi Bolivarensis, seu Riobambensis, ad praesentationem, vigore Indulti Apostolici, perillustris Viri reipublicae aequatorianae in America meridionali Praesidis.

T**itularem** E**cclesiam** A**rchiepiscopalem** N**icosien**. vacan, per promotionem ad Sedem Patriarchalem Ciliciae Armenorum R. P. D. Stephani Azarian, favore R. P. D. Eliae Bianchi, hactenus Episcopi Thanensis.

M**etropolitanam** E**cclesiam** L**eopolien**, Ritus Armeno-Caiholici vacan, per obitum bo. me, Gregorii Josephi Romaszkan, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam

defuncti, favore R. D. isaasi Isakowicz, Presbyteri archidioeceseos Leopoliensis, Armeni ritas, ad nominationem sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Josephi Primi, Austriae Imperatoris, Boemiae et Hungariae Regis Apostolici. R. D. Isaac Isakowicz ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus armeni ritus in oppido Lysiec archidioeceseos Leopoliensis progenitus .et quinquagesimnm octavum aetatis suae annum supergressus, plurimos per annos animarum curae intentus, Parochus in Suczava, et hactenus Stanislaopoli Decanus et Curio renuntiatus, atque Leopoliensis Capituli Canonicus ad honores electus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM FANEN. vacan, per dimissionem a R. P. D. Camillo Santori ultro libenterque in manibus Sanctitatis suae peractam, et ab eadem admissam, suspenso tamen dimissionis effectu ad possessionem usque ¿ui successoris, favore R. P. D. Camilli Buggeri, hactenus Episcopi Brictinoriensis.

CATHEDRALES ECCLESIAS TERGESTI.N. JUSTINOPOLITAN. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Georgii Dobrila, ultimi illarum Antistitis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Joannis Glavina, haclenus Episcopi Parentini ac Polensis, ad nominationem, vigore Indulti Apostolici , sacrae caesareae Maiestatis Francisci iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungime Regis apostolici.

CATHEDRALEM. ECCLES. MILITEN. vacan, per obitum bo. me. Philippi Mincione,ullimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Aloisii Carvelli, hactenus Episcopi Marsicen, et Polentin.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TRANsiLVANiEN. vacan, per obitum bo. me. Michaelis Fogarasy, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore P. D. Francisci Lönhart, hactenus Episcopi Gratianopolitani in Mauritania : ad nominationem sacrae caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici , uti Magni Principis Transilvaniae.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ARIMINEN. vacan, per translationem R. P. D. Francisci Baltaglini ad metropolitanam Sedem Bononiensem, favore R. D. Alexandri Chiaruzzi Presbyteri Caesenalensis, qui constitutus est in quinquagesimo primo aetatis suae anno. Idem in patrio seminario philosophiae rationalis ac physices Professor et Iudex clericis probandis adlectus, parochiam prius s. Martini assequutus, hucusque vero curio ad s. Ioannem Apostolum in s. Angustino renuntiatus est. Inter Pontificios Academicos ab Immaculata Conceptione, ac inter Protonotarios Apostolicos ad instar partecipantium cooptatus, deputatus ad pia opera, atque Caesenae, tum Cerviae, ubi et Examinator pro-synodalis, Canonicus ad honores effectus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BRICTI.NORIEN. vacan per translationem R. P. D. Camilli Ruggeri ad Sedem Fanensem, favore R. P. D. Ludovici Leonardi e dioecesi Gallien, et Pergulan. Qui Forosempronii semel, iterumque plures per annos Vicarium in spiritualibus Generalem , eaque Sede vacante, Capitularem agens Vicarium, apud Sublacensis Abbatiae administratores, indeque Tusculi vel hodierni Emi ac Rmi Sedis illius Praesulis usque ad an tenorem annum Vicarii, etiam in spiritualibus Generalis munere perfunctus est. Inter Sanctitatis Suae Domesticos Praelatos cooptatus, Forosempronien^ Capituli secunda Archtdiaconatus dignitate ad praesens usque honestatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM RAGUSIN. vacan, per obitum bo. me. ioannis Zaffron,ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Matthaei Vodopic Presbyteri Ragusini: ad nominationem, vigore indulti Apostolici, sacrae caesareae Miieslatis Francisci Iosephi Primi, Austriae imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici, uti Regni Dalmatiae etiam Regis Apostolici. R. I). Matthaeus Vodopic ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Rngusae progenies, in sexagesimo sexto aetatis suae anno constitutus est. Plurimis annis aliquot suae dioeceseos paroecias administrans, secretarius et consiliarius matrimonialis iudicii, et prosynodalis Examinator adlectus est. Inspector scholarum decanatus , deputatus ad disciplinam seminarii, penes consilium scholasticum districtuale delegatus ecclesiasticus, atque a consiliis tum congregationis Presbyterorum, tum instituti operis pii, et beneficentiae publicae effectus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BRUNEN, vacan, per obitum bo. me. Caroli Notlïg, ultimi illius Episcopi, extra romanam cnriani defuncti, favore R. D. Francisci Bauer, Presbyteri archidioeceseos Olomucensis, ad nominationem sacrae caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi, Austriae Imperatoris , Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. R. D. Franciscus Bauer ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Hracovecii prope Meziricium Volachorum in Moravia archidioeceseos Olomucensis progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus, penes universitatem Pragensem Novi Testamenti Professor hucusque constitutus et in theologica facultate decanus, atque tum iudicii ecclesiastici archidioecesani assessor, tum illius seminarii director renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LITOMOIUCEN. vacan, per obitum bo.me. Antonii Ludovici Frand, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Emmanuelis Schoebel, Presbyteri dioeceseos Regino-Gradicensis, ad nominationem sacrae caesareae Maiestatis Francisci Iosephi primi, Austriae Impera-

toris, Bohemiae et^Hungariae Régis Apostolici. R.D. Emmanuel Sehoebel ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago Radover, dioeceseos Regino-Gradicensis progenies et octavum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Professor religionis in Academia mercantili, et penes Pragae uuiversitatem studii biblici veteris Testamenti supplens effectus, consiliarius tribunalis ecclesiastici in causis matrimonialibus, atque hucusque sui Ordinis Generalis ac Magnus Magister renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SANGALLEN. vacan, per obitum bo. me. Joannis Baptistae Caroli Greith, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore, R. D. Augustini Egger, Presbyteri dioeceseos Sangallensis a RR. DD. Capitulo et Canonicis Sangallensibus unanimiter electi. R. D. Augustinus Egger in nono supra quadragesimum aetatis suae anno constitutus, Vicarius Caihedralis Ecclesiae, ac successive Canonicus residentialis, hucusque Decanus, et illa sede vacante Vicarius capitularis renunciatus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM HIPPEN, sub Patriarcha Hierosolymitano vacan, per obitum bo. me. Dominici De Angelis, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Antonini Mariae Saeli, Congregationis SSmi Redemptoris, Presbyteri dioeceseos Cephaludensis, qui etiam in coadiutorem cum futura successione deputatus fuit R. P. D. Carmeli Valenti, eiusdem Congregationis et Antistitis Mazariensis. Iste enim ob suam provectam aetatem, ac infirmam valetudinem, expressum ad hoc praebens consensum, alterius indiget ope ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia in illa civitate ac dioecesi salubriter ac fructuose in Domino obeunda.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM AREOPOLITAN. sub Archiepiscopo Petrensi, vacan, per translationem ad Cathedralem Sedem Abulensem R. P. D. Cyriaci Sancha Hervás, favore R. D. Francisci Giordani Presbyteri Albanensis dioeceseos. Qui deputatus fuit in suffraganeum ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia in sibi invicem perpetuo canonice unitis Ecclesiis Suburbicariis Ostiensi, ac Veliternensi, earumque dioecesibus obeunda. R. D. Franciscus Giordani ex legitimis, canonicis honestisque parentibus in oppido Lanuvii dioeceseos Albanensis progenitus, quinquagesimum aetatis suae annum supergressus est. In patria Collegiata Canonicus adlectus, et penes Basilicam Cathedralem Albani principe Archipresbyteratus dignitate cum adnexa animarum cura hucusque ditatus, ipso in seminario theologiae dogmaticae, sacrae scripturae, et ecclesiasticae historiae lector renunciatus, dioecesani convisilatoris, atque pro-synodalis examinatoris munere perfunctus est.

TITULAREM ECCL.EPISC.EUROPEN. sub Archiepiscopo Hierapolilano vacan, per obitum bo. me. Ioannis Nepomuceni Arnberg, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Pauli Pinna, Presbyteri Àlgarensis dioecesis. Qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Ioannis Mariae Filia, Antistitis Algarensis ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito illa in civitate et dioecesi salubriter in Domino obeunda.R.D.Paulus Pinna in sexagesimo nono aetatis suae anno constitutus, in sacra diidum theologia doctorali laurea insignitus, dioecesani seminarii praesidem agens, et penes Algarense Capitulum Archidiaconatus dignitate cohonestatus, inter Sanctitatis suae Capellanos honoris extra Urbem adscitus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM SEBASTOPOLITAN. sub Archiepiscopo Sebastensi vacan, per obitum bo. me. Josephi Mariae Chauveau, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Mariae Joannis Nepomuceni Rueda, Presbyteri archidioeceseos s. Fidei de Bogota. Qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Severi Garcia, Antistitis Tunquensis in ditione Statuum Foederatorum Columbiae in America Meridionali ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia, de eius consensu ac lubitu, Tunquensi in civitate ac dioecesi obeunda.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM DIOCAESÀRIEN. sub Archiepiscopo Caesareensi, vacan, perobitum bo. me. Georgei Feschker, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonini Gaff, Presbyteri Catanensis. Qui in quadragesimo nono aetatis suae anno constitutus, insignis illius Collegiatae ad s. Mariam de Eleemosyna canonicus adlectus, dioecesani seminarii Catanensis Rectorem, et in omnibus poene beneficientiae institutis moderatorem , et consiliarium agens, principe post pontificalem Prioratus dignitate, illo in metropolitano Capitulo ad praesens usque ditatus est.

METROPOLITANAM ECCLESIAM BoNONIEN. vacan, per dimissionem ab Emo ac Rmo Domino Lucido Maria, Titulo s. Xisti S. R. E. Presbytero Cardinali Parocchi, ultro libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam et ab eadem admissam, suspenso tamen dimissionis effectu ad possessionem usque sui Successoris, favore R. P. D. Francisci Battaglini, hactenus Ariminensis Episcopi.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM MAGIDAE in Asia minori sub Archiepiscopo Pergensi in Pamphilia, vacnn. per translationem R. P. D. Paschalis Buconjic ad Cathedralem Sedem Mandetriensem, favore R. D. Ioannis Francisci Bux et Loras Presbyteri archidioeceseos Caesaraugustanae. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Emi et Revmi Domini Ioannis Ignatii S. R. E. Pre-

sbyteri Cardinalis Moreno, Archiepiscopi Toletanì ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia, de eins consensu ac lubitu in illa civitate et archidioecesi obeunda. R. D. Ioannes Franciscus Bux et Loras in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia laurea doctorali, tum in sacris canonibus licentiae gradu dudum donatus, in pago *Cantavieja* archidioeceseos Caesaraugustanae Poenitentiarium beneficium concursu obtinens, Tot etani Capituli Canonicus doctoralis, eiusque seminarii centralis Rector hucusque renunciatus est.

Per Breve autem pontificium collatae fuerunt sequentes Ecclesiae :

A**rchiepiscopalis** E**cclesia** S**e-i.EUCiEN.** in Syria vacan, per obitum b o. me. Caesaris Roncetti, ultimi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti, collata fuit R. P. D. Camillo Santori, iam Antistiti Fanensi.

A**rchiepiscopalis** E**cclesia** Corinthien, in Achaia, vacan, per obitum bo. me. Iosephi Angelini ultimi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti, R. D. Caesari Sambucelti Presbytero Romano. Hic quadragesimum quartum aetatis suae annum supergressus, doctorali laurea donatus, penes Collegium Urbanum de Propaganda Fide philosophiae Professor adlectus, ac inter eiusdem Congregationis officiales âd> scitus, Apostolicae Hispaniarum Nuntiaturae auditoris munere perfunctus est. Sacrae Congregationi ecclesiasticis negotiis extraordinariis praepositae addictus, insignis Basilicae Collegiatae s. Mariae ad Martyres de Urbe Canonicus hucusque, San ditatis Suae ab intimis Cubicularii supranumerariis, atque novissime apud respublicas Aequatoris, Peru viae ac Boliviae Delegatus Aposto licus et extra ordinem Missus, re nunliatus est.

E**cclesia** M**etropolitana** F**riburgen**. R. D. Ioanni Baptistae Orbin. Decano et Vicario capitulari illius capituli et Archidioeceseos, et Doctori iu s. Theologia.

E**cclesia** E**piscopalis**, T**itularis** A**ureliopolitan**. R. D. Iosepho Colgan, Vicario apostolico Madraspalan.

E**cclesia** C**athedralis** S**olopiEN.** R. P. D. Edmondo Knight, translato e sede Corycen.

E**cclesia** C**athedralis** S**outhwarces**. R. D, Roberto Coffln, Provinciali Congregationis SSmi Redemptoris in Anglia.

E**cclesia e** P**ortsmouth**, in Cathedralem erecta a Sua Smctitate, R. P. D. iacobo Virtue,

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NULLITATIS NOMINATIONIS ET RESTITUTIONIS FRUCTUUM

Diebus 6 Augusti 1881 et 18 Martii 1882.

(1) COMPENDIUM FACTI. Cathedralis Tornacensis Capitulum, anno 1802 die YERO 10 Aprilis erectum est per decretum Cardinalis Caprara, ad hoc a Pontifice Pio VII delegati. Canonicatus in eo sunt numero____quorum praebendae in annuis libellis 2000 constitutae fuerunt, ex conventione habita anno volvente 1827 inter Leonem XII s. m. et Belgii Regem.

Paucis abhinc annis pensiones Gubernium decrevit illis solvendas, qui vel laboriosum parochi ministerium egerint, vel quadraginta annis inter canonicos commorati fuerint, vel canonici, sexaginta quinque aetatis annos expleverint, ea tamen lege, ut statim ac pensionem consequuntur canonicatum amittant, eorumque loco alius praebendam obtineat. Ita fiebat ut frequenter nullum in Capitulo locum haberent, qui longo annorum spatio parochi munus diligenter exercuisse nt, vel Capitulum desererent qui adhuc habiles erant ut

(1) Causae huiusmodi synopsim nostra hac in ephemeride inserentes a more deflectimus, dioecesis loci et personam n nomina tacendi. Siquidem plurimae facti circumstantiae inexplicabiles fere evaderent, nisi adversam mentía valetudinem ponas eius qui rei pars magna fuit, scilicet miseri Episcopi Dumont cuius sollemne destitntionis de- iTotu:u i ..i m obtulimus in *Vol. XIII- pag. 289,* -Quaestiones autem de permutatione deque reservationibus Apostolicis ad tramites Gregorianae Constitutionis nova omnino , praesertim in locis quae Concordato anni 1801 subiecta sunt, tam late hac in causa pertractatae fuerunt, nt etiam intra arctiores limites, latius quam in usu sit synopticus praesens restrictus excreverit.

choro adessent. His ut provideret, scilicet ut parochis pensionariis locus in Capitulo pateret, et Canonici qui pensionem consequerentur inter capitulares redirent, quatuor praebendas instituit defunctus Tornacensis Antistes Labis, quae ab eo nomen sumpserunt, et quarum reditus in annuis libellis 500 pro unaquaque praebenda praefinivit.

Hisce ex praebendis *Labis* nuncupatis, unam contulerat anno volvente 1876 die vero 23 Septembris *Ioanni Baptistae* reverendissimus Iosephus Dumont, qui Dioecesim regebat eo tempore, in remunerationem rerum optime ab ipso Ioanne gestarum pro Dioecesi ac pro Ecclesia universa. Novus praebendati inter titulares canonicos addictissimum suum habebat *Iosephum** qui cum 65 aetatis annos explevisset, pensioni consequendae par factus fuerat. Hi consilium iniverunt inter se suos invicem canonicatus permutandi ad normam iuris canonici, et praesertim Constitutionis Gregorii XIII s. m. quae incipit *« Humano vix iudicio »* scilicet eà lege, ut Iosephus suum canonicatum permutaret cum canonicatu *Labis,* quem Ioannes Baptista possidebat, ac pensionem a Gubernio peteret: Ioannes Baptista vero canonicatum Iosephi obtineret. Quo pacto non minus suipsius quam Ecclesiae utilitati ' consultum iri ostendebat. Siquidem dum Ioannes Baptista pensionem amitteret francorum 700 quam pro parochi munere 36 annis peracto ei gubernium assignaverat, praebendam possedisset francorum 2000, Iosephus vero, pensionem in eadem summa francorum 2000 obtinuisset, et insuper praebendam *Labis* francorum 500. - Sed hic, rerum suarum in pia opera prodigus, quidquid lucrifecisset, in Religionis utilitatem con vertisset: ille haud amplius labori indulgere ad vitam agendam adactus, totus se dedisset, ut in Ecclesiae Cathedralis et Dioecesis bonum rerum divinarum scientia ac iuris Ecclesiastici peritia nec non longae experientiae lumina, quibus praeditus erat, proficerent.

De his permutationis rationibus certiorem iam reddiderant anno ante Episcopum, cum, die 6 Maii 1878, uterque actum condidit ita conceptum, « Cum iuxta canonicas san-

> ctiones licitae sint iustis de causis beneficiorum permuta-
» tiones, hinc est quod propter rationes in litteris ad Alti-
> tudinem Vestram anno superiore explicatas, subscriptus
» orator praebendam canonicalem, quam in Ecclesia Cathe-
» drali Tornacensi obtinet, in manibus Vestris permutationis
» causa résignât: multum petens et confidens, quod Altitudo
» Vestra ipsi conferat praebendam, quam etiam permutationis
» causa hodie résignât Ioannes Baptista (vel Iosephus). »

Litterae huiusmodi in Episcopi manibus traditae sunt mane insequentis diei 7 Maii. Die 6 Iunii nullum responsum acceperant permutantes, qui solliciti facti sunt ut propositae resignationis actum per epistolam Ordinarii in mentem revocarent,, epistola vero die 7 Iunii tradita est.

Ast non ante diem 8 Iunii Vicarius generalis Tornacensis Episcopi, responsum dedit quod habet. « Episcopus noster
» grave fert quod propositam a Vobis permutationem appro-
> bare nequeat: vestrum sed propositum eius intentionibus
> haud cohaeret etc. »

Verumtamen cum suasum haberent permutantes post mensis utilis fluxum ad normam Gregorianae Constitutionis permutatorum invicem canonicatuum dispositionem s. Sedi reservatam evasisse, libellum conscripserunt Pontifici tradendum, in quo actae permutationis ratihabitionem postula bant: eumdemque documentis illustratum miserunt ad Nuntium Apostolicum penes Belgii Gubernium, ut omnia Romam transmitteret. Rei notitiam habuit Ordinarius, qui furore inflammatus illico permutantibus imposuit, ut libellum retractarent ; hi vero ut tanti furoris excessus vitaren t, impositae retractationi subscripserunt, qua quisque profitebatur agnovisse gravia damna quibus permutatio occasionem praeberet. Sed antequam retractationem subscriberet, die 24 Iunii, Ioannes Baptista, ne de eius animo dubitare liceret, epistola ad Nuntium Apostolicum conscripta, de impositi actus nullitate protestatus est ex capite *vis* falsae causae,* nec non *Reservationis Apostolicae.* Iosephus ad ea quae socius egerat accessit die 15 Iulii, declaravitque se Ioanni Baptistae commisisse, ut com-

mimi nomine de rebus circa actarn permutationem Romae definiendis ageret, seque omnia ratum habiturum spopondit.

A mense Iunii 1878 ad mensem ianuarii 1879 conticesces visa est Episcopi adversatio, spesque affluxerat eum ad meliora consilia rediturum. Sed mense Ianuarii ineunte iterum animum explicuit, velle se de canonicatu a Iosepho iam dimisso libere disponere favore cuiusdam *Caroli,* quem maxima benevolentia prosequebatur. Itaque instare cepit ac vim facere ut Iosephus novam beneficii sui resignationem emitteret: hic autem non ante actum novae resignationis se editurum fore .professus est, quam una ex praebendis *Labis* sibi concederetur. - Die 2 Februarii 1§79 Episcopus Dumont canonicatum quem Iosephus possidebat, conferebat Carolo: et illico ftomae s. Congregationi Concilii preces utriusque permutantium nomine oblatae sunt, quibus resignationem permutationis causa actam in manibus Episcopi die 7 Maii 1878 a Pontifice approbari postulabant, ob devolutam pleno iure ad s. Sedem resignatorum canonicatuum dispositionem.

Preces de more ad Episcopum missae fuerunt, die 10 Februarii 1879, *pro informatione et voto, ut audito Capitulo, referat super bono Oratorum iure.*

Tornaci, die 20 Februarii, Carolus in possessionem canonicatus immissus est; sed antequam caeremonia installationis locum haberet, actum scripto exaratum tradidit Decano Capituli Ioannes Çaptista, quo eadem adducta praecipua ratione, de installationis nullitate protestatus est. Caeremonia, possessionis peracta, res a Decano Canonicis omnibus simul congregatis nota facta e.st, et Vicario generali Episcopi tradita. Sequente die 21, litteras pro informatione et voto a S. C. conscriptas accepit Episcopus, qui kalendis Martii ipse Carolo indixit, ne causa pendente, Choro interesset.

Informationem remorari cepit in posterum Ordinarius : sed in capitulari coetu habito sub die 13 Augusti ut in subiecta materia votum suum panderet, Capitulum permutationi propitiam sententiam edidit.

Mense Novembris exeunte accidit, ut s. Sedes ope decreti

S. O. Ep. o+ Regul. ab omni exercitio iurisdictionis sive in spirituali **dus**, sive in temporalibus prohiberet Episcopum Dumont, et Dioecesi Tornacensi Administratorem Apostolicum praeponeret Praesidem Rmum Isidorum Iosephum Du Roussaux, Episcopum Eumeniensem, qui tandem post ademptum omnino eidem Dumont, per litteras Pontificias datas tertio idus Octobris anni 1880, iurisdictionem spiritualem et titulum Episcopi Tornacensis, eiusdem Dioecesis Titularis Episcopus renuntiatus est, die 12 Novembris anni eiusdem (1). Qui cum primum in Dioecesim venit, omnibus quae permutationem respiciebant intime cognitis, ad Pontificem Summum litteras conscripsit sub die 30 Decembris 1879, quibus permutantes, et praesertim Ioannem Baptistam s. Sedi commendabat, cui unice iudicium et permutatörum canonicatuum dispositionem reservatam esse profitebatur. Accepta huiusmodi epistola S. O. Congregatio rescribebat, *«recurrat ad Data-» r iam Apostolicam.»*

Ast Februarii mense ineunte, supplicem S. C. libellum porrexit Carolus, nominationem suam validam decerni postulans, sibique fructus plena ratione adscribi. Libellus novam informationem novumque Capituli votum provocavit de more a S. C. omniaque permutationi propitia, et Caroli nominationi adversa prolata sunt. Iamque causae propositio imminebat, cum volvente mense Ianuarii anni 1881, uterque permutantium supremum diem obiit. Protinus sed pro causae prosequutione instituerunt Capitulum et haeres Ioannis Baptistae. Quapropter quaestiones de nominationis nullitate deque fructuum perceptorum restitutione actae, sunt duobus ad rem dubiis concinnatis.

DISCEPTATI» GYIIOGTTIEA

Quae ioannis Baptistae haeres afferret. Cum in primo causae specimine Capitulum a deductionibus abstinuisset, causa funditus acta est a Ioannis Baptistae haerede,

(1 H IS **quoque Litteras habes in** ***Volumine XIII pag. 337,***

cuius advocatus in prima orationis parte, ut nominationem Caroli ad canonicatum a Iosepho possessum nullam intrinsecus evincerei, inter plura nullitatis capita, primum ac praecipuum ponebat « *canonicatus dispositionem s. Sedi devo-* ***ir*** *tutam extitisse.* »

Fundamentum propositionis ei suppeditahat memorata Constitutio Gregorii XIII « *humano vix iudicio* » edita die 5 Ianuarii 1584 in qua de resignationibus ac permutationibus sancitum legitur § 7 «De beneficiis autem quae deinceps in ma-
» nibus Ordinariorum Collaturum etiam Cardinalium, etiam
» indulta et facultates ad hoc ab Apostolica Sede habentium,
» ac Legatorum etiam de Latere, et Delegatorum etiam spe-
» cialium huiusmodi Sedis extra Romanam Curiam residen-
D) tium,' etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra
» mensem negotium universum remissionis vel reiectionis
» huiusmodi, et si per eos facienda erit, provisionis resignati
» beneficii iuxta Apostolicas et alias Canonicas sanctiones
» omnino absolvant. Et qui intra tres menses a die sibi fa-
» ctae provisionis illam publicet et possessionem beneficii ca-
» piat : alioquin, illis elapsis, nulla sit eius provisio, et be-
> neficium vacare censeatur eo ipso. »

« §. 8. Ordinatique et alii praedicti qui haec uti eis prae-
» scribuntur non perfecerint, eo casu disponendi de ipsis be-
» neficiis sint ea vice privati, eorumque dispositio eo ipso ad
» Sedem Apostolicam devoluta existat, ut aliis idoneis ab ipsa
» Sede dumtaxat, modo et forma predictis concedantur.»

Hisce Pontificiae Constitutionis praescriptionibus positis, asserebat, in casu punctim accidisse quod beneficiorum permutatorum dispositio s. Sedi reservata existeret, eo quod mensis utilis integer fluxisset, quin Rmus Dumont de proposita permutatione responsum ullum daret. Constare enim in facto primas resignationis et mutuae permutationis litteras traditas ei fuisse die 7 Maii : rem eius in mentem revocavisse permutantes die 7 Iunii, responsum autem non ante diem 8 Iunii exarasse Vicarium Generalem Episcopi. Ergo revera locum habuisse in casu reservationem favore s. Sedis, quae

quamlibet Epìscopo adimebat de iisdem beneficiis disponendi potestatem.

Adversarium in suo libello permutationis actum in discrimen ponere tentasse. Sed misso parumper quod temporis argumentum alia omnia absorberet in casu, constare e contra in eo actu omnia concurrere, quae ex iure pro permutatiombus admittendis requiruntur. Etenim, ad communem Auctorum sententiam, nihil aliud pro permutationibus requiri quam *iusta causa* et *legitimi Superioris auctoritas :* iustam vero causam indicari necessitatem vel utilitatem Ecclesiae, vel etiam solam utilitatem ipsorum beneficiatorum ; *Ferraris Biblioth. Can. Verbo* « resignatio jseu renuntiatio » *Num. 57* et praesertim *Num. 60* in quo traditum legitur - *Immo non solum titilitas Ecclesiae, sed etiam utilitas ipsorum beneficiatorum est sufficiens et iusta causa faciendi permutationem coram Ordinario* - Idipsum tenere *De Murga de benef. Quaest. 3 Art. 5* § *1 num. 948:* et *Gardas de benef. Eccl. Part. XI Cap. IV Num. 45* et seqq.

Iamvero in casu utriusque ex permutationibus utilitatem evidentissimam adfuisse in eo, quod Iosephus ultra pensionem consequutus esset praebendam *Labis,* quam Ioannes Baptista possidebat; hic autem loco pensionis francorum 700, canonicatum francorum 2000 suum fecisset quem Iosephus resignaban - Sed non minorem utilitatem assequi potuisse Ecclesiam, ex eo praesertim quod Ioannes Baptista haud amplius labori vacare adactus ad vitam ducendam, totus Dioecesis et Capituli bono incumbere quivisset. Cuius quidem utilitatis testimonium prae omnibus validissimum perhibuisse Emum Mechliniensem Archiepiscopum, qui litteris die 18 Iunii 1878 datis, eum Capitulo Cathedrali perutilem dicebat : ac ipsum Episcopum Dumont cum anno 1876 ei canonicatum *Labis* conferret grave ferebat nihil prae manibus habere eius meritis dignius.-Utilitatem Ecclesiae maximam futuram pro certo tenuisse etiam Capitulum, quam binis in informationibus asseruit atque argumentis probavit.

Permutationi ad normam iuris propositae, contraponi

epistolium Vicarii generalis, in quo haec una afferebatur respuendae permutationis ratio, - cum Episcopi intentionibus illam haud convenire - Atqui impossibile esse hanc unam rationem pro valida habere : siquidem non Ordinariorum intentionibus ac voluntati admittendae vel respuendae permutationis negotium commisisse Pontificem, sed eorum indicio ad iuris normam instituendo et scriptis exprimendo, ut constet quibus ex causis vel admissa fuerit vel reiecta permutatio ; ut in casu admissionis ad ulteriora procedi possit; in casu vero reiectionis appellationem interponere liceat.

Aliam quoque irregularitatem substantialem in eo deprehendi, quod epistolium responsionis, non ab Ordinario sed a Vicario eius generali conscriptum fuerit : docere enim *Gardas Loc. Cit.* Num. 74 - *Nec etiam Vicarius generalis Episcopi potest permutationes expedire, nisi ad id speciale mandatum habeat.* Eamdemque doctrinam sequi *Ferraris loc. cit. n. 67.*

Quoniam vero temporis argumentum maximum sese offerebat, illud labefactare conatum fuisse in suo libello Carolum quinque obiectiones proponendo - Primo itaque opposuisse, nihili faciendam esse in casu Gregorianam Constitutionem, eo quod ab usu recesserit. Sed obiectionem respui ex iuris principio quod habet *quaevis lex valere debet usquedum alia lex, quae eam abrogaverit, non promulgetur, vel per consuetudinem in contrarium ab usu recesserit.* Atqui in materia resignationum et permutationum eamdem semper viguisse legem quam dedit Summus Pontifex Gregorius XIII, quamque sapientissimus Pontifex Benedictus XIV in Constitutione « *Ecclesiastica ministeria* » undique confirmavit (1).

(1) **Duas edidit in subiecta materia Constitutiones Summus Pontifex Benedictus XIV ; alteram quae incipit *In sublimi* datam . . . . et alteram incipientem. *Ecclesiastica Ministeria* diei . . . Priore illa prohibentur resignationes beneficiorum factae cum reservatione pensidis: per secundam autem prohibitae iterum declarantur resignationes cum reservatione pensionis, et praecipue praecaventur fraudes adhibitae ad Constitutionis Gregorii XIII *Humano vix indicio* effectus vitandos : qua in postrema Constitutione notatu digna sunt quae sequuntur « Cum vero adhuc prae- » fati Sancti Pii Praedecessoris Leges**

immo nec per consuetudinem in contrarium unquam aboleri potuisse legem iura respicientem, quae sibi ipsi reservata voluit Pontifex, ac de quibus áb eo expresse sancitum est; ut *irritum et inane* (foret) *quidquid secus super liis per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Tandem factum actualis existentiae legis eiusdem testari una voce recentiores iuris canonici Auctores *Devoti Instit. Can. Lib. 1 Tit. 8 Sect- 3. Ferrante Elem. Iuris Can. Lib. Il tit. 16 § 9 in fine. De Angelis* in opere cui titulus *Praelectiones Iuris Can. lib. I tit. 9 num. 5. -*

Asseruisse secundo loco Carolum eam Constitutionem nunquam in Belgio receptam fuisse : sed obstare illi *Leurenium,* in *For. Benef, quaest. 398* tradentem: - *Gregorianam Constitutionem in viridi observantia esse, et hodie adeo usu receptam, ut non possit alligari eam in partibus non fuisse publicatam-Idem* tenere *Ferraris loc. cit. num. 111* auctoritati innixum *P arisii* et *Ventri glia* - Tandem clarissimum *Henricum F age* in universi i at e Lovaniensi sacrorum Canonum Institutorem Gregorii XIII et Benedicti XIV Constitutiones in resignationibus servandas esse publice docuisse : atque ita planum fieri, etiam apud Belgas eamdem ac Romae in subiecta materia legem servari.

Opposuisse Carolum tertio loco concordatum. Sed nihil inde erui posse. Cum enim in iure tenendum sit, pro his quae in concordatis expressa non sunt ad communis iuris normam esse procedendum : in facto autem constet, concordatum anni

•» et Ordinationes ad compescendas fraus y> des quae in huiusmodi rationibus ho- » milium malitia committebantur , non » satis produsse experiendo compertum » esset, placuit felicis recordationis Gre- » gorio Papae XIII, Praedecessori pariter » nostro, in sua Constitutione quae incipit » *-Humano vix iudicio* - data die 5 * Ianuarii 1584 decernere et constituere, » ut omnes quaecumque resignationes . . . -» Nos igitur huiusmodi fraudes et colln- siones in quibus cum animarum per- » nicie et recti ordinis subversione iu- » riunì quoque Apoätolicae Sedis detrimen- ti tum coniunctum esse animadvertimus, » et quarum aliquas iudicialibus contro- » versus non ita pridem locum dedisse, *n* eaque ratione detectas fuisse novimus, » de medio tollere atque in futurum prae- » cavere volentes, Motu proprio ac certa y> scientia et matura deliberatione No- » stris *memoratam Gregorii XIII Con- » stitictionem . . . . in omnibus et per » omnia approiamics et confirmamus.

acto, *Tom. XV. fase. CLXIX.*

1801 et pedissequas Dioecesium et Capitulorum restitutionem nullam de permutationibus mentionem contineri, standum esse iuri communi. Qui adversam sententiam excipere cupit de duobus unum eligere debere : scilicet, aut de resignatione s ac permutationibus nullo modo in Belgio unquam loqui licere, aut pro resignationibus et permutationibus accepto habendis vel reiiciendis nullam in promptu esse certam legem. Utramque vero hypothesim absurdam reperiri.

Confugisse quarto loco Carolum ad casuum difformitatem, ostendens: Pontificem voluisse tunc locum esse devolutioni ad s. Sedem, cum ..agitur de permutationibus approbandis: secus vero cum agitur de illis reiiciendis, prouti in casu. Sed perperam : nam expressum in Constitutione Gregoriana haberi *intra mensem negotium universum remissionis vel reiectionis resignationis huiusmodi... omnino absolvant.* Ergo etiam cum de reiectione agitur, negotium intra mensem *omnino* esse absolvendum : quo elapso, dispositio beneficiorum s. Sedi reservatur *eo ipso.* Adverbia autem *omnino* et *eo ipso* quamlibet excludere morae purgationem. Quae etiam ex. eo excluditur, quod ius in resignationibus ac permutationibus iudicium ferendi intra mensem, nonnisi per concessionem s. Sedis Episcopis competat. Voluisse namque s. Sedem huiusmodi iura sibi semper reservata manere. Quapropter perperam dictitari ex adverso *non videri hunc mensem tam stricte accipiendum.* Nam missis rationibus iam allatis, nullum inveniri ex Auctoribus qui de permutationibus egerunt, (quos inter afferebat *Giraldi in ius can. II Sect. 72,Leurenium loc. cit. Quaest. 398, et Ferraris loc. cit. n. 102)* qui ausus sit contrarium sustinere, vel epicheiam saltem pro morae purgatione concedere: sed omnes una voce docere, intra mensem negotium universum esse expediendum de resignationibus ac permutationibus accepto habendis vel reiiciendis.

Adduxisse tandem opponentem permutationis vitium in eo positum, quod beneficium verum cum beneficio non stricte tali permutari contigisset. Sed in facto contrarium deprehendi. Nam canonicatus *Labis* vera beneficia, eosque omnes

qui unum canonicatum huiusmodi obtinuerunt, veros canonicos fieri. Iamvero ex *Card. De Luca* de *Benef. disc. 40 num. 5 et seqq.* haberi, tunc esse vetitas permutationes, cum beneficium verum et pingue cum beneficio aereo et in rerum natura non existente permutatur (1). Eamdem sententiam sequi *Ferrariè Loc. cit. n. 80.* Casum quo beneficiorum disparitas permutationem inficit tunc dari, cum alteruter permutantium laesionem patitur: verum id a specie longe abesse.

Postremam deduxisse, Carolum non minus futilem obiectionem ex renuntiatione permutantium scripto exarata illi. primo libello, quem die 8 Iunii ad Nuntium Apostolicum miserant. Praeterquamquod enim renuntiatio illa vi imposita fuit, ad eam nihili faciendam succurrere invictissimum argumentum, quod cum res esset de iuribus s. Sedi reservatis, quaelibet partium renuntiatio impos erat ad eadem iura quomodolibet labefactanda.

In secundo capite primae partis allegationis, contendebat advocatus *sex aliis de causis nominationem collationemque canonicatus favore Caroli nullitate infectam evinci.*

Et *primo* quia nominatio favore Caroli novam Iosephi resignationem antecessit. Dato enim etiam sed non concesso quod Iosephus canonicatum suum possideret eo tempore, ne-

ci) **Citatus *Cardinalis De Luca* locus ita se habet » Quamvis autem vel » in sensu naturali vel etiam legali, » materiis indifferentibus metiendis cum » regulis generalibus , afí'ectata praeor- » dinatio ita obtinendi pinguius benefi- CI cium patrui senis vel infirmi , cuius » vacatio probabiliter erat imminens , » videretur clara ac inexcusabilis, tamen » in regulis beneficialibus respondi, non » per hoc praetendi posse actus invali- » ditatem. Siquidem, quoad dictam Con. » stitutionem Pii V , quoties agitur de » permutatione , illa percutit casum in « quo permutatio fiat de beneficio vero " .T jiingui cum beneficio aereo et in re- » rum natura non existente , quod per » Beneficialistas dici solet *Beneficium » de pertica)* ut declaravit Rota *coram » Merlino, decis. 329.* » Decisio autem istaec, cui Cardinalis De Luca accedit, ita concepta est: « §. 8. - ibi - Neque » etiam obstare dicebatur quod dicta » Capellanía sit nullius, vel modici va- » loris, et dicatur beneficium de pertica, » ideoque permutatio non valuerit at- » tenta Constitutione Pii V. Quoniam » ad hunc effectum necesse esset quod » beneficium sit fictum et aereum, nullos » fructus habens, quod de iure non pras- » sumitur.**

quivisse Episcopum de resignando adhuc beneficio disponere. Quod cum egisset, in nullitatem incidit. Factum in dubium revocari nequire, cum ille ipse qui exemplar resignationis a Iosepho subscribendum conscripsit, testetur: id egisse non ante diem 6 Februarii anni 1879, dum nominatio sub die 2 edita est.

Secundo ob litis pendentiam, quae nisi nominationem affecisset, certe possessionem canonicatus Carolo datam die 20 Februarii affecit : nam in protestationes actu ante installationis caeremoniam, Ioannes Baptista libellum S. C. Concilii oblatum denunciavit.

Tertio ob metum iniuste incussum, atque dolum. Certum namque esse in Iosephum senem atque debilem magnam vim exercuisse timorem furoris Episcopi, de quo loquebantur continuo qui nomine Antistitis Rmi Dumont ab eo resignationem postulabant. Et quoniam Iosephus resistebat, bis ac tertio institisse mediatores. Neque in eorum vota consensisse Iosephum, nisi cum eidem falso affirmatum est, s. Sedis iura in tuto posita fuisse.

Quarto ob resignationem in *favorem.* Certum namque haberi in facto illi Iosephi resignationi, cui nomen apposuit die 6ª vel 7ª Februarii, praecessisse Caroli nominationem quae sub die 2ª data est. Ergo Iosephum, licet non aperte, tamen facto resignasse beneficium in favorem Caroli qui erat de familiaribus Episcopi, contra praescriptionem Bullae s. Pii V diei 1 Aprilis 1568 quae incipit « *Quanta Ecclesiae* » (1)

(1) Praescribit Summus Pontifex Pius V in Constitutione *Quanta JEcclesiae* diei 1 Aprilis 1658 §§. 4 et 5 *u.* Ca- *y>* veant autem Episcopi et alii praedicti, » itemque omnes Electores Praesentato- » res et Patroni tam Ecclesiastici quam *r>* Laici, quicumque sint, ne verbo qui- » dem aut nutu vel signo huiusmodi be- » neficiis et officiis successores ab ipsis » resignantibus, aut aliis eorum signi- •» ficatione vel hortatu designentur, aut •» de his assumendis, promissio inter eos, » vel etiam intentio qualiscumque inter- » cedat. Ceterum praecipimus atque in- » terdicimus , ne ipsi Episcopi aut alii *n* Collatores, de Beneficiis et Officiis re- » signandis praedictis, aut suis, aut ad- » mittentium affinibus vel familiaribus, » etiam per fallacem circuitum multipli- » catarum in extraneos collationum au- » deant provideri : quod si secus , aut » etiam si quid praeter, vel contra for- » mam praedictorum a quocumque fuerit » temere attentatum, id totum, ex nunc •» vires et effectus decernimus non ha- » bere. »

a Gregorio XIII et Benedicto XIV confirmatae, quaeque huiusmodi resignationes in Ordinarii manibus factas insanabili nullitate infectas declarat.

Quinto ob simoniacum pactum, cum constet detrectasse Iosephum resignationis actum subscribere, nisi prius certus fuisset de sibi collata ab Episcopo praebenda *Labis,* cuius quidem praebendae promissio verum actus pretium constituit. Iamvero in hoc agendi modo patulam haberi symoniam iuris Ecclesiastici *Ferraris loc. cit. Num. 46 Card. De Luca benef. disc. 36 num. 6 (i).*

Sexto ob omissam intra tres menses publicationem resignationis, quae omissio cadit sub aperta sanctione eiusdem Gregorianae Constitutionis quae habet « *Et qui sic provisus fuerit intra tres menses a die sibi factae provisionis illam publicet, et possessionem beneficii capiat modo et forma supradictis : alioquin, illis elapsis, nulla sit eius provisio, et beneficium vacare censeatur eo ipso.* » Huiusmodi sanctionem confirmasse Benedictum XIV in Bulla « *Ecclesiastica Ministeria.* »

Ergo ceteris etiam nullitatis argumentis posthabitis, vel consideretur permutationis negotium *mira mensem* non absolutum, vel defectus publicationis novae resignationis *intra tres* menses, eamdem semper conclusionem redire; quod nempe ad tramites Gregorianae Constitutionis nulla fuit in favorem Caroli canonicatus nominatio.

In secunda alligationis parte de fructuum restitutione disputatione instituta, tres pertractabit quaestiones ex dubii formula haustas - scilicet *an, a quo tempore, cicius favore* fructuum restitutioni locus esset.. -

Quoad primum quaesitum, illud prae oculis habendum esse monebat in facto, quod eadem ipsa die 20 Februarii 1879

(1) Verba Cardinalis De Luca haec gnnt. « Et tertio deducebatur gratiae » nullitas ob simoniacas conventiones » initas inter resignantem et resignata- » rium tam super expensis resignationes » a solo resignatario faciendis , quam « etiam super cédula bancaria, quin imo » super deposito actualiter facto pro solu- » tione pensionis, quae pacta esse simo- » niaca advertunt Lotterus aliique etc. »

qua in possessionem canonicatus immissus est Carolus, Ioannes Baptista, ob iura s. Sedi reservata, nec non ob litis pendentiam, installationem illam nullitate infectam proclamavit : quodque cum insequenti die Episcopo traditae fuissent S. C. litterae *pro m formatione et voto,* ipsemet Episcopus die I[a] Martii Carolum monuit, ut a choro abstineret. Rebus ita se habentibus, nullo prorsus iure Carolum fructus canonicatus a die I[a] Martii suos facere potuisse. Ergo iniuria prorsus bonam fidem attulisse Carolum : cum planum sit: nullam in eo bonam fidem admitti posse pro fructibus percipiendis, qui cum monitus fuisset ne chorum adiret ob litis pendentiam, iam hoc ipso amplius in bona fide esse nequiverat.

Nec illi opitulari quod officiis interfuerit. Id enim permisisse Capitulum perbrevi temporis spatio, ut Episcopo id quaerenti morem gereret. Ast continuam etiam in choro praesentiam nihil ei opitulari potuisse, qui probe sciebat suae nominationis validitatem in discrimen poni.

Secundum quaesitum perbrevi absolvebat responsione quae est: fructus restituendos esse a die I[a] Martii 1879 : ex ea enim die officialem ab Ordinario motae litis notitiam habuisse, qua ex die etiam fructus percipere cepit. Ad omnes igitur traditos sibi fructus reddendos eum teneri. Quam quidem obligationem contraxisse ipsum ex formula iuramenti captae possessionis, in qua cautum legitur « ac eidem Ecclesiae ad man-
» datum Vestrum restituere absque reclamatione quidquid de
» dicta praebenda mihi assignata recepero, si contingat ipsam
» praebendam a me evinci vel eam ad me minime pertinere :
» et illo casu ex nunc volo haberi pro non recepto. >

Tertio quaesito respondebat: fructus iam perceptos, saltem ex aequitate, restituendos esse haeredi Ioannis Baptistae, qui canonicatum a Iosepho résignât um die 6 Maii 1878, et fructus ex ea die consequutus fuisset, nisi inconsulta ac serotina Episcopi responsio permutationi praeiudicium attulisset. Neque silentio esse praetereundum; quod cum super commendantiis Administratoris Apostolici litteris datis die 30

Decembris 1879 mense Ianuarii 1880, rescriptum ortum esset favore Ioannis Baptistae, *recurrat ad Datar iam Apostolicam,* procul dubio hic canonicatum obtinuisset nisi inconsultam instantiam protulisset Carolus, quae causae discussionem inevitabilem reddidit.

Quae Caroli patrocinium proferret - Adducens eius patronus serotinam documentorum traditionem, quae impossibilem ei reddidit defensionis ac Summarii confectionem, dilationem saltem mensis unius postulabat.

Itaque Emis Patribus proposita sunt enodanda

Dubia.

I. *An constet de validitate nominationis et collationis -canonicatus favore Caroli in casu.* Et quatenus *negative*

II. *An, a quo tempore, et cuius favore sit locus restitutioni fructuum in casu.*

Resolutio. Eminentissimi Patres in plenariis comitiis diei 6 Augusti 1881 responsa dederunt:

Ad L[1] *negative.*

Ad 1l[um] *Quoad restitutionem fructuum affirmative a die adeptae possessionis, in reliquis dilata.*

Causae Prosequutio

Propter novae audientiae petitionem a Carolo oblatam inter praescriptum tempus, eiusdemque concessionem, novae causae propositioni locus factus est, in qua rem funditus Caroli patronus pertractavit.

Caroli defensoris deductiones. Antequam ad causae meritum gradum faceret defensor, duas proponebat praeiudiciales ouaestiones, quibus ostendere contendebat de validitate nominationis Caroli nullum institui posse iudicium. Primam eruebat ex iuris axiomate « *spoliatus ante omnia restituendas est* » Narrabat enim, post nominationem diei 2 Februarii 1879, Carolum die 20 in possessionem canonicatus immissum fuisse a Capitulo, eumque tamquam canonicum se gessisse us-

que ad mensem Novembris anni eiusdem. Id adeo verum esse, ut ipsum Capitulum distributiones inter praesentes ei persolvent. Verum die 30 Novembris dum Carolus Sacrarium petiisset canonicalia insignia sumpturus, ei indictum fuisse ne choro amplius adesse tentaret, secus eo praesente, caeteri canonici choralia servitia deseruissent. Frustra protestatimi fuisse Carolum : nam Capitulum eo usque devenisse ut Gubernium moneret, ne ulterius absenti canonico reditus beneficii persolveret. Ita spolium patratum esse, quo existente,- de causae merito disputare haud licet, nisi prius spoliatus restituatur *Reiffenst. ad lib. II Decret, tit. 13 de Rest. Spol. § et 10 Pirhing Lib. Il Tit. 10 % 6 7 18 et 19.* Nec confugere posse Capitulum ad pendentiam litis super beneficii proprietate. Constare enim Carolum in albo canonicorum inscriptum fuisse, et qua talem beneficii fructus percepisse ad mensem Iunii 1880. Ergo restitutionem urgere, ad ea quae tradit *Reiffenst. ad lib. Il Decret, rit. 13 de Rest. Spol. §§ 49 et 56.*

Alteram praeiudicialem quaestionem ita proponebat « *An » stante actionis defectu in Capitulo Tornacensi ad litem » continuandam, et restititto Carolo in possessione sui ca- •» nonicatus, cessasse controversiae materiam iudicandum » sit.* » Atque ut ostenderet nullam esse in Capitulo Tornacensi actionem, demonstrandum sumebat : nullum Capitulare ius in discrimen poni per quaestiones super validitate permutationis, vel nominationis Caroli. Capitulo opitulari nequire genericum interesse in tuto ponendi, ne Canonicum, cuius nominatio nullitate inficitur, in suo sinu recipiat. Nam Canonici nullam habent partem iu nominationibus : ad summum hoc ex capite admittendus esset Episcopus, si in iudicio stetisset. Id eo fortius consistere ex facto ipsius Capituli, in quo cum die 20 Februarii 1879 ageretur de Carolo in possessionem canonicatus immittendo, et Ioannes Baptista protestationem edidisset, quibusdam inter Canonicos haesitantibus, opinio praevaluit rem ad Capitulum minime spectare, prouti expresse declaratum fuit.

Huic actionis defectui in Capitulo supplere nequire haeredem Ioannis Baptistae, quae eo tantum casu in iudicio sistere valeret, si fructuum restitutioni ius sibi competens in tuto poneret- Sed cum huiusmodi demonstrationem praebere nequeat, a iudicio instaurando eam arceri.

Ad quaestiones super merito procedens, ante omnia se demonstraturum pollicebatur, propositam a Ioanne Baptista et Iosepho permutationem radicitus nullam fuisse ; quae nonnisi lucri captandi finem continebat, eratque simoniae labe infecta. Statuere enim *UrbanumVIII in Cap.* «quaesitum est» *de rerum permut.* quod *«. commutationes praebendarum de iure fieri non possunt, praesertim pactione praemissa, quae circa spirituali vel connexo spiritualibus labem continet simoniae.* » Scire se ex necessitate vel utilitate Ecclesiae in vim exceptionis permitti permutationes: sed in ea de qua disputabatur, nec necessitatem nec utilitatem Ecclesiae deprehendi: permittere enim eumdem Pontificem Urbanum VIII *de uno loco ad alium transferri personas* ut *quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Cum autem hac regula statutum sit quomodo utilitas Ecclesiae verificetu , iam excludi permutationes sub eodem tecto peractas, uti in casu.

In permutatione quae proponebatur, futurum fuisse ut damnum potius quam utilitas Ecclesiae obveniret, quia Ioannes Baptista tot ephemeridum in vulgus edendarum occupationibus distentus, Ecclesiae negotiis incumbere nequivisse!..

His addendum esse, quod permutatio statuta fuerat privata prorsus auctoritate, manseratque intra limites simplicis contractus. Quod cum accidit attentatum permutationis, non permutationem haberi. Insuper de permutatione actum erat in fraudem iurium Episcopi, qui est beneficiorum collator Ordinarius. - *Pirlring ad lib. I Tit. 9 c. 30* docere nullas esse resignationes, quae fiunt ab infirmis sub mortis periculo. His vero equiparan senes quia infirmis accensentur. Ergo cum senex esset Iosephus, eius resignationem permutalionis causa pro nulla hoc etiam ex capite haberi debuisse.

Igitur cum in permutatione Episcopi consensus deesset, cum pinguius beneficium a sene possideretur, cum ageretur de beneficiis sub eodem tecto, rem fuisse de permutatione seu de attentato permutationis nunquam probando.

Gradum faciens ad oppositam ex adverso devolutionem ad s. Sedem dispositionis beneficiorum Iosephi et Ioannis Baptistae, eam excludere conabatur, in medium afferendo concordatum anni 1801, ad cuius normam ipsam Capitulorum erectionem in Episcoporum facultate fuisse contendebat, omniaque Capitula respicientia Episcopis commissa fuisse, reservationibusque favore s. Sedis valedixisse Pontificem. Neque res in posterum reperiri mutatas : scribere enim *Bouix de Capit.* quod in Gallia Episcopi libere conferendi beneficia ius sibi assumpserunt, quin s. Sedes ullam huc usque reclamationem ediderit.

Maximum argumentum hac in re suppeditare sibi Bullam, qua recentiore tempore Gregorius XVI sa. me. Dioecesis 13rugensis erectionem explevit. *{Bul.Rom.tom. 18pag. 369).* In ea enim, excepta Archidiaconatus dignitate quam sibi Pontifex reservavit, disponi : Reliquas dignitates canonicales praebendas ac mansionarias ab Episcopis pro tempore existentibus libere conferri, reservationibus ac affectionibus cessantibus. Quod autem maximum est, expresse notari id fieri ad normam iurium et privilegiorum *quibus aliarum similium in Belgarum regno existentium Cathedralium Ecclesiarum regni Capitula utantur ox fruantur.* Ergo absonum esse Gregorianam Constitutionem « *Humano vix iudicio* » in medium proferre.

Verum hoc parumper seposito argumento, alia sibi occurrere notanda. Et primo quod Gregorii XIII Constitutio, pluribus testantibus Auctoribus, non videatur vere recepta in pluribus locis. Et revera clarissimum *Craisson* cuius opus de iure canonico nemo unquam improbavit, post tradita de permutationibus praecepta quae ex Gregoriana Constitutione eruuntur, declarationem adiecisse: *modo adnotata apud uso non sinent.*

Devolutionen! ad s. Sedem excludi non modo ex iure, sed etiam ex facto nullius existentis ad acta probationis, quod revera die 7 Maii epistola prima permutationis in Episcopi manibus pervenerit : quae cum deficiat, mensem utilem decurrere nequivisse. Quod si tradita etiam fuerit die 7 Maii, Episcopi responsum intra terminum praescriptum editum manere, quia *terminus temporis non computatur in tempore, praesertim in odiosis et poenalibus (47 ff. de verb. oblig.)* Odiosum sed esse Episcopalia iura coarctare, praesertim cum constaret in facto, Episcopi dissensum permutantes non ignoravisse.

Ad cetera nullitatis capita deveniens, inficiabaiur primo loco collationem canonicatus novae Iosephi resignationi praeivisse. Stare pro omnibus documentum Gubernio traditum, quod diem fert 30 Ianuarii, quae collationem praecessit. Stare et ipsum resignationis contextum, quo resignans profitebatur iam factam renuntiationem se confirmare. Quidquid autem de hoc sit, cum ageretur de beneficio litigioso, cui renuntiari potest absque superioris auctoritate, etiam post factam eius collationem *(Abbas* in *C. quod in dubiis N. 4 h. t. Garcías N. 249 Reiffcnst. ad lib. I Decr. de remun. Tit. IX % 18)* obiectum renuntians posterioritatem nihil adstruere.

Metum Iosepho incussum, quo ex. adverso abutuntur, excludi in Pacto ex nova declaratione quam ipse emisit die 10 Martii 1;579 (1). In iure ad metus incussionem requiri mi-

(1) Cum diem novae Iosephi resignationi adiectam nec non eius libertatem impugnaret Ioannes Baptista, die 10 Martii 1879 Iosephi declaratio in vulgus edita est prout sequitur.

« Quoniam nonnulla vulgata sunt » (intellige *circa postremam resiynatio- » nem meam)* opus est ut coram testibus » DD. C et D. declaratum sit, me plene » liberum et absque ullius metus incus- » sione.

» I° recessisse a proposito cedendi » meum canonicatum D. Ioanni Bapti- » s tac ;

» 2° ab hoc proposito ref edere post » acquisitam ampliorem rei status co- » gnitionem, quae antea non erat expers » erroris;

» 3° sincere deplorare consequentias, » quae inde ortae sunt, meque esse atque » in futurum semper manere velle plene » devotum episcopali Auctoritati, quam *v* celo atque veneror. Immo profiteri quod » praesens declaratio editur nec insi- » nuante, nec petente Episcopo Torna- » censi, multoque minus insinuatam vel !» petitam esse ab his qui una cum eo » Dioecesis res administrant. »

nas alicuius magni mali, quarum nec vestigium reperitur. Et admissa etiam metus existentia, nihil proficere adversarios, cum doceat *Pirhing loc. cit.* § *10 facta contractus sive onerati, sive etiam gratuiti transactione, renunciationem et similes actus qui ex metu etiam gravi et iniuste illato fiunt, tam de iure naturali quam positivo, regulariter mero iure sunt validi.*

Haud melius consistere obiectiones deductas ex *renuntiatione in favorem,* et ex *conditione sine qua non* quam renuntiationi adiectam ferunt ex parte Iosephi, scilicet ut praebenda *Labis* sibi concederetur : secus canonicatum haud resignavisset. Quod enim primum respicit, eumdem Auctorem *(Pirhing* Loc. cit. § 79) scripsisse: *Si renuntiatio beneficii fiat simpliciter, et absolute, licet appositus sit modus servandus in collatione beneficii, nimirum tit detur certae personae, illaque ab Episcopo admissa fuerit, statim valida est et effectum habet renuntiatio.* - Idem dicendum esse de secunda conditione: quia ex plurium doctorum sententia, potest Episcopus renuntiationem acceptare beneficiumque conferre ; et conditionem reiicere (*Reinffest. Lib. I Decret, de renunc.* § *120).*

Litis pendentiam haud extitisse asserebat, cum ea die qua canonicatus collatio accidit, simplex rei denunciatio penes S. O. extitisset, quae rem litigiosam non efficit *(Reiff. Lib. 1 tit. 9 de renient. § 56).* Ceterum cuilibet liti renuntiavisse sollemniter die 24 Iunii coram Episcopo permutantes.

Obiectum publicationis defectum haud magis valere ac defectum responsionis intra mensem, quia eadem ratio redit. Plurimos de clero ac fide dignissimus testari: nec in Dioecesi

» Praesens declaratio Ioanni Ba- » ptistae nota facta est, ne eius ignoran- » tiam adducere valeat. »

Per huiusmodi declarationem veritatem diei editae resignationis, ac resignantis libertatem tueri conabantur Caroli defensores: e contra Capituli advocatus ex hac eodem actu aliena manu conscripto, cui Ioseph subsignationem tantum apposuit, arguebat : necessarium fuisse Episcopo per subsequentes ad rem concinnatas declarationes, rerum gestarum mense Februarii irregularitatem celare.

Tornacensi nec in aliis Belgii Dioecesibus huiusmodi publicationes in usu fuisse.

Quaestiones de fructibus pertractans postremo loco, bonam Caroli fidem adstruere conabatur, ex eo quod canonicatum haud petierit ipse, nec. Tornaci commoraretur, antequam canonicatum consequutus esset. Tamquam verum canonicum possessionem beneficii cepisse, Carolum, et nonnisi die I[a] Martii de collationis validitate dubium oriri novisse. Hoc in casu valere dispositionem Regulae 65 in 6° quam refert *Pirhing L. II tit. 12 § 5: Si bonae fidei possessori dubium oriatur num res sua sit nec ne, et post diligentem inquisitionem deprehendere veritatem non potuerit, interim rem retinere eaque uti et frui potest, donec ipsi constet ad alium spectare : nam in pari causa potior haberi debet.* Cum autem omnia concurrant ut Carolus tamquam bonae fidei possessor haberi debeat, procedendum esse iuxta tradita per *Reiff, lib. 11 tit. 12* § *63 - Possessio bonae fidei id iuris tribuit possessori, ut hic lucretur fructus ex re taliter possessa perceptos, neque ipsos iam consumptos cogatur domino postmodum comparenti restituere. -*

Ultimo loco contendebat : admisso etiam quod Carolus restituere fructus deberet, eos nec haeredi Canonici Falise spectare posse, quae nullo iure potitur vindicandi, qua haeres, fructus beneficii illius, quod eius auctor nunquam obtinuit : neque Capitulo, quod nullam de fructibus petitionem exhibuit. Deficiente igitur persona *cuius favore* restitutioni locus fieri possit, eo fortius tenendum esse, fructus huiusmodi Carolo bonae fidei possessori cedere.

Capituli et haeredis Ioannis Baptistae defensoris responsiones.

Quaestiones praeiudiciales a Caroli defensore propositas aggrediebatur ante omnia defensor : et spolium petitamque restitutionem impugnaba!, sine qua ille iudicium institui iiequire proclamavit. Ex miserando Dioecesis statu eo tempore qua Rmo Dumont in exercitio iurisdictionis substitutus -est Administrator Apostolicus, nec non ex officiis quibus Ca-

rolus illo imperante operam dederat, ex rebus contra Capitulum ab eo gestis, ac demum ex litis pendentia, necessitatem demonstrabat provisionis quam Capitulum sumpsit eidem prohibendi ne choro interesset. Verum hoc actu Capitulum nihil novi egisse : sed operam prosequutum fuisse eiusdem Praesulis Dumont, qui a die I° Martii, idest decimo die a capta canonicatus possessione, Carolo indixit ne ad chorum accederet. Et revera mensibus exceptis Iunii Iulii et Augusti anni 1879, quibus volventibus ob tolerantiam et pacis studium Capitulum pertulit eum choro adesse, nunquam ipsum choralibus officiis praesentem fuisse.

Sed his etiam missis, tunc de spolio conqueri » potuisse Carolum, cum Capitulum eius loco alium nominavisset, et in choro admisisset. Ast cum ipse adhuc canonicatum possideret cuius collationis validitas in discrimen veniebat, et ex validitate vel nullitate nominationis et collationis ius ad perceptionem fructuum decerni deberet, extra operam esse, concludebat defensor, de spolio conqueri quod non existebat.

Insuper ad huiusmodi exceptionem reiiciendam concurrere peremptorium argumentum, quod nulla neque in Caroli libello neque in litis contestatione mentio eiusdem reperiatur, et solum extremo in iudicii limine exorta fuisset.

Actionis defectum in Capitulo, inter absurda esse amandandum sustinebat. Etenim cum quaestio orta esset de validitate nominationis Caroli, maximi interesse erat pro Capitulo ut decerneretur, num obiecta nominationis et collationis nullitas existeret: res namque erat non canonicum in suo sinu, tamquam canonicum, recipiendi. Iamvero statutum haberi ex s. Rota in *Decis. 289 num. 77 part. 6 Recent. De iure etiam cum agatur de laesione Ecclesiae vel Statutorum, ne scilicet quis admittatur contra dispositionem iuris vel statutorum Ecclesiae, Capitulum potest se opponere.*

Aliam succurrere Capitulo potissimam rationem iudicium prosequendi, scilicet ius ad fructus percipiendos quos Carolus restituere debet. Huiusmodi rationem existere nequivisse us-

que dum permutantes in vivis fuerunt, sed utroque eorum defuncto, ius Capituli ortum esse ad fructuum restitutionem sui favore postulandam. Ceterum iura Capituli, cum de alicuius nominationis validitate dubitatur, apertissima scatere ex formula iuramenti (1) cui et ipse Carolus se subdidit cum Canonicatus possessionem nactus est.

Circa causae meritum opponi, locum habuisse in casu attentatum permutationis non veram permutationem : sed hac obiectione quadrata rotundis misceri. In definitione permutationis quam dant Auctores, eam describi quod sit *reciproca beneficiorum resignatio facta ad invicem inter permutantes eoo iusta causa et auctoritate legitimi Superioris (Ferraris loc. cit. num. 57).* Consilium permutationis e contra (quod idem est ac attentatum) tunc haberi, cum permutantes agunt privala auctoritate. *Permutatio beneficiorum debet fieri auctoritate legitimi Superioris, unde si fat privati auctoritate permutantium est simoniaca (Idem auctor ibid. num. 61).* In casu permutantes non inter se permutationem explevisse, sed permutationis actum pro adprobatione obtinenda obtulisse legitimo Superiori, qui cum mensem utilem labere desiisset, rem ad Pontificem devolvi reliquit.

De die quo prima epistola diei 6 Maii tradita fuit in manibus Episcopi Dumont ambigere haud licere: cura nec ipse, nec eius Vicarius Generalis, nec Carolus antehac rem in dubium revocaverint : immo traditionis diem eam reapse tenuerint, quam Ioannes Baptista indicavit.

(1) **Formula iuramenti quae in Tornacensi Capitulo adhibetur, ita se habet relate ad redituum, si quae occurrat, restitutionem. « Insuper iuro et promitto *t* ipsam Ecclesiam penitus et omnino * servare indemnem de omnibus occa- » sione receptionis meae, seu praebendae » mihi assignatae. Ac eidem Ecclesiae » ad mandatum Vestrum restituere abs- » que reclamatione aliqua , quidquid de » dicta praebenda recepero, si contin- •< }>IIt ipsam praebendam a me evinci, * III" minime pertinere , et » illo rasu ex nunc volo haberi pro non » recepto. Vobis etiam praedictis Domi- » nis meis Decano et Capitulo, nunc et » in posterum , quandocumque pro parte » Vestra fuero requisitus , dare Vobis » cautionem idoneam et iuratam, si, et » prout Vobis videbitur, de restituendis » Vobis fructibus per me receptis vel » recipiendis de dieta praebenda mihi » assignata , casu quo tempore forsitan » appareat me in dicta praebenda mini- r me ius habere. »**

Obiici permutationem nullam fuisse, eo quod facta fuit a sene. Sed a Ioanne Baptista probatum fuisse senem illum optima valetudine gavisum fuisse eo tempore quo permutationis actum edidit : eumque iam anno ante, permutationis explendae consilium aperuisse. Quapropter infirmo in extremis posito nullo modo aequiparari potuisse. Opponi et textum Urbani III: sed nullo modo demonstratum esse ex eo capite permutationes sub eodem tecto prohiberi, et nullitati,,obnoxia fieri. Utilitatem vero Ecclesiae in casu, ex proposita permutatione ita evidentem apparuisse, ut de ea non modo partes, sed et Capitulum insuspecto tempore, et Mechlinien sis Emus Archiepiscopus, et novus Episcopus testimonium perhibuerint.

Nec magis valere obiectiones, de beneficio permutato cum pensione quae loco beneficii manet, nec pensionato beneficiati praerogativas adimi t ; vel de beneficio tenui cum pinguiori. Nam prae oculis habendum esse in subiecta materia, ob speciales loci circumstantias, eos qui pensiones consequuntur, beneficium dimittere omnino, quod statim alteri confertur. Ideo enim quia nihil pensionatus de primo beneficio retinebat, atque Capitulo exibat, Praesidem Labis praebendas illas quatuor instituisse, ut pensionati iterum inter Canonicos adsciscerentur. - Sed praebendas Labis esse vera beneficia canonicalia. Pinguioris autem cum tenui beneficio permutationem ideo ss. Canones prohibuisse, ne qui pinguem praebendam habebat detrimentum caperet, vel pacta simoniaca inter permutantes intercédèrent. In casu ex permutatione, evidentissimam utriusque canonici utilitatem apparuisse. Quod si ob initum inter permutantes consilium, vel ob quaesitam suipsius utilitatem ab illa Ecclesiae haud seiunctum, simoniae tabe infecta mutua beneficiorum resignatio diceretur, necesse fieri sustinere: nullam existere posse in facto permutationem simonia expertem.

Exceptionem de nunquam publicata in Belgio Gregorii XIII Constitutione, fundamento destitutam ostendi ex opere *Benedicti XIV de Synodo Dioeces.* Lib. XIII Cap. 24 num. 8 (1).

(1) Loro citato ha.*; invenimus : « Eadem Constit. S. Pii V de qua hactenus

ídem dicendum esse de concordato : nam ut concordatum Apostolicas reservationes huiusmodi aboluisset, apertam de his mentionem continere debuisset. Secus ostendendum esset, vel ex alia lege resignationes et permutationes abolitas esse apud Belgas, vel pro illis accepto habendis vel reiiciendis nullam existere certam normam, omniaque Episcoporum arbitrio relinqui, quibus permutationes sibi propositas reiicere liceret, nulla alia adhibita ratione quam propriae voluntatis, scilicet quia eorum intentionibus haud conveniunt.

Verum aliquid gravius haberi in facto. Misso enim quod in Capituli Cathedralis nova institutione Tornaci habita die 10 Aprilis 1802, reservationes et limitationes ante regiminis immutationem existentes servatae sunt, exempla adesse recentissima usus reservationum Apostolicarum in ipsa Tornacensi Dioecesi. Nam I° de Decanatus collatione s. Sedem constanter disposuisse. Item s. Sedem providere nominatione Decani Parochi s. Elisabeth de Mons. Item regulas Cancellariae observari, et Pontificem nominare in canonicatibus cum persona quae canonicatum deserit affecta reperitur. Item cum

-» disseruimus, occasionem praebuit gravi « controversiae *ab Archiepiscopo Mechliniensi anno 1683 ad S. C. Concilii* •» *delatae,* an videlicet, quae in illa con- -» tinetur prohibitio conferendi beneficia -» in manibus Episcopi resignata eiusdem -» Episcopi aut resignantis affinibus vel •» familiaribus , vim quoque habeat *in* i> *beneficiorum permutationibus.* Be- » perta tunc fuit quaedam resolutio in •» causa *Feretrana diei 25 Februa-* •» *rii 1673,* in qua Congregatio *affirma-* •* *tive* responderat. At cum novo in- •» stauraW examine deprehensum fuisset » memoratam resolutionem propositae » quaestioni minime congruere , cumque •» insigniores in Romana Curia Canoni- » stae plures in causa disceptationes -» elucubrassent , ipseque Altovitus Se- * cretarius in suis notis multa collegis- ti set, ea videtur fuisse Congregationis * sententia tit beneficiorum permutatio- ne*, *Tom. XV. fase. CLXIX.* » nes quae coram Ordinariis fiunt, dum- » modo bona fides intercedat, et fraus » omnis absit, sub Pianae Constitutionis » dispositione minime comprehendi de- » beant. «

Ipsa rei enunciatio excludit thesim de nulla habita in Belgio notitia Pontificiarum Constitutionum quae resignationum et permutationum institutum respiciunt. Ceterum ipse Pontifex Benedictus XIV anno 1754 conferebat paraeciam s. Remigii oppidi *Gilly* tunc Namiircensi, modo Tornacensi Episcopo subiecti, vacantem ob parochi resignationem in manibus ipsius Pontificis peractam. In huius Bullae contextu declaratum est : beneficia in Curia vacantia s. Sedi esse reservata, et nonnisi per Pontificem valide conferri. Quod apprime confirmat reservationes Apostolicas in resignationibus praete« rito saeculo servatas fuisse apud Belgas.

resignationes favore parentis resignantis fiunt, nonnisi quam coram Papa eduntur, ad normam Constitutionis s. Pii V quae incipit *Quanta Ecclesiae.* Ergo, (aiebat defensor) cum reservationes minoris etiam momenti in viridi observantia sint, quomodo nam maioris momenti reservationes, quas directe in Constitutionibus sibi Pontifices adscripserunt, per concordatum abolitioni obnoxias dicemus?

Verumtamen, (prosequebatur) admisso etiam in concordato permutationes comprehensas fuisse expressis verbis, admisso quidquid magis effrenatum admittere liceat, manere semper peremptorium argumentum ineluctabile, quod insanabilem nominationis nullitatem efficit. - Etenim extra controversiam esse die 18 Iunii permutantes preces ad Nuntium Apostolicum misisse Pontifici offerendas, qua dispositionem beneficiorum permutatorum Ei reservatam nunciabant. Certum quoque esse de his notitiam habuisse Episcopum Dumont, atque ita earum gravitate percitum fuisse ut furore inflammatus illico a permutantibus retractari voluerit. Ergo Episcopo innotuisse ius quaesitum S. Sedis invocari illudque in discrimen venire potuisse : deque hoc iure neminem, Pontifice excepto, iudicium ferre valuisse. Atqui per nominationem et collationem canonicatus favore Caroli, de hoc iure adamussim disposuisse Episcopum Dumont. Ergo eius actum attentatum continere, quod insanabili nullitate Caroli nominationem infecerat.

Absolutis responsionibus, novam de fructibus disputationem instituebat defensor super capite a S. C. reservato, nempe *cuius favore* fructus restituendi essent. Hoc enim super capite S. C. responsum *dilata* protulit - Itaque praemittens se etiam Capituli nomine causam acturum, varias persequebatur hypotheses restitutionis fructuum perficiendae favore vel haeredis Ioannis Baptistae, vel haeredum Iosephi, vel successoris in beneficio, vel Capituli.

De haerede Ioannis Baptistae, eamdem aequitatis rationem afferebat quam in primo periculo adduxerat; haeredes vero Canonici Iosephi nullimode ad fructus a Carolo restituendos.

admitti ostendebat. Qui contrariam thesim tuentur, (ita ipse) tenent Iosephum ob non approbatam vel reiectam a Riho Dumont intra mensem permutatione ad beneficium suum redivisse: deque hoc eodem beneficio disposuisse per novam resignationem actam mense Februarii 1879, quae cum pluribus nullitatibus obnoxia esset, beneficium in eius proprietate reliquit, cuius haud percepti fructus ex communiori regula haeredibus restituendi sunt. Ast ratiocinium falso peccat supposito. Supponit enim ob non perfectum intra mensem permutationis negotium, unumquemque permutantium ad beneficium suum regredi. Sed certum est vacare beneficia ipso iure per simplicem resignationem *De Nigra de vacat, benef, et pens. eccl. Lib. I Cap. 2 num. 41 De Murga de benef, quaest. 9 num. 38 Garcias pag. 11 Cap. 3 num. 3;...* Certum quoque est Pontificem expresse disposuisse, « qui haec uti » eis praescribuntur non perfecerint, eo casu potestate di- » sponendi de ipsis beneficiis sint ea vice privati eorum- > que dispositio eoipso ad s. Sedem devoluta existat, ut » *aliis idoneis* ab ipsa s. Sede dumtaxat modo et forma prae- » dictis concedantur ». Iamvero nisi eadem beneficia semper vacantia .dicas, concipi nequit quomodo s. Sedes aliis idoneis ea conferre valeat. (I) Ergo nunquam resumere potuit lo-

(I) **Defensoris Capituli argumentatio ita resumi potest. « Pontifex Grego- 1 rius XIII in §. 8 suae Constitutionis » disponit: *Ordinariique et alii praedi- ti cti, qui haec, uti eis praescribuntur, » non perfecerint, eo casu potestate u disponendi de ipsis beneficiis sint* N *ea vice privati: eorumque dispositio yi eo ipso ad Sedem Apostolicam devo- co luta existat* - Fac uti (in casu) propo- *n* sitae permutationi Episcopum *intra » mensem* haud respondisse ; ob deficien- DI tem Episcopi approbationem vel reie- *n* ctionem, utili mense transacto, quasi » ex iure postiiminii beneficia ad permu- *Ti* tantes redire, et eorum utrumque sui » beneficii iterum possessionem capere. » Ast Pontifex facultatem sibi reservavit » *aliis idoneis* eadem beneficia conce- » dendi. Fac modo Pontificem reapse aliis » quam permntantibus resignata permu- » tationis causa beneficia concedere. Per- » mutantes beneficiis suis spoliandi erunt, » fructusque restituere debebunt quos a » die editae resignationis nullo prorsus » iure perceperunt ; nam Pontificia dispo- » sitio ad resignationis diem retrotrahi- » tur. Absurdum in oculos insilit. Fac » etiam Pontificem permutantium propo- » sita excipere, eisque beneficia sub per- » mutationis exequutione largiri. Ipsi » permutantes aeque fructus restituere *n* debebunt iam perceptos, ut illos per- » cipiant quae permutati beneficii propria**

sephus resignatum canonicatum qui vacans factus est a die editae resignationis, et vacans adhuc existit. Ergo nullum ius Iosepho competebat super fructibus canonicatus resignati, nullumque ius poterat ad haeredes transmittere.

Ceterum cum ex pensiono a, die 2[a] Februarii obtenta, tantum acceperit Ioseph quantum ex beneficio percepisset, iniquum esset decernere eum duplicem beneficiati et pensionarii personam retinuisse cum duplici redituum perceptione.

De successore in beneficio defensor contendebat, nec ipsi spectare posse non perei quos reditus. Docere enim Auctores, beneficiato mortem obeunte. fructus nondum exactos de iure communi spectare ad successorem in beneficium *(Ferraris verbo « Fructus Eccles. > X am. 9 Rota in Burgen. Canonicatus super fructibus 28 Iulii 1645 §. 4 coram Millesi.* In casu rem esse non de fructibus ab antecessore nondum exactis, sed de reditibus canonicatus ipso iure vacantis, a malae fidei possessore perceptis.

Manere igitur Capitulum, cui favent ius commune et consuetudo loci peculiari;^ - i\;un rum agatur de fructibus perceptis a canonico qui talis non erat .quique choralibus officiis haud interfuit, regulam esse applicandam quam tradit *Card. De Luca de Canonicis et Capitulo Disc. num. 15* scilicet Canonicos ex iure accrescerli suas facere distributiones quas amittunt canonici absente* seu tempore vacationis *-pro maiori scilicet Ecclesiae ser cit io et cultu, et ne istud alias negligatur atque interessentes spe maioris emolumenti ad istud alliciantur.* - Idem habere *Ferraris verbo* « absens » *Art. 2 num. 9.*

Iuri cohaerere in Capitulo nostro observantiam: nam aliqua vacante ex praebendis *Labis,* fructus vacationis tempore ceteris canonicis accrescere. Cui quidem Capitulo succurrere

» sunt. Hoc quoque absurdum continet. ' Uno verbo, Pontifex sibi facultatem RI;- • servasset disponendi de beneficiis i»1 *– » nis, quod concipi nequit. Ergo etiam in r casu deficient is *intra mensem* Episcopi •• approbationis vel reiectionis necesse ..:>t > nt vacantia maneant beneficia, permu- • tationis causa resignata, ab ipso edi- » tae resignationis die. « Ea est huius argumentationis vis , ut et nobis absonum videatur ab eius sententia recedere.

etiam rationem maioris laboris, lati a die nominationis Caroli, et praecipue post mortem permutantium. Tres namque canonicatus vacantes habiti suni. Demum restitutionem fieri imponi favore Capituli ab ipsa formula iuramenti. His fuso calamo a defensoribus allatis, proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. *An sit standum in primo et secundo loco decisis in casu Ì*

Et quatenus affirmative

II. *Cuius favore sit locus restitutioni fructuum in casu?*

R**esolutio** Eminentissimi ac Rmi Patres in Congregatione Generali diei 18 Martii 1882 responsa dederunt:

Ad I^{um} *affirmative et amplias.*

Ad II^{um} *favore Capituli* **ct** *amplius.*

Ex QUIBUS OMNIBUS rOLLIGES

I Permutationes beneficiorum a Iure Canonico permissas in viridi observantia esse : easque esse peragendas ad normam Constitutionis Gregorii XIII sa. me. quae incipit « Humano vix iudicio. »

II Gregorianam Constitutionem habendam esse tamquam ubique locorum receptam.

III Per concordata, Reservationibus Apostolicis in eadem Constitutione contentis, nullum allatum fuisse praeiudicium, nisi de resignationibus ac permutai ionibus in iisdem concordatis specialis mentio extiterit.

IV Secundum iuris communis praecepta, pro permutationum validitate requiri iustam causam, quae est necessitas vel utilitas Ecclesiae. Utilitatem quoi pie permutantium pro iusta causa haberi posse, dummodo et in ea utilitas Ecclesiae reperiatur.

V Ad permutationis negotium explendum mensem dari Episcopis aliisque collatoribus, intra quem permutationem vel accepto habere vel reiicere coguntur. Utili mense trans-

acto, illico dispositionem perniutatorum beneficiorum ad s. Sedem devolvi, quae eadem aliis idoneis concedendi sibi ius reservavit.

VI Usquedum s. Sedes de beneficiis resignatis permutationis causa non disposuerit, eadem, vacantia manere : et nemini licere de iisdem beneficiis disponere.

VII Partium renunciationes precibus iam s. Sedi oblatis, iura eiusdem S. Sedis quaesita haud laedere, et pro non existentibus habendas esse; fortius cum ex metus incussione vi extortae sunt.

VIII De beneficiis, quorum dispositio s. Sedi devoluta est, novas resignationes nullas intrinsecus esse, nominationes et collationes attentatum continere, quod intrinseca nullitate eas afficit.

IX Resignationes etiam in favorem editas coram Ordinariis nullas esse habendas.

X Idem dicendum esse de resignationibus, quibus simoniacum pactum accessit.

XI Idem de resignationibus quarum intra tres menses publicatio defuit : deficiente enim publicatione, beneficia ipso iure in Curia vacantia fieri, et esse reservata Papae.

XII Beneficii, quorum collatio nulla decernitur, fructus lite pendente perceptos restituendos esse.

XIII Restitutionem locum habere debere a die quo beneficiatus litis pendentiae notitiam habuit, nam ea die bonam fidem cessasse tenendum est.

XIV Fortius ad restitutionem teneri beneficiatimi, si neque choralibus officiis adfuit, nam ei haud opitulatur praestiti servitii ratio.

XV Communiorem regulam, fructus ab antecessore haud perceptos successori in beneficio adscribere, vel Capitulo ex iure accrescendo

XVI Verum hisce in casibus plurimi faciendam esse loci observantiam, ad cuius normam in fructuum perceptionibus proceditur.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM
Feria II die IO Iulii 1882

¿<-Jacra Congregatio Eminentissimorum ac Rever endissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum, pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 10 Iulii 1882 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

S**ORELLI** G**IAMBATTISTA**. Studi Filosofici Sociali. I. La sola possibile Religione dell' avvenire. II. Appunti sociali sul. matrimonio e sulla famiglia. *Seconda edizione* con Appendice, III. Studi sulla prostituzione. Roma, 1881

M**AMIANI** T**ERENZIO**. Delle Questioni Sociali e particolarmente dei Proletari e del Capitale, libri tre. Roma, 1882.

R**ENAN** E**RNEST**. L'Ecclesiast traduit de l'Hébreu avec une étude sur l'âge et le caractère du livre. Paris, 1882.

G**REGOROVIUS** F. Atenaide, storia di una Imperatrice Bizantina. Versione dal tedesco di Raffaele Mariano. Roma etc., 1882.

.Auctor (Chaillot J. L.) *Operis cai titulas:* Pie VII. et les Jésuites d'après des documents inédits, prohib. Decr. 3 Aprilis 1882, *se subiecit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel reti' nere audeat, sed locorum Oi dinar iis, aut haereticae pravi-

tatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. L C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 10 Iulii 1882.

FR. THOMAS M\ CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco S Sigilli.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

GALLIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, clementer deferens supplicibus votis propemodum omnium Reverendissimorum Archiepiscoporum et Episcoporum Gallicae Ditionis expétentium, ut Festa Sanctae Mariae Magdalenae Poenitentis et Sanctae Marthae Virginis ad altiorem cultus honorem evehantur, concedere dignatus est, ut in cunctis Galliarum Dioecesibus eadem Festa sub ritu duplici maiori in posterum recoli valeant: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Decembris 1881.

GALLIARUM

Quamplures Galliarum Rmi Archiepiscopi et Episcopi enixa» Sanctissimo Dno Nostro Leoni Papae XIII, porrexerunt preces, expostulantes ut in Kalendario omnium Ecclesiarum illius regionis Festa Sanctorum Episcoporum Lazari, Maximini, et Trophymi inscribi amodo valeant. Sanctitas vero sua, ad relationem Sacrorum Rituum Congr. Secretarii, ita his precibus annuere dignata est; ut in Dioecesibus tantum Rmorum Sacrorum Antistitum supplicantium Festa praelatorum Sanctorum recoli valeant sub ritu duplici minori, et cum Officio et Missa', quae iam a Sancta Sede pro nonnullis Gallicae Ditionis Ecclesiis approbata fuerunt: dummodo in omnibus Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Decembris 1881.

APPENDIX I.

Officia et Missae ss. Benedicti Josephi Labre et Joannis Baptistae de Rossi Confessorum.

DIE XVI APRILIS

In Festo

S. BENEDICTI JOSEPHI LABRE C.

DUPLEX

Omnia de Com. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui sanctum Benedictum Iosephum Confessórem tuum humilitatis studio, et paupertatis amóre tibi uni adhaerere fecisti: da nobis, eius suffragantibus meritis, terréna cuncta despicere, et caelestia semper inquirere. Per Dominum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadragesima. Justus, *i. loco.*

In II. Nocturno.

Lectio iv.

In **oppido** Amèttes Boloniénsís dioecesis in **Gallia** ex honestis piissimisque parentibus ortus est Benedictus Josephus Labre. Divina gratia praeventus, gravem **ei** a nugis alienam indolem a puerili set ate ostendit, et suis fratribus pietate, obedientia, sor lértia in addiscendis christianae doctrinas ac litterarum rudimentis perfectum exemplar praefulsit. Duodénnis ad patruum sacerdotem paroeciae prœpôsitum missus, eruditione pariter ac virtiite profecit. Hinc caritate flagrans in próximos, confluentium egenorum nullum a se discedere sivit inanem, eidemque pátruo socium individuum se adixmxit in aegrórum solatium, dira lue per loca grassante, cuius ille victima occubuit. Nulli labóri parcens, nec periculo territus, viliora quaeque obivit officia ad eorum levándam calamitatem, qui morbo correpti iacebant, pastorum quoque vices explens in pascendis gregibus ab eis relictis, grámine in arvis a se collecto pro pecorum alimònia; ideoque factum ut sibi angeli nomen promeruerit. Neque aliter exinde egit apud avúnculum, ubi omnino splendidum caritatis et mansuetudinis spécimen edidit, mira patientia et benignitate longo tempore perpessus singularem cuiusdam contubernális morositátem, a quo noctu dixique male habebatur, **K**). Honestum.

Lectio v.

Ad austerissimum vitas genus iamdiu se appellatum sentiens, rígido ieiunio aut duro tantum pane dies transigere assuéverat, brevem fessis membris quietem •dare super nudos ásseres cum cervicali ex ligneis fragmentis, flagello se caedere, pluresque horas flexis ante augustissimum Eucharistiae Sacramentum genibus orando impenderé. Ratus porro se ad aspérius aliquod ecenobiticum institutum a Deo vocari, ad Trappénses primum se contulit, deinde ad Carthusianos, postremo ad Ciïsterciénses. Sed ob grácilem corporis habitum et contractas aegritudines a singulis abire coactus fuit; ita disponente Deo, ut beatus iuvenis arctióris sequelae crucis Christi in medio populi •spectaculum fleret mundo, et Angelis , et hominibus. Nam cum ferventióri prece divinum lumen implorásset, interna clarissima locutione intellexit, sectanda sibi fore ardua sancti Aléxii vestigia, durissimámque vitam in sacris peregrinationibus traducéndam. Probante igitur conscientiae suae moderatóre, annos natus viginti duos, pia suscepit longissima itinera; pedes, veste obsolèta, et rudi piléolo tectus, fune praecinctus ac male calceátus, sine pecunia, rerumque omnium inops, oblata tantum stipe victitans, et saccum deferens onustum saxis, -quo peregrinandi labores sibi graviores redderet. Hac ratione multas Europae regiones pluries peragravit, ubique sanctiora loca visitando, numquam vestes immútans, aestum, brumam, imbres pérferens, noctu eubans plerumque sub dio, declinansque a trita via et diversóriis ut vitáret pericula, et animum liberius in Deum intenderet.

R). Amavit eum.

Lectio ot.

Ubicumque consisteret mira virtutum relinquebat exempla, cum sanctitatis fama haud raris prodigiis confirmata. Séptimo ante obitum anno Romam repetiit, ibique constitit, etsi quotannis Lauretànam Beatae Virginis aedem, et alia viciniora sanctuaria adire non praetermiserit. Caelitem potius quam viatoris vitam in Urbe agere visus est. Tecto ut plurimum carens; làcero eodem induménto perpetuo usus, oléribus herbisque per viam abiéctis vel oblatis anaiéctis sive e sterquilinio promptis inédiam relevábat, sitim aut exstinguébat aqua, aut acéto vexabat. Saepe tota nocte orabat in amphitheátro Flavio, tot Martyrum sanguine consecrato. Maximam vero diei partem in templis ducere consuevit vel ante Deiparae imaginem vel coram sacrosancta Eucharistia publicae adorationi proposita, ibique immobilis , ardens, niténti vultu, oculisque in sacram hostiam de-

fixis morabatur in contemplatione Ejus quem diligebat. Inséctis erósus, squalore óbsitus, quidquid irrisiónum aut iniuriarum a plebécula sibi irrogabátur, laetus et •constans perferébat. Anno dénique millesimo septingentésimo octogésimo tertio, die décima sexta Aprilis, cum in templo sanctae Mariae ad Montes precatióni plures dedisset horas, correptus deliquio, traductúsque vicinas in aedes benefici hominis, sanctissime animam Deo reddidit, trigésimo quinto aetatis anno. Quem virtutibus et miraculis clarum Pius Nonus Pontifex Maximus beatorum, novisque fulgentem signis Leo Decimus tertius sanctorum albo adscripsit.

R). Iste homo.

In III. Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. Cap. 16 d.

p illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia s. Gregorii Papae.

Homilia 32 in Enang.

/-\uia Dominus ac Redemptor Vnoster novus homo venit in mundum, nova praecepta dedit mundo. Vitae etenim nostrae veteri in vitiis enutrita contrarietátem opposuit novitatis suae. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere; aliéna rapere, si posset; concupisces, si non posset? Sed caelestis medicus singulis quibusque vitiis obviántia adhibet medicaménta. Nam sicut arte medicinae, cálida frigidis, frígida cálidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lúbricis continentiam, tenácibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis praeciperet humilitatem.

R). Iste est.

Lectio viii.

Certe cum se sequentibus nova mandata proponeret, dixit: Nisi quis renuntiaverit ómnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. Ac si aperte dicat: Qui per vitam veterem aliéna concupiscitis, per novae conversationis studium et vestra largimini. Quid vero in hac lectione dicat, audiamus: Qui vult post me venire, abneget semetipsum. Ibi dicitur, ut abnegémus nostra: hic dicitur ut abnegémus nos. Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua; sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet; valde autem multum est abnegare quod est.

R). Sint lumbi.

Lectio ix.

Ad se autem nobis venientibus Dominus praecepit, ut renuntiémus nostris, quia quicumque ad fidei agónem venimus, luctámen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctátur, citius ad terram deiicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terréna omnia, nisi quaedam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat, ne succumbat.

Te Deum laudamus.

MISSA.

Introitus Ier. 12. Ps. 85. et 26.

Beliqui domum meam: dimisi haereditatem meam: inops et pauper ego sum: Dominus autem assumpsit me. Alleluja, alleluja.

Ps. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

f. Gloria Patri etc.

Oratio

Deus, qui sanctum Benedictum Josephum Confessorem tuum humilitatis studio, et paupertatis amore tibi uni adhaerere fecisti: da nobis, eius suffragantibus meritis, terrena cuneta despicere, et caelestia sem peinquirere. Per Dominum nostrum etc.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Timotheum. *1. Tim. 6.*

Carissime: Est quaestus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferrequid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, **hic** contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem. o homo Dei, haec fuge: sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam.

Alleluja, alleluja.

f. Ps. 112. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in coelo et in terra? Alleluja.

f. Ibid. Suscitans a terra inopem, et de stercore **erigens** pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Alleluja.

*Extra tempus paschale^*
Graduale

Ps. 39. Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, et non respexit in vanitates, et insanias falsas.

f. Ibid. Ego autem mendicus -um et pauper: Dominus sollicitus est mei. Adiutor meus et protector meus tu es. Alleluja, •alleluja.

f. Ps. 38. Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas ;neas: quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus. Alleluja.

Post Septuagesimum, omissis Alleluja *et versu sequenti, licitur:*

Tractus

i.Jo.2. Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.

f. Ibid. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, >-t concupiscentia oculorum, et superbia vitae.

f. Ibid. Et mundus transit, «•i concupiscentia eius; qui autem **facit** voluntatem Dei manet in aeternum.

Qji Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. *Math. 16.*

•T?» illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semeptipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

Offertorium

Hebr. 13. Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Offeramus ergo hostiam laudis semper Deo, fructum labiorum confitentium nomini eius. Alleluja.

Secreta

Oblata munera, ciernentissime Deus, propitius respice, et sancti Benedicti Josephi Confessoris tui interveniente suffragio, in salutem nobis provenire concede. Per Dominum.

Communio

Matth. 5. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Alleluja.

Postcommunio

Sacris, Domine, refecti muneribus, quaesumus: ut sancti Benedicti Josephi Confessoris tui virtutes imitemur, cuius poscimus meritis adiuvari. Per Dominum.

DIE XXIII MAJI

In Festo

S. JO. BAPT. DE ROSSI CONF.

DUPLEX

Omnia de comm. Conf. non Pont. Praeter sequentia.

Oratio

EUS qui sanctum Joannem Baptistam confessórem tuum in evangelizandis pauperibus charitate et patientia decorasti: concede quaesumus; ut cuius pia merita veneramur, virtutum quoque imitémur exempla. Per Dominum.

Leci. I. Nod. de Script, oec.

IN II. NOCTURNO.

Lectio io.

JOANNES Baptista De Rossi Veitúrii in Liguria honesto genere ortus, adhuc puer morum suavitate ac pietatis studio in 'omnium admiratione fuit. Tredecim annos natus, visus est Dei consilio Romam mitti, ut Apóstoli munus in ea expleret. Inter ephébos Col légii Romani Societatis Jesu adlectus, ingenio et virtute praelúxit. Curabat impense, ut ii Mariano sodalitio frequentes adessent, in nosocomiis aegris ministrarent, honestáque animorum recreatióne retraheréntur a noxiis; interim caelestia sermonibus pertractans, segnióres excitábat, ac proinde apóstoli agnómen adeptus est. Ob ásperam corporis castigationem gravi morbo correptus, ab usitata sibi studiorum severitate aliquantulum remittere coactum fuit: quod divinitus factum aiebat, ne scientia inflatus sua potius quaereret, quam quae Jesu Christi. Clericali militiae adscriptus sacris disciplinis in sancti Thomae Collegio operam dedit, ac in virtute proficiens, dein ingenti animi voluptate Sacerdotio est auctus. Ita Dominum in haereditatem sibi constituit, ut nullum, ne oblatum quidem, ecclesiasticum beneficium acceptandi, nisi obedientia adigerétur, singulari voto se obstrinxerit.

R). Honestum fecit illum.

Lectio v.

E spirituali proximorum salute iam ab adolescentia sollicitus, Sacerdos factus in id totum se devovit. Ecclesiasticos viros, sacras virgines, oppidános, carcere detentos, imam plebem universam mira suavitate, verbi ministerio ad virtutis amorem

ínflammábat. Plures quotidie horas radiorum confessionibus excipiendis impendens, aegrotis aderat vel in domibus vel in valetudinariis, praesertim phthisicis, quos sui veluti iuris esse affirmabat. Hac illae per urbem alacer ádvolans, innumeris operibus praesto erat: at assiduus in sanctae Grallse Hospitio versabatur, ut pauperes, quos charissimos habuit, omni ope iuváret. Ob id a décimo quinto aetatis anno adiunctus Sacerdotum Coetui, qui eisdem evangelizando addicti sunt, ibi apostolatus sui rationem didicit, ipsiusque Societatis ópera instauravit et auxit. Eadem misericordia motus egenorum omnium necessitatibus sublevandis modicam suam substantiam impendit. Perennes autem infatigábilis sui zeli fructus reliquit, satellitum, vagorum, radium institutionem, catecheses ad sancte Pascha celebrandum, certam custodiam perditarum, noctuque per Urbem vagántium mulierum hospitium, praecipue vero studium lucrandi animas in Clero excitatum.

R). Amavit eum.

Lectio vi.

/**CHARITATIS** in Deum ardor ex ^eius ore emicábat dum sacris operabatur, nec sine lacrymis de eius bonitate loqui poterat. In Collegium Canonicorum Basilicae-sanctae Mariae in Cosmedin ex obedientia cooptatus, inter psalléndum extra sensus rapi videbatur. In sacris caeremoniis diligentissimus, domus Dei decorem promovit, et in id suas opes libenter erogábat. Amorem erga Deiparam in alios effundebat^ eiusque cultum in sua Ecclesia fovit, addito etiam psalmodiam quotidiáno laudum praeconio. Philippi Nerii spiritu imbui studens* et in omnes Caelites pius, Apo stolórum Principum obsequium augendum curavit. In oratione omnique virtutum exercitatione assiduus, supernis quoque charismatibus donatus, tandem in Hospitio, cui nomen a Sanctissima Trinitate, quo se reduxerat in Sacerdotum convictum laboribus fractus ad vitae exitum adductus est, atque Ecclesiae sacramentis refectus, charitatis ópera et pauperum curam commendans decessit in ósculo Domini die vicésima tertia Maii, anno Christi millesimo septingentésimo sexagésimo quarto , aetatis suae sexagésimosexto. Insigne adeo sacerdotalis virtutis exemplar miraculis Deus illustrare dignatus est, quibus rite probatis, Summus Pontifex Pius Nonus tertio idus Maii anno millesimo octingentesimo sexagésimo Caelitum Beatorum honoribus auxit; novisque fulgentem signis Leo Decimus tertius sexto idus Decembris anno millesimo-

octingentesimo octogésimo primo in Sanctorum albo recensuit.

R). Iste homo.

In III. Noct. Lectiones de Homilia in Evang. Sint lumbi vestri praecincti *de eodem Com.*

MISSA

Missa Os iusti *de Communi Confessoris non Pontificis.*

Oratio

DEUS, qui sanctum Joannem Baptistam confessórem tuum in evangelizandis pauperibus charitate et patientia decorasti: concede, quaesumus; ut cuius pia mérita veneramur, virtutum quoque imitémur exémpla. Per Dnum.

Secreta

OBLATUM Tibi munus, quaesumus, Domine, in odorem suavitatis adscéndat: et, sancto Joanne Baptista confessóre tuo intercedente, nos corpore et mente purificet. Per Dominum.

Postcommunio.

CAELESTIS, Domine, perceptio Sacraménti, sancti Joannis Baptistae confessoris tui suffragantibus meritis, fideles tuos mundet et muniat: ac bonis operibus iugiter praestet esse intentos. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: Per omnia saecula saeculorum, **R**). Amen.

DECRETUM

Marianopolitana, Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeoys fundatricis Congregationis Sororum nostrae Dominae.

Quum Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Aloisius Oreglia a Sancto Stephano Ponens Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Margaritae Bourgeoys, ad instantiam Rev. P. Arthuri Iulii Captier Procuratoris Generalis Seminarii Sancti Sulpitii Causae ipsius Postulatoris constituti, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis sequens proposuerit Dubium : *An sententia Iudicis subdelegati a Reverendissimo Episcopo Marianopolitano super Cultu praefatae Ven. Servae Dei non exhibito, seu super paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur f* Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati S. Fidei Proin, rescribere censuerunt : *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 4 Februarii 1882.

De praemissis autem facta per infrascriptum Secretarium SS. D. N. Leoni PP. XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum S.C. ratum habere et confirmare dignata est die 9 iisdem mense et anno.

D. CARD. BARTOLINIUS, S. R. C. PRAEFECTUS

Loco gg Sigilli *Placidus Ralli Secretarius*

BREVE quo una eademque constituitur formula absolutionis tum generalis tum in articulo mortis, et benedictionis papalis, adhibenda penes Tertiarios Franciscales, alias eiusdem Ordinis familias, nec non penes alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quo universi utriusque sexus fideles in tertium s. Francisci Asisinatis Ordinem adscripti easdem leges eosdemque ritus in obeundis instituti sui functionibus adhibere possint, enchiridion seu manuale unicum typis edere visum est. Multiplices vero sub eiusdem manualis editionem exortae sunt de absolutionis tum generalis, tum in articulo mortis, tum de Papalis benedictionis formulis controversiae, ad quas dirimendas Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Card. Indulgen. Sacrisque Reliq. praepositorum nonnulla proposita sunt dubia seu quaestiones. Hinc Consilium idem consideratis perpensisque omnibus, quid de huiusmodi quaestionibus deliberaverit per Secretarium suum ad Nos referendum curavit. Nos autem, quibus salutare frugiferumque tertii Ordinis s. Francisci sodalitium in deliciis semper fuit, Nobisque summopere cordi est, ut illud sanctas sui instituti leges ritusque observet, atque in dies, hisce praesertim temporibus, propagetur et incrementa suscipiat, memorati Consilii deliberationem probavimus, eamque omnibus per Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis cognoscendis decretum indicendam censuimus. Nostris mandatis obsequens Congregatio, sibique demandatum munus meliori quo fieri possit modo explere cupiens, opportunum in primis duxit omnes et singulas benedictionis et absolutionis generalis expendere formulas, quae nedum penes Tertiarios Franciscales, verum etiam apud alias eiusdem Ordinis familias, imo et alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes essent in usu, quo unam eamdemque ab omnibus in posterum respective in eiusmodi benedictionibus et absolutione adhibendam formulam concinnaret. Quamobrem praefata Congregatio omnes, quorum intersit monendos putavit, ut siquid in casu notatu dignum iudicassent,

intra congruum tempus eidem Congregationi subiieeret. Exacto inde triennio, quum nihil ex parte alicuius ex dictis ordinibus obiectum sit, Congregatio Sacris Ritibus praeposita, accurate omnibus diligenter inspectis et expensis, quae sequuntur decrevit, nempe : I. Pro Absolutione, in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta in Constitutione sa. me. Benedicti Papae XIV. *Pia Mater,* addito tantum ad *Confiteor* nomine Sancti proprii Fundatoris : II. Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda detur cum formula approbata in Constitutione eiusdem sa. me. Benedicti Papae XIV. *Exemplis Praedecessorum,* sed nonnisi bis in anno, et sub conditione quod haec Benedictio nunquam detur eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat : III. In Absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis, atque in Benedictione cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis propositae atque ab eadem approbatae, abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis , videlicet :

Formula Absolutionis Generalis pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie' eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

y. Pater noster.

y. Et ne nos inducas in tentationem.

R). Sed libera nos a malo.

y. Ostende nobis Domine, misericordiam tuam.

R). Et salutare tuum da nobis.

y. Domine exaudi orationem meam.

R)'. Et clamor meus ad te veniat.

y. Dominus vobiscum.

R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringat, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis .Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas , et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus qui culpa offendetis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantes propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Completis precibus , ab uno ex adstantibus dicitur Confiteor *addito nomine proprii Fundatoris. Deinde sacerdos dicit:*

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc.

Postea subiungit:

Dominus Noster Iesus Christus per merita suae sacratissimae passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa , absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis, maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, nec non sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus iam confessi estis: In nomine Patris gg et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Formula benedictionis cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus.

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo , Domine ; inclina aurem tuam ad preces nostras ; parce Domine, parce populo tuo , quem redemisti sanguine tuo pretioso , ne in aeternum irascaris nobis.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantes propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Dicto deinde:

Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc.

Sacerdos prosequitur:

Dominus Noster Iesus Christus, qui Beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, Ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam, et vivatis in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam Passionem et Mortem Domini Nostri Iesu Christi; precibus et meritis Beatissimae semper Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris Nostri N. et

omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec Indulgentia immediate post Sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis : Dominus Noster Iesus Christus etc. *et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Nos huiusmodi memoratae Congregationis decretum omnino ratum habemus, et Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, probamus, confirmamus, sancimus, illudque ab omnibus et in omnibus hoc futurisque temporibus servari iubemus. jDecernentes has Litteras Nostras semper firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ¿in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos , etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari ac definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus , et Ordinationibus Apostolicis, nec non eiusdem tertii Ordinis S. Francisci, ceterisve quibusvis etiam iuramento , confirmatione Apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet con cessis, confirmatis et inno vatis, quibus omnibus et singulis , illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque omnibus quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Iulii MDCCCXXXXII. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

TH. CARD. MERTEL.

BREVE quo nonnulla inseruntur sanctorum officia in Kalendario tum universali tum Cleri Romani, simulque praecipitur quomodo mutanda sit rubrica generalis Breviarii Romani tit. *1* de translatione festorum, ut in utroque Kalendario habeantur sedes liberae ad nova officia introducenda.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Nullo unquam tempore Romani Pontifices Antecessores Nostri praetermiserunt Sanctorum virorum, qui doctrina, virtute, rerum gestarum praestantia Catholicam Ecclesiam, dum in terris agerent, illustrarunt, memoriam in animis Christifidelium, eorum praesertim, quorum est ceteros exemplo anteire, quo altius possent imprimere.. Id autem hac inter alias ratione consequuti sunt, eorumdem scilicet Sanctorum festa sive in Universali , sive in Particularibus Ecclesiis indulgendo , ac vitae et rerum gestarum historiam Breviariis inserendo , ut qui divinas preces recitare tenentur , ab iis virtutum illorum factorumque memoria cum laude quotannis repetatur. Hinc nostris etiam temporibus sa. me. Pius Papa IX Praecessor Noster vota excipiens et preces multorum Sacrorum Antistitum, qui Romam convenerant Oecumenici Concilii Vaticani causa, peculiarem constituit Anno MDCCCLXXIV Sacrorum Rituum Congregationem, cui munus detulit expendendi utrum opportunum esset in Kalendario Ecclesiae Officia inserere nonnullorum Sanctorum, qui Apostolorum opus prae ceteris prosequuti Ecclesiae universae aedificandae ac tuendae, et inter diversas gentes dilatanclae impensius adlaborarunt : Officia haec erant Sanctorum Bonifacii Episcopi et Maitja-is, Iustini Philosophi Martyris, Cyrilli et Methodii Pontificum et Confessorum , Cyrilli Episcopi Alexandrini, Cyrilli Episcopi Hierosolymitani et Augustini Cantuariensis. Haec autem peculiaris Congregatio Sacrorum Rituum, omnibus quae ad rem pertinerent accurate perpensis, expedire censuit Officium S. Bonifacii ritu duplici ad universam Ecclesiam extendi, indulgendumque esst[1]:

illis, qui S. Iustini Officium peterent eodem ritu; de **alL3** rem differre placuit. Quam sententiam idem Praecessor Noster ratam habuit et confirmavit. Haec tum quidem acta sunt. Anno autem MDCCCLXXX visum est Nobis, Sanctis Fratribus Cyrillo et Methodio Slavoniae gentis Apostolis eiusdem cultus honorem tribuere, S. Bonifacio, ut diximus, a Praecessore Nostro delatum. Porro cum Sacrorum Antistites ac Fideles rogare pergerent, ut pari honore condecorarentur tum S. Iustinus, tum alii inclyti Caelites, de quibus prolata res fuerat, tum S. Iosaphat Episcopus Polocensis Martyr, praeclarum Polonae ac Ruthenae gentis lumen: cumque habenda esse tandem ratio videretur postulationum , quae a Romano Clero Apostolicae Sedi porrigebantur pro inscribendis in Kalendario Urbis festis quorumdam Sanctorum , qui Urbem ipsam suis illustrarunt exemplis et finem laborum suorum ibi assequuti eam propriis nobilitarunt exuviis; idcirco Nos particularem Sacrorum Rituum Congregationem a Praecessore Nostro iam pridem deputatam iterum constituere duximus, eique mandavimus ut opportune expenderet, qua ratione in Kalendario sive Universali sive Cleri Romani Officia praedicta et alia in posterum, si opus esset, inseri possent. Itaque approbantes, et confirmantes, quae a Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus aliisque dictam Congregationem componentibus decreta, et per Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Bartolinium Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum relata Nobis fuerunt, Auctoritate Nostra Apostolica volumus et praecipimus, ut in Kalendario TJniversali Ecclesiae sub ritu duplici minori inscribantur Officia: die IX Februarii S. Cyrilli Alexandrini Episcopi Confessoris; die XVIII Martii S. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi Confessoris; die XIV Aprilis S. Iustini Philosophi Martyris ; die XXVIII Maii S. Augustini Episcopi Cantuariensis Confessoris ; die XIV Novembris S. Iosaphat Episcopi Polocensis Martyris; deinde ut in Kalendario Cleri Romani sub ritu item duplici minori inscribantur Officia : die XVI Aprilis S. Benedicti Iosephi Labre Confessoris; die XXIII Maii S. Ioannis Baptistae De Rossi Confessoris ; die XIX Augusti B. Urbani II Papae et Confessoris; die XI Octobris B. Ioannis Leonardi Confessoris; die XVII Decembris S. Leonardi a Portu Mauritio Confessoris : affigantur autem in eodem Kalendario Cleri Romani festa S. Cyrilli Alexandrini diei XX Februarii, S. Cyrilli Hierosolymitani diei XX Martii , S. Augustini Cantuariensis diei VII Iunii et S. Iosaphat Polocensis diei XIV Decembris. Quo vero

in utroque Kalendario tum Universali tum Cleri Romani habeantur sedes liberae ad nova Officia introducenda, eadem Auctoritate Nostra volumus ac praecipimus, ut Rubrica Generalis Breviarii Romani tit. X de Translatione Festorum hac ratione mutetur; videlicet: « Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum) et Festa semiduplicia, si occursu Dominicae vel Maioris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen haec eo die fieri possint, secus huiusmodi festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur, ut de simplici cautum est in rubric. tit. IX num. X, tit. X num. VIII»: postremo ut praesentes litterae Apostolicae in novis editionibus Breviarii ad calcem Rubricae interim apponantur, donec accurata Rubricae ipsius correctio per Sacrorum Rituum Congregationem perficiatur. Haec praecipimus et mandamus, non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu. alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Latum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII Iulii MDCCCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno quinto.

TH. CARD. MERTEL.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

OPTIONIS (1)

Die ***10 Septembris 1881.***

C**ompendium facti**. Vaca vit die 25 Octobris 1880 Praepositura, altera ex dignitatibus Capituli Ecclesiae Cathedralis M. et Episcopus die 6 subsequentis Novembris suum Vicarium generalem in novum Praepositum elegit, eidemque canonicam dedit institutionem. Verum Canonicus Ioannes, qui una cum Capitulo hac de re ab Episcopo certioratus fuerat, ratus canonicatus et dignitates dictae Ecclesiae (excepta prima dumtaxat, quae Apostolicae Sedi est reservata) optionis iuri obnoxias esse, sibique huiusmodi ius pro illa vice competere, die 14 eiusdem Novembris formiter declaravit, se vacantem Praeposituram optare.

Habita hac Canonici Ioannis declaratione, Rmus Episcopus, supplici dato libello, S. C. C. recursum exhibuit, praedicta exponens, ac expetivit ut praesens controversia a S. C. G. definiretur.

SBisceptaiio s?IB»gitici»

E**piscopi defensio**. Ab initio ostendit Rmi Episcopi defensor quod optionis privilegium et Ecclesiae disciplina et doctores omnes non modo odiosum praedicant, sed etiam iuri communi contrarium, quia beneficia per institutionem, non per optionem conferenda sunt, *cap. 3 de Insta,* et quia in iure definitum est, neminem propria auctoritate beneficium

(1) Recolc Volumina T, pa?. 661, V, 589, VIII. 350, XIII, 1E6.

obtinere posse, sine Episcopi vel Pontificis collatione *cap. 26 de iurepatr.* Scilicet optio tum Episcopi, cum cleri libertatem imminuit, et servitutem inducit contra communem conferendi rationem atque ita non modo a iure communi non inducitur, sed privilegii loco habetur, *Barbosa de canon, ea. 30 §. 2. Gagliardi de benef, eccles, ea. 10 pag. 270.*

Inde sequi, ait, plerumque optiones saltem *praeter ius* invectas censeri : alias vero esse, prout in casu, quae omnino *contra ius* renuntiante, cum non praebendam aliquam a titulo canonicali distinctam, afficiunt, sed praebendam canonicatui perpetuo defixam ; *Barbosa de canon, et dignit. ea. 30* §.3. Agi in casu de optione *contra ius* ex facto ostendit quod canonicus Ioannes praeposituralem praebendam optavit, quae tituli mutationem necessario inducit, quaeque a Summo Ecclesiae Antistite Pio IX praebendae Garnara perpetuo adnexa atque unita fuit.

Iure igitur adversante, nunquam optionis privilegium admittendum concludit, nisi legitimis praesidiis constitutum luculentissime probetur, atque in dubio pro iure communi esse decernendum. Privilegia enim omnia stricte interpretanda sunt, nec unquam praesumi vel sine delectu admitti possunt; *Rota in decis. 165 §. 11 seqq. to. 16 Recent.*

Disserit autem de iis quae Canonicus Ioannes in medium protulit, ut optionis validitatem ostenderet : de constitutionibus scilicet, ac de consuetudine.

Quod ad constitutiones attinet, illas omnino posthabendas affirmavit, quippe quae et nunquam approbatae sunt et contraria consuetudine evanuerunt. Nunquam approbatae sunt, quia Xistus Quartus Pontifex de Apostolica sanctione rogatus, negocium Cardinali Poenitentiario commisit, qui constitutionum schema ne vidit quidem, et mixtum exequutorem delegavit eiusdem Ecclesiae Archidiaconum, ea tamen adiecta conditione « *si eos inspectione ipsorum statutorum illa rationabilia et rite facta esse et quod a iuris communis dispositione non devient, inveneris, super quo tuam conscientiam oneramus. . . approbo et confirmo* ». Haec oppido

verba ita interpretanda ait, ut quidquid iuri communi consonum sit, approbatum fuerit : quidquid ab eo dissentiat, improbatum. Atque illud exploratissimum habendum quod nullum optioni legitimum initium adscribi potest.

His igitur praemissis, centenariam atque immemorabilem observantiam requiri ait, quia non modo de privilegio res est, sed de privilegio contra ius; *Passerin. in sext. de consuet. ea. 4 num. 80.* Optiones vero, quas Canonicus Ioannes in medium profert, nonaginta annorum spatium omnino non attingere. Duo praeterea temporis adiuncta distinguenda putat: tempus scilicet a constitutionibus editis usque ad annum 1602, et alterum ex anno 1602 ad hodiernam diem. Quoad primum tempus se noninficiari ait, locum quandoque optionibus fuisse; raro autem ac triginta elapsis annis post editas constitutiones. Sed longe aliter se res habuit post annum 1602, quia et Apostolica Sedes ius optionis improbavit et in ipso Capituli gremio opinio invaluit, privilegium amplius sustineri noa posse, ceu refert capitularis historicus.

Quae cum ita sint, duo pariter gravissima facile evinci affirmat. Primo, quod Canonicus Ioannes causa decidat oportet, cum neque privilegio ex constitutionibus, neque consuetudine niti valeat. Secundo quod tercentum ferme annis consuetudo viguit contra optionem, quae maximo in pretio habenda est,cum brevior temporis lapsu* sive ad interpretandum, sive etiam ad praescribendum contra quaelibet solidissima iura sufficeret.

Tum vero contrariis obiectionibus occurrit, atque illam prae ceteris expendit, quod ius optionis facultativum est, atque in facultativis praescriptio non admittitur. Illud autem initio animadvertendum tradit quod, cum agatur de privilegiis contra iuris disciplinam inductis, unde alieni iuris iactura derivai, semper praescriptio admitti solet, etiam in facultativis: *Bota in decis. 285 num. 23 par. 9 tom. 1 Rec.* Atque eo magis obiectionem reiiciendam quia, quidquid in communi triginta annorum praescriptione censeri valeat in qua non usus occasioni vel oscitatinni tribui potest, ab-

sonum esset iisdem causis adscribere ter saecularem abstinentiam, quae nonnisi ex necessitate gigni censetur ; *Rota decis. 24 num. 11 seqq. coram Ubago, decis. 85 §. 8par. V to. 1 Recent... decis. 389p. 3* §. *4 Recent.*

Haec autem praeter necessitatem se attulisse tradit. In casu enim de facultativis actibus quaestionem institui non posse contendit, quia plus quam semel hoc tercentum annorum lapsu Capitulum optantibus restitit, et illi acquieverunt. Quibus ita positis, quod facultativum per se fuisset, necessarium demonstratur, ac propterea praescriptionem in hisce terminis admitti concludit. *De Luca de benef. disc. 58%. 7 et disc. 2 %-'4 de regul.*

Tametsi hactenus perinde se disputasse dicit ac si de vera et propria praescriptione ageretur, vere tamen ac proprie de *interpretatione* rem esse. Scilicet, dum capitulares constitutiones optionem admittunt, quaeritur utrum valide statutum fuerit, utrum ab ipsis constitutionibus impugnatum. In ancipiti rerum facie sanctae Sedis repugnantiam accedere ait, Capituli testimonia, tercentenariam consuetudinem, partium acquiescentiam. Iuris igitur abrogationem liquidam esse, vel saltem ius optionis plurimis esse exceptionibus obnoxium: ae propterea de observantia *interpretativa,* seu *praesumptiva* potius disputandum, in qua diuturna observantia, ac praesertim centenaria, etiam ex facultativis atque affirmativis actibus rem probatam conficit ; *Rota in Imolen. decimarum 5 Maii 1781 §. 8 coram Litt a ; in confirmatoria 15 Iunii coram eodem.* E? dictis ergo corruit contradictoris obiectio , quod nempe ius optionis invectum a constitutionibus capitularibus, nequit abrogari per non usum, sed expressam requirit abrogationem. Quidquid enim a iure communi ab^ horret vel privilegium inducit, stricte interpretandum atque in dubio reiiciendum est.

Praeterea valde existimandum est testimonium Capituli: etenim asseritur nedum optiones idem reiecisse, sed ideo reiecisse, quia statutum numquam ad praxim deductum fuit, vel etiam quia ius optionis vim habere cessavit. Agitur ergo

de iure, non de singulis casibus. Pro nihilo pariter habenda est obiectio quod Vicarius generalis opta v it, elapso optionis termino. Optavit enim ad abundantiam, quum iam ab Episcopo obtinuisset collationem et institutionem illius praebendae. Episcopum vero iure suo usum esse, non iure optionis, tradit, atque ita usum, ut neque iuris canonici legibus, neque Ecclesiae disciplinae, neque loci consuetudini adversaretur: eoquod praeelegit hominem, qui vitae integritate praestat, et cuius opera ipse Episcopus utitur in pastorali munere obeundo.

DEFENSIO CANONICI IOANNIS. Orator vero qui ius optionis defendit, ait, in illa Cathedrali ecclesia existere *duodecim* Canonicatus *iisdem privilegiis, honoribus, praerogativis et iure antianitatis,* omnes a lege civili recognitos. Alios vero *septem* peculiaribus legibus regi et periculo supressionis esse obnoxios. His praenotatis protuetur excipiendam esse petitionem Canonici Ioannis, quia senior, et qui **i** tempore utili vacantem Praeposturae canonicatum optavit, iuxta claram statutorum legem a s. Sede approbatam, *Cap. 12 « si voluerint, possint meliores, et pinguiores optare praebendas; quam optionem* statuerunt *intra viginti dies post notificationem praebendae vacantis et non ultra esse finiendam » ;* ideoque prorsus nullam atque irritam esse contendit collationem ab Ordinario peractam favore Vicarii generalis qui praeterea, elapso termino, incohaerenter eamdem optionem expetivit.

Utrumque distincto capite pertractare sategit, nomini'a super statum, et criterium controversiae praemittens. Ac *'prae ceteris* quaestionem agi in petitorio (1) titulo; unde quidquid

(1) Ratione materiae controversae indicium dividitur in petitorinm et possessorium: *u* Petitorium vocatur in quo » litigatur de proprietate rei, idest in » quo disceptatur super rei (v. gr. do- » mus, beneficii ecclesiastici, ant iuris » eligendi vel patronatus) dominio vel » quasi dominio ; vel super iure aliquo » in re, aut ad rem competente, puta » de iure pignoris, seivitutis, haeredi- » tatis etc.; petitque actor se rei con- » troversae declarari dominum vel quasi » dominum , aut sibi ius in re vel ad » rem competere.... Possessorium iudi- » cium est in quo, inter partes contentio » èst de sola rei vel iuris possessione

extra claram ac vigentem legem adducitur, inter abusus, violationem, et errores est amandandum. Tantum iuris, ac praerogativarum competere Canonicis, cuiuscumque sint erectionis, quantum eisdem a fundatorum voluntate, et ex consensu Capituli, comprobante Ordinario, fuit attributum. De Luca *de Canon. Disc. 6 n. 13;* Gratianus *Discept. 867 fer tot.* Unde nulla repugnantia exinde infertur, quod possessores praebendarum iurispatronatus, praesertim Ecclesiastici, possint meliorem optare praebendam, nec ullum praeiudicium ipsis Patronis infertur, qui profecto non amittunt ius nominandi. Ac demum promiscue optionem ad Dignitatem inferioris gradus admitti praemonet ex *Moneta cit. loc. c. 28.*

Post haec ostendere sibi proponit « Ius optionis competere singulis Canonicis ad massam capitularem pertinentibus, ita ut collatio Ordinarii nullimode sustineatur. Enimvero si in omnibus Capitulis et Collegiis, teste De Luca *De Iudic. Disc. 35 num. 49* attenduntur prius *statuta,* quibus membra reguntur, et postea ius commune in omnibus servatur controversiis, multo illud magis praevalere affirmat in themate, ubi ius optandi conceditur conformiter ad textum *cap. fin. de Consuet. in 6 et cap. 5 et 9 dict. 74,* et iustitiae et aequitati consentaneum est, ut qui prae ceteris laboris, diuturnique servitii onus tulerunt, prae ceteris quoque remunerationis commodum percipiant. Âc reapse id decernunt statuta a Delegato apostolico approbata, in Cap. 12 de optione praebendarum. Quae dispositio iisdem ferme verbis exprimitur *in cit. cap. in fin. de Consuetudine,* ubi ipsemet Summus Pontifex suis executoribus imperat, ut sartum ius optandi praesentent, donec utili tempore praebendae optentur.

Ius optandi executioni commissum fuisse ab anno 1511 usque ad annum 1803 ostendit orator, adducens varios optio-

» adipiscenda, retinenda vel recuperanda; » cum scilicet tantum actor petit , vel •» ut adipiscatur possessionem quietam, -» nec in ea turbetur , vel ut recuperet *n* amissam. » Schmalgr. in tit. *de Iudiciis* lib. 2. Decret, n. 5. In themate agitur de iure optionis, iudicio petitorio.

nis casus. Attamen, missa explicatione super factis specificis, ait orator, nullum praeiudicium iuri optandi inlatum fuisse propter non usum ab anno 1804 usque ad praesens. Argumentati enim : cum facultative optio concedatur *si voluerint,* haec conditio contemplatur etiam -potestatem non optandi, sicuti liberae actiones, quae in faciendo, vel non faciendo consistunt. Dum enimhic actus dicitur-facultativas, *non usus* non praeiudicat ; Rota *Dec. 178 Diversor. Actus enim negativus* nihil infert (Cravetta *Cons. 319 num. 13 v. 19 etc.)*

Inter alia in iure animadvertit orator, cum ex capitulari relatione nulla posterior abrogatio priorem legem sustulerit, exinde sequi ut in suo robore maneat statutum cum clausula irritanti a Summo Pontifice approbatum. *Nihil enim tam naturale est quam eo genere quidve dissolvi, quo colligatum est.* (Reg. Iur. 36). S. C. C. in *Pragen. 14 Iun. 1862.* Atque eo fortius quia poenae contra violatores decreto irritanti statuuntur, quod tollit et inficit consuetudinem, nedum in praeteritum, sed etiam in futurum, *Barbosa Clausul. 40 num. 2 et 35 Gonzalez Gloss. 67 num. 50.*

Ad haec, late evolvit naturam actus facoltativi qui nulli subiiciuntur praescriptioni, utpote quia cuiusque libero arbitrio relinquuntur, nec ullum ex non usu praeiudicium induci comprobat auctoritate canonistarum Scarfant. *JEluc. Can. ad Dec. IV Tom. II num. 11* Schmalzgrueber *Ius.Ucci. Tit.XXVI num. 28 de Luca,* Rota etc. In specie autem facultatem optandi per non usum non tolli docet Moneta *Tract, de Optione quaest. II num. 18.*

Perperam vero, pergit Orator, interpretatio fieret de contrario usu, semel ac enim lex viget de iure optandi cum observantia trium saeculorum, si optio effectum non habuit ex speciali aliqua circumstantia, idcirco contrarius usus non arguitur. Ostendit autem orator frustra et incohaerenter Vicarium generalem invocare optionem, mutato quaestionis statu; eius enim agendi ratio validius optandi ius confirmat. Quod ius optionis nunc pertinet ad praebendam Canonici Ioannis, receptam cum iisdem honoribus et *praerogativa antianitatis.*

Etsi vero dici vellet quod perfrui posset iure optionis praebenda Vicarii generalis, ex patronatu laicali, et extra massam posita, huiusmodi optionem nullius esse roboris patet, quia post utilem 20 dierum terminum emissa fuit. Peremptorius etenim terminus determinatur in statutis *intra viginti dies,* et non ultra esse *finiendam* conformiter ad textum *cap. fin. de Consuet. in 6*[c] *Gonzalez, ad reg. 8 gloss. 34, Antonelli de tempore legali Lib. 4 cap. 28 num. 3, Barbosa de Canon. cap. 30;*

Hisce itaque pro utraque parte praemissis, enodandum propositum fuit sequens

Dubium

An constet de iure optandi ad canonicatum vacantem favore Canonici Ioannis, seu potius an sustineatur collatio favore Vicarii generalis, facta per Ordinarium in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congreg. Concilii, re ponderata, sub die 10 Septembris 1881 censuit respondere :

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ex. **QUIBUS COLLIGES:**

I Iuri communi haud inniti ius optionis, sed inveni statuto, consuetudine aut Apostolico privilegio.

II In vehi consuetudine ius huiusmodi colligitur ex *cap. IV de consuet.* ubi Bonifacius VIII ait : « *Cum in tua Ecclesia, in qua consuetudo habetur quod antiquiores Canonici gradatim meliores, si voluerint, possint, cum vacant per se vel per alios optare praebendas*___»

III Ius hoc tamen exercendum esse intra viginti dies ex iure communi erui, aiente Bonifacio VIII eod. cap. *Ne praetextu eiusdem consuetudinis, provisiones... ultra debitum differantur, statuimus ut executores...* (1) *optare volentes per viginti dies dumtaxat expectent...*

(1) Bonifacius VIII claris verbis hoc in capite latam habet optandi conenetudinem. Iubet enim hanc servandam esse per executores litterarum Apostoli-

IV Ius optionis in themate originem ducere ex Capituli Constitutionibus, ab Apostolica Sede approbatis ; quas in suo robore manere deprehenditur, ex quo posterius abrogatae non fuerint.

V Ius optionis consentaneum esse iustitiae et aequitati : •decet enim ut qui prae ceteris laboris diurniqué servitii onera tulerint, prae ceteris quoque remunerationis commodum persentiant.

VI Optandi consuetudinem haud tolli per non usum plures autumant auctores : quum enim optio concedatur facultative, *si voluerint,* conditio haec contemplatur etiam potestatem non optandi; veluti liberae actiones, quae in faciendo vel non faciendo consistunt ; ideo iura facultatis imperscriptibilia dicuntur.

VII Hinc s. C. Congregationem, in themate resolvisse adhuc constare de iure optandi, etsi ex longo temporis intervallo peremptum esse videri posset.

«aram etiam cum Summus Pontifex mandat provideri alicui de praebenda, proxime vacatura. Ita ut illi, pro quo Papa scripsit, confei'enda sit praebenda, quae optata non fuerit (si nulli sit debita) postquam antiquiores optionis ius exercuerat: quod possunt si adsit legitima consuetudo, non obstante huiusmodi mandato.

SPONSALIUM

Die 17 Decembris 1881

COMPENDIUM FACTI. Cosma matrimonium initurus cum crratia, puella sibi benevisa, omnia perficere curavit quae, iuxta ecclesiasticas leges matrimonii celebrationem praecedant oportet. Rem ut cognovit Teresia, cum qua dictus Cosma **H** atorias consuetudines per plures annos habuerat, sub die

7 Iunii 1877 proprium Parochum adivit, impedimentum sponsalium contra liberum statum ipsius Cosmae producens, a quo, sub spe futuri matrimonii, defloratam ac utero gravem effectam fuisse asseruit. Hisce freta rationibus recursum apud Curiam episcopalem renovavit, adductis tribus testibus. Curia autem, confectis tabulis processualibus, testibus formali examini suppositis, ac omnibus de more perpensis, die 23 Ianuarii 1878 sententiam, mulieris votis inimicam, protulit.

Ab hac Curiae episcopalis sententia meliorem exitum praestolata, appellationem . ad Archiepiscopum Teresia interposuit. Nec perperam : quandoquidem Curia metropolitana, ad trutinam revocata primi gradus sententia, eam sub die 5 Octobris anni praeterlapso infirmandam ac nullius roboris declarandam censuit, et Cosmam teneri Teresiam in uxorem ducere decrevit. Tunc Cosma, haud fractus animo, ab hoc decreto Curiae metropolitanas ad s. C. Congregationem appellavit.

Archiepiscopus de more requisitus praemisit, Doctores omnes requirere in sponsalibus repromissionem, ut enasci ex eisdem queat impedimentum publicae honestatis ; deinde prosequutus est: « Etsi in processu repromissio sponsae desideratur, » attamen ex Uteris sponsi, et ex testibus clare apparet non de» » esse promissionem sponsi, vi cuius ipse tenetur in uxorem » sponsam ducere ; siquidem stare potest promissio unius cum » acceptatione alterius, qui non repromittat. Verum regula» riter una pars non censetur se obligare independenter ab » alia, quia quisque censetur velle contractum inire iuxta na» turam illius. Ita Scavini. »

« Praeterea ex processu constat, sponsum rem habuisse » cum sponsa et déflorasse : idcirco sponsus tenetur ad ma> trimonium contrahendum cum sponsa, cum ipsa sit hone» sfae vitae et aequalis conditionis, ex contractu innommato » facio ut facias, do ut des, quia tunc damnum nullo alio » modo adaequate reparari potest, ut tenendum est cum Divo » Thoma. Cum autem adsint causae canonicae pro quibus > sponsus deflorator non tenetur ad matrimonium contrallen» dum, debet sponsam dotare iuxta eius conditionem . »

Disceptatio synoptiea

DEFENSIO TERESIAE. Sponsalia inter contractus recenseri, qui simplici et nudo consensu perficiuntur, aliquo modo exterius ac sensibiliter expresso, quin specifica verboruni formula opus sit, docet *L. 4 ff. de spons.* Gloss, *in cap. tuae fraternitati eoo Spons.* s. Rota *in Maioricen. Sponsalium 25 Aprilis 1747* §. *quia recensitis coram Bussio.* Porro in themate, de quo agitur, huiusmodi mutuum consensum, seu reciprocam voluntatis significationem, nedum verbis sed factis, quae potentiora sunt verbis, expressam locum habuisse, tum ex testium depositionibus, tum ex ipsius Oosmae Uteris ad Teresiam missis, luce meridiana erui posse videtur.

Verum admisso parumper, at non concesso, quod Teresia suum consensum verbis expressum haud dederit, factis tamen consensisse nemo inficias ibit ; quandoquidem Teresiam a Cosma defloratam et matrem effectam fuisse, testes in iudicium adducti perhibent, idque neque ipse Cosma diffitetur. Porro copulam carnalem, signum sufficiens sponsalitii consensus praebere, si mulier honesta sit, tradit cum communi, Reiffenst. *in Ius Canon, ad lib. 4 decretai, de sponsal. et matrim.* §. *5 num. 68* hanc rationem adducens - ibi - « quia » honesta puella non censetur praebere usum corporis, nisi suo » sponso , ac sub spe futuri matrimonii, sub qua puel» lae, etiam ceteroquin honestae, facile persuadentur. » Concinit Perez *de Matrim, disp. 12 tit. de spons.* s. Ptota in *Romana Sponsalium 26 Ianuarii 1738 coram Nunez_, in Leodien, seu Aquis granen. Sponsalium 3 Februarii 1741 §. Idque coram de lunn.* S. Congregatio in *Laepontina Sponsal. 7 Maii 1857* §. *Hisce,* et in *Tranen. Sponsalium 29 Ianuarii* §. *4 Hinc.* Porro Teresiam mulierem honestam esse omnes testes uno ore deponunt.

In tuto itaque posita sponsalium existentia eorumque efficacia ex eo quod adfuit promissio viri, et repromissio sive a verbis, sive a defloratione cum praegnantia, mulieris desumpta, quam testes omnes et ipse Parochus honestam renun-

tiant ; sententiam, a Curia metropolitana latam, confirmandam esse sponte veluti sua fluit.

DEFENSIO COSMAE. Contra vero favore Cosmae haec animadvertenda occurrunt. Tralatitium in iure esse, sponsalia contrahi haud posse, nisi promissio unius et repromissio seu acceptatio alterius sponsi praecesserit. Et optimo sane iure: quandoquidem sponsalia nihil aliud sunt, nisi *mentio et repromissio futurarum nuptiarum I. 1 ff. de Sponsalibus et Cap. 31 de Sponsal. et Matrim.*

Tralatitium pariter in iure est, ut quoties agatur de existentia sponsalium vindicanda, quae hominis libertatem restringunt eique perpetuum iugum imponunt, haec non indiciis et coniecturis, sed validissimis argumentis probari debeant, quae contrahentium, voluntatem patefaciant, s. Rota *decis. 242 p. 11 Recent, num. 3, decis. 267p. 18 num. 1, et in Pampilonen. Sponsalium 28 Iunii 1755 §. 5 coram Borull.* Concinit S. O. C. in *Neritonen. Sponsalium 1 Aprilis 1866 %..JE contra.*

Hisce in iure positis , explorati facti esse, constat in themate mutuam hanc viri et mulieris promissionem, a iure requisitam haud interfuisse, neque eam ex testibus a Teresia adductis evinci posse ; quandoquidem ii, suis depositionibus, vel nihil aliud ad rem probant quam amatorias et turpes consuetudines vel, atpote exceptionibus obnoxii, nullam fidem merentur. Si itaque ex testibus a Teresia pro existentia et validitate sponsalium vindicanda adductis, nihil argui potest, cum quidam de mutuo consensu in futurum matrimonium elicito nihil dicant, quidam vero etsi dicant, plenam tamen fidem haud faciunt, quia exceptiones sive in persona, sive in dictis patiuntur ; sponte sua fluit verum et formalem sponsalium contractum in themate haud probari posse.

Neque in maiori pretio habendas esse subdit literas, quas, perdurante tempore, quo militiae addictus erat Cosma Teresiae scribebat : hae siquidem literae de amatoriis consuetudinibus et de concubitu habito loquuntur, quorum meminisse ipse Cosma deliciebatur. Quo vero ad futuri matrimonii pro-

missionem ex parte viri et subsequutam acceptationem mulieris, ibi neque vola neque vestigium reperitur.

Tandem argumentum ex passa defloratione derivatimi, vi cuius Teresia existentiam sponsalium evincere studet, nullius roboris habendum esse videtur, quandoquidem Teresia demonstrare deberet deflorationem, cuius auctor fuit Cosma, sub data matrimonii fide patratam fuisse; Conscius *de Sponsal. not. 7 num. 72. s. Rota decis. 374 num. 7 coram Celso, et in Camerinen. Sponsalium 22 Novembris 1727 num. 11 coram Calcagnino.* Huiusmodi demonstratione deficiente, defloratio libidinem, non vero sponsalia, innuit. Iamvero deflorationem sub data matrimonii fide contigisse ex modo recitatis nullo modo argui posse Cosma edisserit.

Inutili autem nisu ad praesumptionem confugeretur, qua docemur, mulierem honestam sui corporis copiam haud facere, nisi spe futuri matrimonii allecta. Etenim si haec praesumptio in iudiciis admitteretur, fraudibus et calumniis facilis aditus aperiretur, et mulierculis ansa praeberetur homines quoscumque vellent decipiendi, ceu tradit Rota *in Maioricen. Sponsal. 6 Martii 1752 §. Asserit coram Amadeo.* At, hoc praetermisso, de Teresiae honestate, tantopere magnificata, valde ambigendum esse suadet testis alter, qui sub iuramenti religione deposuit se scire, Teresiam amores confovisse cum aliis duobus iuvenibus, antequam Cosma militiae addiceretur.

Si itaque ex adhuc disputatis evinci haud potest mutuum Cosmae et Teresiae in futuras nuptias consensum reapse interfuisse ; si huiusmodi consensus praesumi haud valet ex passa defloratione, quia de Teresiae vitae honestate probe non constat, concludi posse videtur pro sponsalium nullitate decernendum, ac proinde Curiae Archiepiscopalis sententiam infirmandam esse.

Hisce in utramque partem expensis, EE, PP. iudicio remissum fuit sequens dirimere

lìubium

An sententia Curiae Archiepiscopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra **C.** O. re ponderata, sub die 17 Decembris 1881 censuit respondere :

Sententiam esse confirmandam et ad mentem. (1)

(1) Loco deductionum , quae fieri selent , solummodo notamus , quod ex testibus probatum videtur in themate, puellam fuisse honestae vitae. Quamvis communiter sponsalium contractus verus non censeatur, si una tantum pars promittit; tamen dari potest casus, in quo acceptatio haec repromissioni aequivaleat, si mulier ex. gr. quae honesta sit, in tantum sui dedecus inducatur, ut post acceptationem promissionis, deflorationem patiatur. In themate dari hanc exceptionem, s. O. C. visa est admisisse, ex quo ratam habuit sententiam Curiae archiepiscopalis, quae vera adesse sponsalia in casu censuit , etsi repromissio mulieris haud probaretur. Nam puella honesta ex DD. non censetur concedere usum corporis sui, nisi sub spe futuri matrimonii. Quam iurisprudentiam pluries sequutam fuisse s. C. O. colliges ex Vol. I, pag. 75 et 342, Vol. II, pag. 147, Vol. III, pag. 304.

PRIVATIONIS PAROECIAS

Die 17 Decembris 1881.

COMPENDIUM FACTI. Ad praesentationem patroni laici Benedictus sacerdos Paroeciam obtinuit in Dioecesi S. anno 1863. Verumtamen paucis vix mensibus a capta possessione elapsis, tum septuaginta oppidani, tum Syndicus loci, tum Vicarius foraneus, tum Praefectus provinciae, tum denique *Ministerium Cultus* ad Archiepiscopum recursum habuerunt, uno ore expostulantes, ut Parochus Benedictus ab animarum cura removeretur. Quapropter pro visionali Archiepiscopalis Curiae decreto diei 30 Iulii 1864 suspensus ab officio parochiali, die vero 23 Augusti proxime subsequentis a paroecia discessit. Loci autem Syndico instante, processus penes eamdem Curiam institutus fuit, ac die 26 Ianuarii 1866

•sententia lata est, qua *ob odium publicum, disertionem Ecclesiae parochialis, neglectam pastoralem curam, aliasque causas circa administrationem Sacramentorum, celebrationem Missae parochialis, bonam famam* praefatum provisionale decretum confirmatum fuit, medietate congruae Parocho assignata, qui nihilominus per aliquod tempus eam integram a Patrono percipere perrexit. Anno 1879, sede Episcopali vacante, Vicarius capitularis annuens supplicationibus Benedicti, permisit eidem ut in paroeciam reverteretur, a qua tamen paucos post mtenses, ira et indignatione populi fugere noctu coactus fuit.

Novus Praesul post sexennium et ultra Benedicto Paroeciam eamdem commisit, motus illius precibus, quem immutatum censuit. Ast malo fato id factum fuisse videtur, quandoquidem Parochus in peius, non in melius, immutatus, post paucos menses tertio a paroecia abscedere debuit, ad •quam non amplius usque ad hodiernam diem reversus est, licet nullum non moverit lapidem, ut Archiepiscopi consensum obtineret. Omnibus itaque eius conatibus fractis et in irritum cessis, Archiepiscopum indus rapuit coram laico Praetore, ab eo petens ut illum damnarèt in *id quod interest;* verum sententia actori non arrisit.

Tanta Parochi audacia commotus Archiepiscopus, eumdem censuris innodatum declaravit, ac die 12 Martii 1881, ad S. C. O. recursum habuit, transmittens Parochi epistolam, iniuriosam Episcopali dignitati; facta autem non fand a de Parocho enarrans, ac enixe postulans ut S. C. Congregatio -eumdem paroecia privaret.

Sacra Congregatio rescripsit : *Archiepiscopus procedat ad formam iuris.* Hic tamen retulit formalem processum fieri non posse ob temporum nequitiam. Patefecit etiam, Parochum celebrasse missam, etsi suspensum ; transmisitque ad s. Congregationem libellum famosum, typis evulgatum et epistolam »contumeliosam parochi, qua se appellaturum ad superius laicum tribunal minitábatur. Tunc s. C. C. rescripsit ut Antistes processum conficeret, saltem forma summaria. Sed eodem

mense Parochus recursum habuit in quo querebatur quod Archiepiscopus neque processum conficeret, neque paroeciam restitueret oratori. Antistes iterum rogatus documenta ad rem facientia transmisit, simulque prolixum epistolium, quo, Parochi aifirmationibus denuo refutatis, declarat se processum conficere non posse, eo quod, cum ipse iniuriis ac contumeliis fuerit lacessitus, iudex foret in causa propria. Retulit quoque idem Antistes, Parochum in ius rapuisse coram Praetore> Oeconomum, ut ad fructus beneficii restituendos adigeretur.

Disceptatio Synoptica.

EA QUAE ADVERSANTUR PAROCHO. In primis ex parte Archiepiscopi perpendendum occurrit, quod quamvis ex Tridentino *Sess. 25 Cap. 14 de Ref.* in poenis infTigendis forma graduatoria servanda sit, priusquam ad privationem beneficii devenire liceat, ut qui puniendi sunt, antequam extrema remedia adhibeantur, valeant resipiscere ; tamen diversimode ex eadem Tridentina Synodo *Sess. 21 cap. 6 de Ref.* procedendum esse docemur contra Parochos turpiter et scandalose viventes. Hos enim non gradatim, sed recta via privandos esse animarum cura statuunt Tridentini Patres, si postquam moniti et correcti fuerint, adhuc incorrigibiles perseveraverint, ceu habet *Giraldi Eooposit. Iuris Pontif. part. 1 lib. 3 Decret, tit. 2 de cohdbit. Cleric. sect. 332 pag. 228* et resolvit S. C. C. *in Burgi S. Donnini Parochialis 4 Maii 1737*. Ex quibus patere videtur nulla forma opus esse in infligenda poena contra Parochos turpem et scandalosam vitam agentes.

Iamvero, si examini subiiciantur documenta, hanc causam respicientia, quae in actis prostant, pravitas vitae Parochi Benedicti, eiusque incorrigibilitas adeo manifesta apparet, ut ad eius depositionem iure meritoque deveniendum esse videatur. Et re quidem vera Syndicus loci scripsit ad Archiepiscopum multa enarrans, per quae Parochus, paucis post captam paroeciae possessionem mensibus, odium plebis in se ita

concitavit, ut omnes eius peterent remotionem. Eadem retulerunt Archiepiscopo septuaginta paroeciae incolae ; et Ministerium cultus certiorem fecit Praesulem, odii generalis signum factum fuisse Parochum Benedictum ob eius pessimam vitae rationem sub quocumque titulo, haud excluso sodomiae crimine, de quo accusabatur.

Affirmavit etiam Archiepiscopus accusatum fuisse Parochum illum de nimia consuetudine cum feminis malae vitae; et declaratum fuisse, in processu contra eum peracto, usurarium, contemptorem fori ecclesiastici, maledicum, et calumniatorem. Eisdem qualitatibus deornari etiam in praesens facile deprehendi, ex quo Oeconomum, ipsumque Archiepiscopum in ius rapuerit coram laico tribunali. Nec satis, sed eius furor eo pervenit, ut famosum typis ediderit libellum, in quo inter probra complurima, Archiepiscopus de labe simoniaca redargui tur. Neque diverso stylo conscriptae inveniuntur epistolae a Parocho ad Archiepiscopum datae, quandoquidem non erubescit ipsum appellare hominem absque conscientia, tyramnum, barbarum, excommunicatum, Simoni Mago affinitate coniunctum, calumniatorem, mendacem primae notae.

Denique praetereundum haud est, Parochum illum, licet suspensione irre titum, celebrasse missam pluribus in locis ideoque irregularitatem contraxisse. Qua de re concludendum videtur ad eiusdem depositionem ab officio parochiali iure deveniendum esse, iuxta Archiepiscopi petitionem.

EA QUAE PAROCHO FAVENT. Contra vero perpendendum, exploratum in iure esse, quod posita inamovibilitate Parochi, privatio Beneficii infligi non valet, nisi trina vel saltem una peremptoria monitio, et processus ad tramites sacrorum canonum praecesserit. *Cap. Sacro 48 de Sent. Excom. cap. Romana, cap. Statutum eod. tit. in 6°.* Ad rem in causa *s. Severini 4 Aprilis 1778* penes S. C. C. agitata officiales conclusiones pro Parocho Laetti admonebant sub § *Addit* - ibi -
« Ad perpetuam privationem vel suspensionem tria requiri,
> nempe causam gravem, concedentem probationem et ca-
» nonicam servatam formam. . . Nam ex Concilio Tridentino

» non quaevis inhonesta conversatio iustam causam praebet » privationis, sed ea cui praecessit trina monitio.> Hincad propositum dubium : « *An sustineatur appositio Oeconomi, seu potius Parochus sit reintegrandus* » s. Congregatio responsum tulit: € *Negative ad primam partem* **y** *affirmative ad secundam, reservato iure promotori fiscali agendi contra Laetti, ad formam Concilii Tridentini, et amplius».*

Atque adeo in hisce substantialibus formis s. Congregatio insistit, ut quando agitur, ut in themate, de privatione paroeciae propter gravissimas contra Parochum imputationes, processum fieri iusserit sumptibus Episcopi, ceu ostendit *Piacentina Restitutionis et rehabilitationis in Paroeciam diei 14 Iunii 1846.* Cum in themate forma a ss. canonibus praescripta omnino praetermissa fuerit, ideo quisquis videt ad paroeciae privationem procedi non posse. Neque causae adductae ad probandam Praesulis petitionem in facto existunt. Etenim quoad populi aversionem, si demas inclamationes nonnullorum, qui tamen haud sunt omni exceptione maiores, alii ne obmussitarunt quidem.

Praeterea constat ex actis quod parochus *prima vice* deserere paroeciam coactus fuerit ex iniusta persecutione. Ex quo fit ut iustitiae legibus haud niteretur Curiae sententia, qua paroecia privatus fuit. Etiam *secunda vice* fugere a Paroecia coactus fuit, cum Oeconomi persecutio recrudescere coepit.

Perperam autem ad cohonestandam propriam agendi rationem Archiepiscopus confugit ad citationem eiusdem Antistitis et Oeconomi coram laico Praetore, vel etiam ad publicationem famosi libelli; haec enim omnia, nil aliud in Parocho demonstrare videntur, nisi magnam animi exacerbationem, qua ductus et inopia pressus, omni modo se defendere curavit.

Ceterum si quae Parochus exponit veritate nituntur, etiam in Archiepiscopi sententia adeo pravus dicendus non est, ut beneficio curato sit expoliandus: nam in epistola, typis edita,

ad Apostolicum agentem data, agitur de quodam compositionis schemate ah Archiepiscopo proposito.

Inter odiosas tandem fabellas et calumnias amandanda videntur quae de Parocho opponuntur quoad mores ; quandoquidem praeter nudam adversariorum affirmationem, nulla affertur in actis probatio, ideoque vulgatum adagium *quod gratis asserituṛj gratis negatur* iure optimo in themate aptari posse videtur: cum nemo praesumatur malus nisi iuridice probetur. Res cum ita se habeant, concludendum videtur, locum in themate fieri potius Parochi redintegrationi, quam eiusdem depositioni.

Hisce breviter utrinque discussis EE. PP. iudicio suppositum fuit enodandum sequens

Dubium

An sit locus privationi paroeciae in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re discussa sub die 17 Decembris 1881, respondere censuit :

Affirmative et amplius ; et scribatur Archiepiscopo ad mentem.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I Ex *Trid. Sess. 21 cap. 6 de ref.* constitui parochos turpiter et scandalose viventes privari posse animarum cura, non procedendo gradatim, sed recta via, quatenus incorrigibiles permanserint, postquam moniti fuerint.

II Ipso iure beneficiis privari clericos, reos infandi criminis sodomiae constare ex Constit. *Horrendum* s. Pii V; ita ut quoad eosdem tantum opus sit sententia declaratoria.

III In infligendis poenis, rationem adhibendae formae graduatoriae in hoc positam esse ; nempe ut puniendus resipiscere valeat, antequam remedia extrema adhibeantur.

IV In themate rei resipiscentiam extra spem positam fuisse quisquis eruet ex dictis : nam diu et saepe monitus quotidie in peius ruit; ita ut suspensus pluries sacra litaverit, de sodomiae crimine accusaretur, libellum famosum typis evulgare!, in Praesulem , quem in ius quoque rapuit coram tribunali laico.

FRUCTUUM ET DISTRIBUTIONUM

Die 17 Decembris 1881.

COMPENDIUM FACTI. Hispanicum Presbyter Henricus **SSmo** Patri retulit: anno 1869 civile Gubernium renuisse solvere assignationes, ex concordato debitas, clero saeculari : hinc sese, rerum penuria, adactum fuisse propriam Chathedralem derelinquere, ut sibi victum compararet. Quas assignationes vero, prosequitur, persolutas fuisse a Gubernio anno 1879: ast Capitulum et Episcopum sibi denegavisse omnes fructus et reditus, tempori suae absentiae a Dioecesi respondentes; quamvis illi perno vissent legitimam discedendi causam. Episcopus de more rogatus respondit : nedum ex iniqua gubernii lege nunc miserrimum Cathedralium factum fuisse statum , sed etiam ex prava nonnullorum beneficiatorum consuetudine (quibus orator accensendus est) qui ad ecclesiam accedentes, venisse potius videntur ad divitias aucupandas,. quam ad iuge reddendum Deo servitium. Quum autem, ait Episcopus, oratoris absentia damnabilis omnino sit, ex quo defuit iusta abessendi causa, et superioris licentia, ideo fieri nequit quod ego eius non obsistam petitionibus.

Disceptatio Sy «optica

QUAE FAVENT CANONICO HENRICO. Qui infirmitate aut alia rationabili corporis necessitate laborant, excusantur a lege residentiae, ac veluti praesentes in choro habentur ad hoc, ut sive praebendae fructus, sive quotidianas distributiones lucrentur. Nam postquam Bonifacius VIII *cap. Consuetudinem de Cleric. non resident, in* 6° generatim constituit, absentes a choro distributionibus carere, haec statim adiungit : « Exceptis illis quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret.> Quae Bonifacii dispositio renovata et confirmata fait a Tridentino *cap. 12 sess. 24 de Reform.* Ast canonicus Henricus

non sponte, sed necessitate coactus, nempe egestate qua premebatur, residentiae locum deseruit ; ergo debentur eidem tum fructus praebendae, tum quotidianae distributiones. Neque de hoc dubitari potest, quum Hispaniarum civile gubernium, dotem Clerp in Concordato assignatam non persolvent : ex quo fiebat ut Ecclesiae ministri huc illuc vagari cogerentur, ut sibi compararent media ad vitam alendam.

Neque adesse potest dubium quin inter rationabiles causas cooptanda sit egestas, seu deficientia mediorum ad honestam sustentationem vitae. Mens enim Bonifacii in dicto capite unico : « fuit excludere ab istis distributionibus negligentes » vel contemnentes residere, non autem impotentes ; et im- > potentia dicitur quando absentia non est voluntaria, sed ab » aliquo facto causatur, ita ut non stet per Beneficiatum quo- » minus resideat », uti optime perpendit *Rota decis. 808 num. 8 et seqq. coram Motines.* Praeterea Canonicus Henricus locum residentiae deseruit, veniam obtinendo a Vicario generali Episcopi, qui tunc absens erat.

At hoc etiam praetermisso, explorati iuris est quod, quando urget necessitas locum residentiae deserendij Episcopi licentia non requiritur, ceu docet *Rota cit. decis. 808 num. 8 et seqq. cor. Motines* - ibi - « Imo urgente neces- » sitate non residendi, nec opus est dicta licentia pro lu- * crandis fructibus et distributionibus quotidianis; ut firmant » DD. in *dict. cap. un. de Çleric. non resid. in* 6°.»

Quod si per hypothesim defuit iusta causa deserendi locum residentiae, quidquid sit de distributionibus quotidianis, citra iustitiam fructibus canonicatus privatus fuisse videtur, quia servata non fuit Tridentini forma *sess. 24 cap. 12 de ref.* Quam quidem conciliarem formam necessario servandam esse, sub poena nullitatis actorum, docet *Ferraris Bibi. can. verb. Canonicatus art, 5 num. 20.* Consonat autem S. C. C. constans iurisprudentia, ceu videre est in *Cathacen. die 14 Novembris 1671; Ferentino Residentiae 20 Decembris 1820; Mexicana Residentiae 12 Iulii 1713.*

Fortius autem improbanda videtur agendi ratio Capituli

Hispanici, quia non solum haud servata graduali conciliari fructuum privatione, contra Canonicum Henricum processit ; sed neque eum monuit, neque citavit, ceu iura praescribunt, et s. C. C. resolvit in *Vercellen. Uh. 1, Beeret, pag. 190.* Haud insuper obliviscendum est, Omnes fructus massae Cathedralis illius consistere in quotidianis distributionibus ; quo casu, iuxta Tridentinum, duae tertiae partes habent rationem praebendae, tertia autem pars pro distributionibus assignatur, s. C. C. in *Brixien. Servitii chori 14 Augusti 1880; Cephal. Distr. 31* Martii 1870. Concludendum ergo videtur deberi Canonico Henrico saltem praebendae fructus.

QUAE CANONICO HENRICO ADVERSANTUR. Orator Capituli autem quinque innixus argumentis, contendit nullos deberi Canonico Henrico fructus suae praebendae.

Ac primum argumentum aggrediens ait : quod ex ipsa fundatione Cathedralis omnes redditus eiusdem semper efformabantur ex solis distributionibus quotidianis ; adeo ut ex hac ratione distribuendi fructus, legitima consuetudo enata sit, quae cum prae oculis habita fuerit in statutis a Capitulo efformatis, in legem statutariam conversa fuisse videtur. Porr» huiusmodi statuta, a Paulo III approbata, duo haec praescribunt in capite 21, scilicet ut fructus omnes in distributiones invertantur, atque ut eas qui Choro intersunt percipere valeant - ibi - « secundum vetera statuta huius sanctae Ec-
» clesiae, hac in re confirmata per Bullam Apostolicam
» (Pauli III) declaratur, ut omnes fructus in distributiones
» quotidianas invertantur, ita ut ad hoc ut suas faciat residens,
» Choro debet interesse cunctis diebus et horis canonicis anni».
Fundatio autem et consuetudo haec respondet votis Ecclesiae universalis et legi Tridentinae *Sess. 21 cap. 3* quae decernit, tertiam saltem praebendae partem invertendam esse in quotidianas distributiones, ubi nullae sunt distributiones. Quod fuse demonstrat Card. De Luca *in Adnot. ad Concil. Trid. disc. 15 n. 9.*

Secundum argumentum depromit orator ex iureiurando a Canonico Henrico praestito servandi, et servare faciendi prae-

fata statuta ; iuramentum siquidem sancte servandum esse omnis lex clamat, et docet Reiffenstuel *in Cap. de iureiur. lib. 2 h. t. num. 90:* quoties, res quae iuratur non sit illicita, vel contra bonos mores, vel impossibilis.

Ad tertium argumentum accedens Orator animadvertit, quod eo fortius Canonicus Henricus fundationem, consuetudinem, et statuta servare debet, quia Concilium Tridentinum illis non obstat. Re sane vera in Conc. Trid. *Cap. 3 Sess. 21 Be Reform,* dum statuitur quod ubi nullae sint distributiones quotidianae, saltem tertia pars praebendarum in distributiones reducatur, adiiciuntur verba sequentia : « salvis ta- » men consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non » residentes, seu non servientes nihil vel minus tertia parte » percipiunt ». Quum igitur in casu consuetudo, et statuta huius Ecclesiae *nihil* concedant non interessentibus, evidentissime concluditur, Canonicum qui abfuit, nihil posse lucrari.

In quarto et potiori argumento Orator ostendit Canonicum Henricum nullam habuisse iustam et legitimam abessend! causam, neque Ordinarii licentiam, quae duo ex Barbosa, *de Canon, et dignit. Cap. 24 n. 1.* copulative sunt necessaria. Praeterea canonicus Henricus falsi redarguendus est quando s. Congregationi declaravit ideo abfuisse, quia alibi quaerere debebat victum et vestitum : nam Gubernium omnes retribuit assignationes eidem canonico, prae aliis, quia iuravit civilem constitutionem. Idem autem omne percepit emolumentum, dum in Choro praesentes nihil perceperunt, quia iurare totis viribus renuerunt. Quum igitur *habitualiter* a Choro abfuerit, illi distributiones non debentur, teste Barbosa, *de Canon, et Dignit. Cap. 22* 24, 35, et 36.* Tandem excluditur paupertas quia Canonicus Henricus longa et multa confecit itinera, domumque sibi extruxit cum oratorio privato. Ast dato quod causa iusta abessend! adesset, haec ab Episcopo recognosci debuit : atqui Canonicus' discessit quin peteret licentiam ab Episcopo, ergo omni iure destituitur ad distributiones lucrandas.

Ad ultimum argumentum quod attinet Capituli defensor

sustinet in casu de quo agitur, opus haud fuisse citatione ad residendum, ceu ex adverso obiicitur, antequam Canonicus Henricus ad distributionum privationem condemnaretur. Formalis namque citatio ad residendum, a Tridentino praescripta, tunc tantum requiritur cum agitur de privatione fructuum et Beneficii ; non vero, ceu in themate contingit, quando agitur de amissione distributionum quotidianarum, teste Barbosa *loc. sup. cit. cap. 22 n. 55.*

Capituli Defensor commemoravit etiam Resolutionem editam a s. C. C. in *Oxomen.* diei **14** Augusti **1880.** In ea Canonicus absens, quia ex interessentia mortem timebat, ex eo quod Constitutionem civilem iurare recusaverat ; nihilominus Statutis exigentibus illius praesentiam, quia ipse discesserat suo lubitu, quin Episcopus iustam abessendi causam agnosceret, s. Congregatio ad dubium : *An et qui fructus praebendae canonicalis, et quae distributiones pro absentiae tempore debeantur Sacerdoti Iosepho Mariae de Bulucua in casu ? respondit : Negative, excepto tempore, quo iudicio Episcopi, rationabilis adfuit absentiae causa.*

Ex hac definitione a S. C. C. duo confirmata fuisse asserit ; nempe quod unus Episcopus sit iudex de legitima abessendi causa, quodque Statuta, quae iubent omnem reditum in distributionibus quotidianis erogandum, conformia esse iuri communi, et propterea adamussim servanda.

Hisce pro utraque parte praemissis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium.

An et quae distributiones pro absentiae tempore debeantur Canonico Henrico in casu. **(1)**

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re perpensa, sub die **17** Decembris **1881** censuit respondere :

Negative in omnibus et amplius.

(1) Confer Vol. II pag. 407 Vol. XI pag. 589 Vol. XII pag. 365.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I Ceu alias innuimus ex iure certum esse, negligentes vel residere contemnentes, suas facere non posse quotidianas distributiones, quae interessentibus tantum conceduntur.

II Ab hac iuris sanctione excipi tantum illos, quos infirmitas, seu iuxta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excuset ; quae tamen iusta causa Episcopo cognita esse debet.

III Iuxta De Luca *Adnot. ad Concil. Trid. disc. 15 n. 15* commendabilem esse mentique Tridentini consonam consuetudinem « reducendi omnes praebendas, totumque men-? sae capitularis assem ad formam distributionum. »

IV Canonico in themate rite denegatos fuisse omnes praebendae fructus pro toto absentiae a Dioecesi tempore, quia nec adfuit a iure admissa excusationis causa, neque Episcopi venia : quibus suffultus consequi valeret canonicus redditus sui canonicatus, qui, iuxta consuetudinem et statuta capitularia erogantur per integrum in distributionibus quotidianis.

RETRIBUTIONIS SEU ABSOLUTIONIS

Die 17 Decembris 1881

COMPENDIUM FACTI. Antonius sacerdos exposuit Apostolicae Sedi : sese a 32 annis caeremoniarum magistri fungi munere in Ecclesia Patriarchali S; huius muneris gratia consuevisse sese conferre in quamlibet Ecclesiam Dioecesis, pridie «¡iiam a Praesule visitaretur : tum ut pararet quidquid opus <3ssèt ad s. functionem explendam, tum ut eamdem moderaretur functione die qua sacra conficeret- visitatio. Quem-

libet ex Parochis et administratoribus, occasione s. visitatio— nis propriae Ecclesiae, ex antiqua consuetudine, offerre solere* caeremoniarum magistro libellas circiter duodecim, retributionis instar, praeter victualia, a nonnullis Ecclesiarum rectoribus praestita. Noveram quidem, ait orator, Antistitem M. iussisse suos ne, talibus in adiunctis, munera exciperent: sed inter istos non cooptari arbitratus, spontaneas illas excepi oblationes. Quoniam vero ex aliquo tempore dubitavi ne praxis haec consona sit Tridentinae sanctioni, ideo, ad conscientiae tranquillitatem, expostulo ab Apostolica Sede absolutionem, quatenus opus sit, pro tempore anteacto, eiusque veaeratissimum iudicium pro futuro.

Disceptatio Synoptiea.

QUAE ORATORI ADVERSANTUR. Preces ab Oratore porrectae benigno favore haud excipiendae esse videntur, quandoquidem sacri Canones nedum Episcopis, sed etiam iis omnibus, qui Episcopos in s. Visitatione peragenda sequuntur, diserteprohibent quominus, praeter victualia, aliquid accipiant, etsi sponte offeratur. Scatet id ex *Cap. Romana 1 de Censibus in 5.* §. *Procurationes* - ibi - « *Caveat insuper ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus, quodcumque sit, et qualitercumque offeratur, praesumat recipere* ». Rursus patet ex Conc. Tridentino *Sess. 24 cap. 3 de Reform.* - ibi - « *Omnes et singuli ad quos visitatio spectat, caveant. . . ne ipsi aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro Visitatione. . . praeter id quod iure debetur, nec pecicniam,. nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur accipiant* ». Concordat Ferraris in sua *Bibliot. Verb. Procuratio num. 26.* Concinit S. C. C. prout habetur in Thesauro Resolutionum *tom. 6 s. Marci Visitationis* in qua, inter alia, proposito dubio V: *An Clerus teneatur quidquam solvere Ministris, aliisque Officialibus Episcopi visitantis :* responsum prodiit : *Ad V deberi victualia tantum, ad formam Concilii.* Insuper hodie ex mente ipsius Concilii Tridentini loco citato, quoad illas Ecclesias suburbiorum, sicut.

quoad Ecclesias civitatis Episcopalis nulla debetur procuratio, cum nullae fiant expensae, neque si consuetudo adesset illas solvendi, prout decisum est a S. O. C. in *Castren. Procurationis 17 Novembris 1685.*

Quum autem in facto constet, Sacerdotem Antonium aliquid recepisse, quando Antistitem comitaretur in s. Visitatione, eius agendi ratio videtur reprobanda. Nec ad rem facit invocata consuetudo : quia Tridentinum habet « *non obstante » quacumque consuetudine, etiam immemorabili.»* Vis Tridentini decreti ea est, ut praeexistentem contrariam consuetudinem irritet, et non permittat aliquam inchoari ullo tempore, iuxta Card. De Luca *de lurisd. discept. 95 num. 7, et 8;* Pignatel. *cons. 134 num. 16 tom. 1,* Gronz. *de benef, part. 5 c. 4 n. 179 et seq.,* Rota *decis. 317 n. 12 et seq. part. 16, et decis. 22. n 18, et decis. 192 part. 48 Recent.*

Nec bona fides praesumi potest in sacerdote Antonio, quia ss. canones disertis verbis prohibent, quominus huiusmodi munera et retribntiones, ullo sub praetextu recipiantur ; et quia excluditur ex confessione oratoris ipsius. Fatetur enim sese angi dubio ex aliquo tempore, quod praxis huiusmodi consona non sit Tridentinae dispositioni.

QUAE ORATORI FAVENT. EX altera vero parte Orator nonnullas exhibet rationes, quae, nedum pro futura, sed etiam pro anteacto tempore, ut ipsius preces benigne excipiantur, suadent, ex eo quod citata iuris communis principia ipsi haud aptari posse videntur. Sane allata sacrorum Canonum et Concilii Tridentini decreta, vel contra Episcopos visitantes, vel contra illos, qui vel familiares vel ex eius comitatu sunt, edita fuisse constat. Porro ex precibus ab oratore porrectis manifestum erumpit, quod durante Visitationis tempore, ipsi neque familiaris Episcopi, neque ex eius comitatu est: quandoquidem, non uti ab Antistite invitatus, sed operam suam in s. Visitationis actu praestat ad Parochorum instantiam, qui eum, tamquam sacrarum caeremoniarum magistrum, prae ceteris vocant, utpote magis idoneum ad ea omnia paranda quae in huiusmodi negociis necessaria sunt.

Si itaque ex hactenus disputatis manifestum erumpit, Oratorem inter eos recensendum haud esse, qui Episcopi comitatum efformant, naturalis aequitas postulat, ut ob talem impensam operam emolumenta recipere possit. Notum cum sit, nemini officium suum damno et praeiudicio esse debere. Verum dato etiam, at non concesso, quod ipse revera fuerit in comitatu Praesulis et proinde ipsi quoque sacrorum Canonum decreta aptari valeant, tamen longaeva consuetudo, in sui favorem ab oratore invocata, perceptionem huiusmodi munerum legitimare videtur. Iam vero consuetudinem legitime introductam vim legis habere autumant Piringh in *ius Canon, lib. 1 tit. de "Consuet. n. 65,* Reiffenst. *decret, lib. 1 tit. 4 n. 55.* Qua de re si decretum irritans Tridentini valet destruere consuetudinem anteriorem, tamen haud tanti faciendum esse videtur, ut prohibere queat, quominus consuetudo inchoetur.

Quum ergo oratoris agendi ratio sub canonum censura non cadat, ipseque valeat oblatam excipere pecuniam, consequitur absolutione opus non esse. Verum admisso parumper quod talis gratia necessaria reputetur, eidem denegari nequit, ex quo in eo bona fides adfuit, utpote qui sese reputaret non comprehendi inter illos pro quibus decretum Praesulis editum fuerat. Quibus praenotatis submissa fuere dirimenda sequentia

Dubia

An Sacerdos Antonius retributionem percipere valeat in casu.

Et quatenus negative:

An et quomodo indulgenda sit absolutio in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita, sub die **17** Decembris **1881** respondit:

Ad I Negative, nisi operam suam praebeat, a rectoribus ecclesiae specialiter invitatus.

Ad II Affirmative in omnibus, facto verbo cum SSmo.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I Ex Tridentino *Sess. 24 cap. 3 de ref.* scopum praecipuum peragendae s. Visitationis ab Antistitibus eum esse, ut orthodoxa inducatur doctrina, boni mores serventur, pravi corrigantur, populusque fidelis ad religionem, pacem et innocentiam accendatur.

II Attamen omnia haec expleri in s. Visitatione opus esse *paterna charitate. . . . modesto equitatu et famulatu,* ne visitantes inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive fiant.

III Hinc districte praecipitur ne ipsi Praelati aut quisquam suorum quidquam pro visitatione . . . . nec pecuniam, nec munus quodcumque, etiam qualitercumque oneratur, accipiant.

IV Nihil esse accipiendum, praeter victualia, s. Visitationis causa, ita rigorose praeceptum fuisse, ut minime proficiat contraria consuetudo, etiam immemorabilis ; quinimo a visitantibus omnino servandam, ubi viget, consuetudinem non recipiendi victualia, pecuniam aut quidquam aliud, sed omnia gratis faciendi.

V Magistrum ss. caeremoniarum in themate perperam seiungi a comitatu Praesulis videri, ex quo ille Praesulem ipsum sequatur aut praecedat quocumque ierit, s. visitationis causa, omnia praedisponat, ipsamque s.visitationis functionem moderetur.

VI Qua de re, pro nihilo habita a S. O. C. antiqua consuetudine, contra Tridentinum invecta aliquid recipiendi, occasione s. visitationis, resolutum fuit, his in adiunctis, magistrum caeremoniarum nil recipere posse a rectoribus Ecclesiarum, nisi ab eisdem *specialiter* invitatus fuerit.

APPENDIX II.

Officia et Missae ss. Laurentii a Brundusio Confessoris et Clarae a Cruce de Montefalco Virginis

DIE VII IULII

In Festo

S. LAURENTII A BRUNDUSIO G,

DUPLEX

Omnia de Comm. Conf. non Pont:, praeter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

|\eu8, qui ad ardua quaeque pro IJno.ninis tui gloria, et animarum salute beato Laurentio Confessori tuo spiritum consilii et fortitudinis contulisti : da nobis in eodem spiritu et agenda cognoscere, et cognita eius intercessione perficere. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Brundusii, urbe regni Neapolitani celeberrima , piis et honestis parentibus natus est Laurentius. Iam inde a pueritia certissima futurae sanctitatis , et apostolici, quo maxime praestitit, zeli documenta edidit. A puerilibus nugis alienus , uni Deo vacare coepit, et verba facere ad circumfusam multitudinem, cunctis Dei potentiam, qui linguas infantium facit disertas , admirantibus. Sub idem tempus se totum abstinentiae, et corporis afflicta tioni dedit. Seraphicum Capuccinorum ordinem ingressus, et Venetae provinciae adscriptus , multo magis in domo Dei sanctitate profecit. Humilitate, obedientia , orationis studio , regulari observantia , omnibus antecellunt. Exacto tyrocinio, sacris litteris operam dedit , quo instructor ad apostolicum munus evaderet. Quod erat singulari ingenio et memoria praeditus non modo philosophicas et theologicas facultates, sed linguas etiam Graecam, Hebraieam, Chaldaicam, Germanicam, Gallicam, Hispanicam didicit; et quidem ita, ut cum se dabat occasio, his linguis concionari posset. Hebraica vero lingua ad Hebraeos ipsos concionatus est tanta eius linguae peritia, quantam non habere se ipsi auditores confessi sunt. Quae res prodigio similis causa fuit, cur opinio invaluerit, a Deo, quod de Apostolis traditur, linguarum ei donum fuisse concessum. Neque vero hoc solum, sed reliqua etiam charis-

anata, ut eventus docuit, quae illis, quos ad magna suscipienda -et agenda pro nominis sui gloria «legit, impertiri solet.

Honestum fecit.

Lectio o.

Sacerdos consecratus, tum vero maxime eius fervor erupit, et s^e totum procurandae modis omnibus animarum saluti devovit. Non curis, non sudoribus, non vigiliis, non vitae ipsi, quam saepe in discrimen adduxit, pepercit. Vicos, castella, urbes, agros obi vit. In aulas principum, in Hebraeorum et Haereticorem conventus pervasit. Totam fere Europam, Italiam, Germaniam, Hungariam Hispaniam, Lusitaniam, omnibus benefaciendo, et viam salutis aeternae commostrando, peragravit. Omne hominum genus complexus est, Catholicos, Haereticos, Hebraeos, nobiles, populares, milites, omnibus omnia iactus, ut omnes Christo lucrifaceret. Pluribus pro religione catholica ad reges ac principes legationibus functus est. Nullam denique demandati sibi apostolici muneris partem omisit: numquam cessavit, nusquam quievit. Quo autem fructu, dici non potest. Innumerabiles peccatores ad poenitentiam convertit; haereticos ad eiuranda falsa dogmata adegit; Hebraeos confuta vit; perditissinias mulieres e vitiorum coeno eduxit; discordias composuit; odia exstruxit: nihil non ad Dei gloriam, catholicae religionis incrementum, et salutem animarum suscepit, effecitque. Deo ipso opitulante et sermonem confirmante, sequentibus signis. Inter quae celeberrima memoratur victoria de potentissimo Turcarum exercitu, praeter omnem spem, imo vero desperantibus ducibus, servo Dei praeeunte, et felicem belli exitum annuntiante, in Hungaria a nostris reportata.

R). Amavit eum.

Lectio vi.

In hoc tam indefesso divinae gloriae amplificandae, et proximorum urgendae salutis studio sibi ipse non defuit: virtutibus omnibus in gradu heroico eminuit, unde vis illa incredibilis ad aliorum salutem erupit. Has ob virtutes, et reliquas animi dotes, consilii praesertim ac prudentiae, praeter obitas minores praefecturas in provinciis Hetrusca, Veneta et Ianuensi supremo totius ordinis regimini pratici meruit. Caritate in Deum fuit ardentissima. Erga Christi Domini passionem sic afficiebatur, ut in ea cogitatione defixus fletum continere non posset. Insignis cultor fuit Deiparae Virginis Mariae, cui singulare illud linguarum donum referebat acceptum. Orationi apprime deditus, quod **a** reliquis occupationibus supererat tempus j totum ei impende-

bat. In ecstasim saepe raptus divina patiebatur. Passim, offendi Deum ferebat aegerrime , et religionis catholicae.detrimentis augebatur plurimum. Unum Deum, unam caritatem, unam animarum salutem cogitare, loqui, spirare videbatur. Prophetiae dono enituit, cordium intima penetravit, plura et loco et tempore remotissima praedixit, miraculis etiam et prodigiis insigniter claruit. Propter eximiam sanctitatem Summis Pontificibus acceptissimus fuit, et fere omnium Europae principum gratia floruit. Demum orator a Neapolitanis ad Philippum tertium, qui tunc in Lusitania morabatur, missus, in obeunda legatione attritus laboribus, in morbum incidit, ex itinere contractum : quo patientissime tolerato, sacramentis omnibus summa devotione susceptis , praenuntiato mortis die, cupiens dissolvi, et esse cum Christo, Ulyssipone discessit e vita, die vigesima secunda Iulii, anno millesimo sexcentésimo decimo nono. Quam pretiosa fuerit in conspectu Domini eius mors , patrata non multo post miracula declararunt. Quibus rite probatis, Pius sextus Pontifex Maximus beatorum numero et dein Leo decimus tertius die octavo Decembris anni millesimi octingentesimi octogesimi primi sanctorum albo eum solemniter adscripsit.

R). Iste homo.

In III Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. Cap. 9.

In illo tempore: Convocatis Iesus duodecim Apostolis , dedifc illis ^nrtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

Exposit. in Cap. 9. Luc.

Apostoli ideo nominati sunt, ut eorum commendaretur auctoritas. Apostolus enim missus interpretatur ; missi autem fuerant ad praedicandum, secundum illud **t** Non misit me Christus baptizare,, sed evangelizare. Puerunt ad praedicandum missi, non rem parvam , sed magnam, scilicet regnum Dei, per quod potest intelligi doctrina veritatis, iuxta illud: Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius. Potest etiam dici gratia Spiritus sancti, secundum illud: non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto ; et infra : Ecce regnum Dei intra vos est. Potest etiam dici gloria aeterna, iuxta illud : Amen dica vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

R). Iste est.

Lectio viii.

Omnibus bis modis Apostoli sunt missi praedicare regnum Dei, scilicet veram doctrinam, divinam gratiam et aeternam gloriam. Et quia propter auctoritatem praedicationis concesserat potestatem curationis, ideo subdit: Et sanare infirmos, scilicet misit ad confirmationem veritatis praedicare secundum illud: Illi autem profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Unde signum missionis spiritualis ad praedicandum est sanatio audientium a morbis vitiorum.

R). Sint lumbi.

Lectio ix.

Tria autem sunt signa evidentia, quibus probatur, utrum praedicator a Domino sit missus ad Evangelium praedicandum. Primum èst auctoritas mittentis, cuiusmodi est Pontificis, et maxime Pontificis summi , qui est loco Petri, imo Iesu. Christi: unde qui ab eo mittitur, a Christo mittitur. Secundum est zelus animarum in persona, quae mittitur, quando scilicet,principaliter quaerit Dei honorem, et animarum salutem. Tertium est fructificatio, et conversio auditorum. Per primum sunt nuntii Patris, per secundum Filii, per tertium Spiritus sancti. De primo: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. De secundo: Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum. De tertio : Posui vos , ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Et qui sic mittitur, potest dicere illud: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Te Deum laudamus.

MISSA.

Introitus *Eccl. 42.*

In sermonibus Domini opera eius : sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus eius.

Psal. 67. Exurgat Deus , et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum, a facie eiua.

y. Gloria Patri.

Oratio

Deus , qui ad ardua quaeque pro nominis tui gloria, et animarum salute beato Laurentio Confessori tuo spiritum consilii et fortitudinis contulisti: da nobis in eodem spiritu et agenda cognoscere , et cognita eius intercessione perficere. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. *2 Cor.* 5.

Charitas Christi urget nos : aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo o-

mnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus: ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed <ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum; sed nunc iam non novimus. Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova. Omnia autem, ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Graduale Exod. Ib. Fortitudo et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem: iste Deus meus, et glorificabo eum.

y. Dominus quasi vir pugnator: omnipotens nomen eius.

Alleluja, Alleluja.

y. Eccl. 46. Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique: et audivit illum magnus et Sanctus Deus,

Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam

Luc. 9.

In illo tempore: Convocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omia daemonia, et ut languores curarent. Et misit illos praedicare regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.

Offertorium

Isai. 49. Posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam.

Secreta

d caeleste convivium fac nos, \ Deus, salutaris poenitentiae lacrymis dignos accedere: quod beato Laurentio vitae candor suavissimum efficiebat. Per Dominum.

Communio

Sap. 8. In conspectu poten-

tium admirabilis ero , et facies principum mirabuntur me.

Postcommunio

Divinitatis tuae, Domine, sempiterna fruitione satiemur : quam beatus Laurentius in sacro altaris mysterio praegustabat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in. unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum.

r). Amen.

DIE XVIII AUGUSTI

In Festo

S- CLARAE A CRUCE

DE MONTEFALCO VIRGINIS

DUPLEX

Omnia de Communi Virginum, praeter sequentia-.

Oratio

eus, qui sanctam Virginem tuam Claram clarificans , in ipsius corpore passionis tuae et Trinitatis mysteria mirificis signis renovasti : praesta quaesumus; eius precibus et imitatione, sic nos tuae passionis amaritudinem recordari , ut Trinitatis beatitudine perfrui mereamur Qui cum Patre et Spiritu sancto in Trinitate vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ciara Virgo in Montefalco Umbriae oppido , honesto genere nata, ab incunabulis non obscura praetulit sanctitatis indicia: nam pene infans , ita pietati dedita fuit, ut precibus, vigiliis, et ieiuniis operam daret, somni adeo parca , ut raro lectulum donnitura conscenderet, sed humi cubaret, si quando eam somni necessitas oppressisset. Arctioris vitae desiderio in coenobium virginum a Ioanna sorore sua sub instituto sancti Augustini nuper exstructum humillimis precibus admitti postulavit. Voti autem compos effecta, ut pro tanto beneficio Deo gratias persolveret, septem dierum ieiunium sibi indixit, neque aliud quidquam praeter dimidium panem cum pomo degnstavit. Silentium adeo coluit, ut, cum semel matris alloquendae gratia illud fregisset, in poenam admissi erroris in summo frigore nives nudis pedibus calcans, centies orationem Dominicam recita verit.

r). Propter veritatem.

Lectio v.

portua sorore, coenobii administrationem repugnans suscepit, omniumque virtutum exemplis ceteris virginibus praeluxit. Incredibili fuit abstinentia, pane

et aqua dumtaxat, idque semel in die, vitam tolerans; aspero cilicio corpus domans, singulis noctibus flagellis se eruentabat. Plures per annos gravissimis morbis vexata, aliquando etiam a daemonibus duriter caesa, nihil de consueto vitae rigore remisit. Erga pauperes tanta caritate flagravit, ut saepenumero illos vestibus indueret, nec quemquam ab ostio monasterii vacuum abire pateretur. Doctrina divinitus infusa, haereticorum falsa dogmata confutavit, ac philosophis, quaestiones altissimis proponentibus, satisfecit. Multa exstinxit odia, et mortales inimicitias sedavit, pacemque inter finitimos populos conciliavit.

B). Dilexisti iustitiam.

Lectio vi.

Incredibili animi sensu Christi Domini tormenta et cruciatus contemplari solita erat. Quadam autem die Salvator divinus suscepta peregrini persona, candido vestitus amictu, humeris crucem ferens in eius corde redemptionis mysteria impressit mirificis signis quae in praesentem usque diem cernuntur. In eius quoque felle post mortem tres globuli reperti sunt, imagine, colore et pondere pares, et in ipsa fellis vescicula ita dispositi, ut trianguli formam exhiberent, sanctissimae Trinitatis symbolum referentes. Prophetiae dono illustris, multa futura praedixit. Intima cogitationum inspexit ac revelavit; sororibus secreta colloquia, occultas earum noxas, animique sensa frequenter detexit. Cum unam ex iisdem a daemone obsessam vidisset, eam ut labem occultam confessione expiaret admonuit. Denique post innumera virtutum documenta, pluribus clara miraculis, divinitus ad caelum vocata, decimo sexto Kalendas Septembris anno salutis millesimo tercentesimo octavo, aetatis quadragesimo, migravit ad sponsum. Eam anno millesimo octingentesimo octogesimo primo, die immaculatae Dei Genitricis Conceptioni sacro, Leo Papa decimustertius sanctarum virginum numero solemni ritu adscripsit.

R). Afferentur regi.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap. 25.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponsa et sponsae. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 93. de Scrip. cap. 2.

Quae sint decem virgines, quarum sint quinque prudentes

et quinque stultae, non facile indagari potest. Verumtamen secundum ea quae continet ipsa lectio quam caritati vestrae hodie volui recitari, quantum mihi Dominus intellectum donare dignatur, non mihi videtur ista parabola vel similitudo ad eas solas pertinere, quae propria et excellentiori sanctitate virgines in Ecclesia nominantur, quas etiam usitatiore vocabulo sanctimoniales appellari consuevimus: sed, nisi fallor, haec similitudo ad "universam Ecclesiam pertinet. Quamvis, etsi illas solas intelligeremus, quae sanctimoniales vocantur, numquid decem sunt? Absit ut tanta virginum multitudo ad tantum virginum numerum revocetur. Forte autem dicat aliquis: quid si multae sunt nomine, et tam paucae sint in veritate ut vix decem inveniantur? Non ita est. Nam si solas decem intelligi vellet bonas, non ibi ostenderet quinque fatuas. Si enim multae sunt virgines quae vocantur, quare contra quinque ostia domus magnae ciauduntur?

R). Haec est virgo.

Lectio viii.

Intelligamus ergo, carissimi, ad omnes nos, idest ad universam omnino Ecclesiam, pertinere istam parabolam, non ad solos praepositos, nec ad solas plebes; sed prorsus ad omnes. Quare ergo quinque et quinque virgines? Istae quinque, et quinque virgines o- omnes omnino sunt animae christianorum. Sed ut dicamus vobis, quod Deo inspirante, sentimus non qualescumque animae, sed tales animae quae habent catholicam fidem et habere videntur bona opera in Ecclesia Dei, et tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, et quinque fatuae. Quare ergo appellatae sunt quinque, et quare virgines videamus. Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur. Nihil est enim quod sentimus ex corpore, nisi ianua quinquepartita aut videndo, aut audiendo, aut adorando, aut gustando, aut tangendo. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustu, ab illicito tactu propter ipsam integritatem nomen virginis accipit.

R). Media nocte.

Nona Lectio erit s. Agapiti Mart.; si vero transferri contingat, erit sequens

Lectio ix.

Sed si bonum est abstinere ab illicitis sentiendi motibus, et ideo unaquaeque anima christiana virginis nomen accipit, quare quinque admittuntur et quinque repelluntur? Et virgines sunt, et repelluntur. Parum est quia virgines sunt: et lampades habent. Virgines propter abstinentiam ab illicitis sensibus; lampades habent propter opera bona; de quibus

operibus Dominus dicit : sint lumbi vestri accincti et lucernae ardentes. In lumbis accinctis virginitas : in lucernis ardentibus, opera bona. Si ergo ab illicitis abstinentia bona est, unde virginitas nomen accepit, et opera bona laudabilia sunt, quae significantur lampadibus ; quare quinque admittuntur, et quinque repelluntur? Adhuc quaero: intentum me fecit Evangelium sanctum. Etiam -ipsas virgines et ferentes lampades , alias dixit prudentes, alias stultas. Unde intuemur? Unde discernimus? De oleo. Aliquid magnum significat oleum, valde magnum. Putas noe caritas est?

Te Deum laudamus.

MISSA.

Introitus *Gal. 2.*

Vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus , qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

Psal. 44. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi.

Oratio,

f. Gloria Patri.

eus, qui Sanctam Virginem tuam Claram clarificans , in ipsius corpore Passionis tuae et Trinitatis mysteria mirificis signis renovasti : praesta quaesumus, eius precibus et imitatione, sic nos tuae Passionis amaritudinem recordari, ut Trinitatis beatitudine perfrui mereamur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto in Trinitate vivis et regnas Deus: per omnia saecula saeculorum.

Et fit commemor. Octavae Assumptionis B. M. V. et S. Agapiti Martyris.

Lectio Libri Sapientiae.

Cant. **8~**

Pone me ut signaculum super cor tuum , ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio: dura sicut infernus aemulatio, lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, , nec flumina obruent illam : si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Graduale

Gal. 6. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

f. Phil. i. Mihi vivere Christus est et mori lucrum.

Alleluja, Alleluja.

f. Hebr. 13. Iesus Christus heri et hodie: ipse et in saecula. Alleluja.

Post Septuagesimum omissis Alleluja *et versu sequenti dici' tur.*

Tractus. Psal. 72. Quid mihi est in caelo? et a te quid volui super terram?

f. Deiecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

f. Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: ut annuntiem omnes praedicationes tuas, in portis filiae Sion.

Tempore Paschali, omissis graduale cum versu et Tractu, dicitur:

Alleluja, Alleluja.

R). /. *Reg. 2.* Exulta vit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia laetata sum in salutari tuo. Alleluja.

f. Col. 3. Vita mea abscondita est cum Christo in Deo.

Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. *Matth 25.*

TU illo tempore: dixit Iesus di-Lscipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum caelorum decem virginibus: quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, et sponsae. Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes: sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsum venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades suas. Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostrae extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est ianua. Novissime vero veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Credo.

Offertorium Ps. 83. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini: cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Secreta

Adsit nobis quaesumus, Domine Iesu Christe, Sanctae Clarae pia, humilis et devota supplicatio, in cuius corde praerogativa mirabili Passionis tuae mysteria renovasti, praesta ut virtute praesentis oblationis, tuae Passionis circa nos beneficia iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus.

Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum.

R). Amen.

Praefatio de Octava Assumptionis.

Communio Ps. 20. Praevenisti eam, Domine, in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Postcommunio

Omnipotens sempiterne Deus, qui, frigescente mundo, ad corda nostra infiammanda in corde Sanctae Clarae Passionis tuae mysteria reno vasti: concede propitius; ut eius precibus et meritis dignos fructus poenitentiae faciamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum.

R). Amen.

ELOGIA

IN MARTYROLOGIO ROMANO INSCRIBENDA

Sextodecimo kalendas Maji.

Romae natalis sancti Benedicti Iosephi Labre Confessoris, contemptu sui et extremae voluntariae paupertatis laude insignis.

Decimo kalendas Iunii.

Romae natalis sancti Ioannis Baptistae De Rossi Confessoris, patientia et charitate in evangelizandis pauperibus insignis.

Quintodecimo kalendas Septembris.

Post verba devotione venerantur *addatur :* Eam Leo decimus tertius Summus Pontifex sanctarum Virginum albo solemni ritu adscripsit.

Undecimo kalendas Augusti.

TJlyssipoue sancti Laurentii a Brundusio Confessoris Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Ministri Generalis, divini verbi praedicatione et arduis pro Dei gloria gestis praeclari, a Leone decimo tertio Summo Pontifice Sanctorum fastis adscripti, assignata eius festivitate Nonis Iulii.

LITTERAE quibus R. Pontifex innuit Episcoporum esse incitatos Hibernorum animos temperare, nt ea quae iure petunt, abstinentes ab omni vi et a clandestinis Societatibus, iuste consequi valeant.

DILECTO FILIO NOSTRO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI MAC CABE

ARCHIEPISCOPO DVBLINENSI

ET VENERABILIBVS FRATRIBVS HIBERNIAE EPISCOPIS

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER

VENERABILES FRATRES

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Benevolentiae caritas, qua Hibernos complectimur, et cuius augere vim haec ipsa temporum difficultas videtur, Nos adducit, ut rerum vestrarum cursum singulari cura paternoque animo sequamur. — Ex qua tamen cogitatione plus sollicitudinis, quam solatii capimus, quod nondum apud vos rem publicam videre liceat eo, quo vellemus, statu pacatam atque florentem. Nam ex una parte, gravia premunt adhuc incommoda: ex altera, anceps animorum motus ad turbulenta consilia complures temere rapit: nec defuere, qui atroci se hominum caede polluerent , quasi fieri possit ut spes felicitatis publicae iii dedecore flagitioque reperiatur.

Harum rerum caussa, Vos, Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres, non minore quam Nos sollicitudine affectos et antea cognoveramus, et nuper etiam perspeximus ex iis, quae a Vobis in postremo conventu Dublinensi decreta sunt. Communis enim salutis trepidi probe docuistis, quid quemque in tam acri momento , in medioque certamine vitare oporteat. — In quo sane et convenienter muneri episcopali et e re publica fecistis. Homines enim tunc maxime antistitum suorum indigent consilio, cum, vehementiore aliqua cupiditate acti, emolumenta rerum fallacibus iudiciis vident: ac si quando ad relinquendam honestatem \elut impetu quodam feruntur, Episcoporum est, incitatos multitudinis animos temperare, et ad iusti-

tiara necessariamque in omnibus rebus moderationem tempestivis hortationibus revocare. Illud vero optima opportunitate commemoratam a Vobis est divinum praeceptum, quaeri *primum* oportere *regnum Dei et iustitiam eius:* quo iubentur christiani in omni vitae-actione atque adeo in civicis etiam rebus salutem suam sempiternam respicere, et prae religione officii mortalia omnia minoris ducere. Haec quidem praescripta servantes, fas est Hibernos fortunae suae afflictae levationem quaerere: fas est et pro iure suo contendere: neque enim existimandum, quod singulis gentibus licet, Hiberniae non licere. — Verumtamen honestate dirigenda utilitas est, ac serio considerandum, caussam quamtumvis iustam turpe esse tueri non iuste. Abest vero iustitia cum ab omni vi, tum maxime a societatibus clandestinis, quae per speciem vindicandi iuris illuc ferme evadunt, ut rerum publicarum permoveant statum. Illae quidem quanta animi provisione honesto cuique viro fugiendae sint, sicut non semei Decessores Nostri, Nosque ipsi, ita Vos in conventu Dublinensi opportune monuistis. Nihilominus, his manentibus periculis, erit vi' gilantiae vestrae idem saepe praecipere, Hibernos universos per sanctitatem catholici nominis, perque ipsam patriae caritatem hortando, nihil ut sibi commune esse velint cum huius generis societatibus * quae et ad ea, quae populus iure petit, nihil prodesse possunt, et nimis saepe ad delinquendum impellunt quos illecebris suis inceri (ierunt. Cum Hiberni homines gestiant, neque id immerito, *catholicos* appellari, quod est, uti Augustinus interpretatur, *integ "itat is custodes et recta sectantes* (1), impleant mensuram nominis, et in ipsa rerum suarum defensione studeant esse quod dicuntur *M&* minerint *primam esse libertatem carere criminibus* (2), seque *m* omni vita sic gerant, ut statutas legibus poenas nemo ipsorum luat *ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitur* **(3)** -

Pars est autem, vestras in populo regendo episcopales curas Cleri totius adiuvari virtute, labore, industria. — Quam ad rem qua d^ sacerdotibus praesertim iunioribus constituenda censuistis, recta *t convenientia temporibus iudicamus. Etenim sacerdotes, si unquam alias, certe in istis procellis popularibus solertes et operosos conservandi ordinis adiutores esse necesse est. Et quia ut optima quisque* opinione floret, ita in aliorum animos maxime potest, eniti debent ut approbationem hominum moveant gravitate, constantia, m deratione factorum atque dictarum: nec vero agere quidquam, quo d

(1) Lib. ***D'e vera Religione*** **n,** 9
(2) S. Aug:, tract, XLI ***in Ioan.*** **n.** 10.
(8) **I Petr. IV, 15.**

a prudentia aut a studio placandorum animorum alienum videatur. Facile autem intelligitur, talem fore Clerum, qualem temporum ratio postulat, si sapienti disciplina optimisque praeceptis fuerit mature institutus. Nam, ut Patres Tridentini monuerunt, *adolescentium aetas, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur numquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseverat* (1).

Hac via et ratione futurum arbitramur, ut Hibernia prosperam rerum conditionem, quam expetit, nemine violando, consequatur. Etenim, sicut alias Vobis significavimus, Hibernis aequa postulantibus satis facturos, qui rerum publicarum administrationi praesunt, confidimus. Quod non solum veritas suadet, sed spectata etiam ipsorum prudentia civilis , cum dubitari non possit Hiberniae incolumitatem cum tranquillitate totius imperii esse coniunctam. — Nos interim bac spe adducti minime intermittemus Hibernam gentem consiliorum Nostrorum auctoritate iuvare, et incensas studio et caritate preces ad Deum fundere, ut populum tot iam virtutum nobilitatum laude propitius respiciat, compositisque fluctibus, optata tandem pace et prosperitate numeretur. Horum autem caelestium munerum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem Vobis, Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres, Clero ac populo universo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Augusti An. **MDCCCLXXXII.** Pontificatus Nostri anno quinto.

LEO PP. XIII.

(1) **Sess.XXIII.** *Da* Beform.ca.Tp. **18.**

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ELECTIONIS

Die 17 Decembris 1881.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum Ecclesiae Cathedralis **V.** in propria aula rite collectum ad electionem officialium devenit. Accidit tamen ut Canonicus Lazarus, qui in Secretarii electione, per septem scrutinia, suffragiorum paritatem cum altero canonico obtinuerat, sibi ipsi suffragium dare visus sit ad pluralitatem votorum sibi comparandam, dum in praecedentibus scrutiniis suum votum alii dederat. Quum maiori Capituli parti ratio haec agendi videretur iuri communi contraria, novum indictum fuit scrutinium ; in quo tamen ex undecim Canonicis vota novem sibi favorabilia obtinuit Lazarus ; qui etiam hac vice votum proprium sibi dedisse videtur. Quapropter arbitratum fuit expetendum fuisse a sede Apostolica, an electio Canonici Lazari, sic peracta, valida dici posset.

Ilisceptatio Synoptiea

NULLA VIDETUR ELECTIO LAZARI : quia eidem nedum commune ius, sed etiam Capituli Constitutiones et leges synodales refragantur. Sane Ius Pontificium in *Cap. Didicimus caus. 24 q. 1 Cap. In scripturis caus. 9 q. I, Cap. Cum ad nostram. De instit.* districte prohibet quominus is, cui beneficiorum vel dignitatum collatio competit, seipsum instituere valeat. *Quia,* ut ait Barbosa *De Offic, et Potest. Episcop. Alleg. 72 num. 86 < cum debeat esse differentia inter dantem et recipientem. . . . ita etiam debet esse differentia*

inter eligentem et electum». Cui adhaeret ReifFenst. *Lib. 3 decr. Tit. 8 §. 4 de Iure Praesent.* Idque optimo iure decretum fuisse patet. Praesentatio enim vel electio sui ipsius sapit vitium amhitionis, quam in sacris muneribus obeundis prorsus exulare debere ss. Canones districte praecipiunt. Quam quidem iuris Pontificii dispositionem in iure Caesareo fundamentum habere manifestum apparet ex pluribus legibus *1 praetor, ff. de tutor: et curat, datis, I. fístulas* §. *1 ff. de contr. empt. et praesertim ex I. 1. ff. de auctorit. et consensu tutor.* in qua habetur - ibi - « *in rem suam auctorem tutorem fieri non posse* ». Quae cum ita sint, nemini mirum esse debere si s. C. C. exposita principia secuta iugiter fuerit, quoties ipsius decisioni huiusmodi controversiae propositae fuerunt, ceu pluribus aliis omissis, eruitur in Iadrien. *Iuris suffragandi diei 19 Maii 1877. Sane proposito tunc dubio: An in comitiis Capitularibus ius suffragandi habeat Canonicus, qui ab Archiepiscopo proponitur ad officium iudicis et Examinatoris synodalis in casu;* s. C. C. respondit: *negative.* (1)

Hisce in iure praestitutis, cum in facto consistere videatur, quod Canonicus Lazzarus in comitiis capitularibus, in quibus de novi secretarii electione agebatur, suffragium sibi ipsi dederit, sponte sua fluit huiusmodi electionem irritam ac 'nullam declarari oportere. Neque obiici potest argumentum desumptum ex *cap. Cum in iure de elect.* quo statuitur, Canonicum, citra amhitionis vitium, in sui electionem consentire posse ac aliorum numerum augere, eorum votis accedendo. Huiusmodi enim offensioni occurritur animadvertendo, citati capitis dispositionem tunc tantum utiliter invocari posse, cum electio per vota publica, seu per compromissum, non vero quoties, ceu in themate, per scrutinium fiat, et hanc esse doctrinam s. Rotae *cor. Clem. XIII loc. cit. num. 9 et seq.* Praeterea nulla dici debet electio taliter facta ; quia huiusmodi methodus eligendi adversatur legi synodali et statutis Capituli. Quibus adiungitur, quod in actu scrutinii aliquo e schedae delatae fuerint vicinioribus canonicis ut legerent, et

(1 0,n a e «t i o li!if;<: relata fuit Vol. X pag, 273.

secretum voti defuit. Ex quibus ergo constat nullam esse renuntiandam electionem hanc.

VALIDA VIDETUR ELECTIO LAZARI. Canonicus Lazarus ait, suam electionem fuisse consonam constitutionibus capitularibus, a quibus praecipitur electiones officialium fieri debere per vota secreta : quod adamussim factum est per schedulas. Ex undecim vero canonicis votum ferentibus novem eius favore suffragium tulerunt : ex quo facto resoluta mansit eius electio. Quoad votum sibi collatum animadvertit primo id gratis asseri, et ideo etiam gratis negari posse : sed dato et non concesso quod- votum sibi dederit, electio tamen per id infici nequit, utpote non contraria iuris canonici dispositionibus, et variis s. C. C. resolutionibus. Hinc in medium proferens textum *in cap. Cum in iure de elect.* evincere sategit, capitularem qui se videt ab aliis nominari, citra amhitionis vitium in sui electionem consentire posse, aliorum votis accedendo. Ait enim Gonzalez ad dictum caput sub num. 3. « Nam ut electio celebretur, tantum desideratur ut maior » pars eligentium concurrat, *cap. coram hoc tit.* nec desi» deratur, ut maior pars eligendum eligat, sed ut in eo ad» sit maior pars : sed si ipse electus consentiat, maior pars » in eius electione concurrit et reperitur. . . . »

Insuper ad rem De Luca de Canonicis disc. 26 n. 3 et seqq. « Licet receptum sit. . . . ut dictae decretalis disposi» tio procedat, nedum in praelaturis, sed etiam in inferiori» bus beneficiis ; attamen id procedit quando agitur de actu » qui exigat ad eius perfectionem auctoritatem Superioris, » ut est in casu electionis, quae indiget confirmatione. Vel » ubi agitur de praesentatione, seu nominatione ad benefi» cium, unde necessaria sit, institutio, seu provisio superio» ris. Secus autem in hac subiecta materia, in qua non agi» tur nec de vera electione, nec de praesentatione, seu no» minatione, exigente post se alium actum ad sui perfectionem; » sed agitur de simplici deputatione, sonante in mandatum, » quod Episcopus vel Praelatus vel eius loco Capitulum Vi» cario dare dicitur: quod mandatum ad sui essentiam non

» exigit scripturam, sed etiam oretenus dari potest. » Animadversum etiam fuit, *ex Cap. cum in iure de elect.* decerni validam electionem illius qui, obtenta suffragiorum medietate, electioni de se factae, voto suo consentit: et ideo eo magis electio Lazari valida dicenda erit, cum ex undecim canonicis, novem eius favore votum dederint.

Hisce praemissis sequens propositum fuit enodandum

Dubium.

An Canonici Lazzari in Secretarium oapitularem electio sustineatur in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. O. re perpensa, sub die 17 Decembris 1881 censuit respondere :

Affirmative et amplius. **(1)**

fi) Recole Vol. XIII. pag. 390. uti relata fuit alia quaestio de Vicarii Capitularis electione, liuic affinis. In illa etiam agitur de Canonico qui sibi votum dedit, ut eligeretur Vicarius Capitularis. «Confer etiam quidquid per nos adnotatum fuit pag. 397. Noluit illo in casu S. C. C. pandere suam sententiam; sed, uti ibi adnotavimus, videtur ex DD. sententia, valide eligi posse in Vicarium Oapitularem, Canonicum, qui votum sibi dedit. Nam in *Cap. quia propter* praescribitur electionis forma, Praelatorum propria; quorum interitu Ecclesia pastore viduatur. In electione autem V. Capitularis, et officialium Capitularium vera electio non fit, sed agitur de simplici deputatione, quae etiam oretenus dari posset.

Hinc dic^ cosse videtur quod electio canonici Lazzari in themate uti valida renancianda foret, etiamsi liquidum esset, quod non apparet, illum sibi proprium votum dedisse in ultima votatione. Eoquod videns se eligi ac nominari per alios, voluit, citra vitium ambitionis, consentire suae electioni, pluries a sociis peractae, sed perperam ob votorum paritatem cum alio candidato. Nam id peragendo, in eo adfuit maior votorum pars, quod iuxta DD. satis est in huiusmodi electionibus, in quibus haud requiritur, ad earumdem perfectionem, auctoritas Superioris. Secus autem, nobis videtur, dicendum foret quatenus in prima votatione secreta Lazzarus votum sibi dedisset ; quia ignorando an alii canonici in eum concurrerent, videretur potius seipsum ambitiöse eligere, quam aliorum electioni consentire.

DISTRIBUTIONUM (1)

Die 28 Ianuarii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Praepositus parochus Cathedralis **P.** retulit s. CC. sese privatum fuisse distributionibus respondentibus aliquot diebus, quibus a choro abfuit causa peragendi statum animarum, et suas cognoscendi oves. Retulit etiam eisdem distributionibus privatum fuisse variis diebus festis, quibus solet explanare evangelium christifidelibus. Dum enim ad hanc evangelii explanationem se praeparat, eam conficit, et post eamdem aliquantisper quiescit, Missa conventualis, atque horae Sexta et Nona in choro explentur. Aegre ferens, ut hisce omnibus privari debeat distributionibus, tempore quo animarum bono incumbit, decisionem a s. C. Concilii expetivit, ut tuta conscientia pernosceret an lucrari possit eas distributiones , aut eisdem privari oporteat. Quam decisionem expoposcit etiam quoad suos coadiutores titulares (qui choro adesse debent ceu cappellani chorales,') pro tempore quo parochum aut aegrotantem aut impeditum coadiuvant in conficiendo statu animarum, aut in evangelii explanatione, Capitulum quoad hanc petitionem rogatum, votum emisit contrarium tum parocho, tum coadiutoribus.

Disceptatio tsyimo|itiea.

QUAE PAROCHO FAVENT. Parochum vel verbi divini praedicandi, vel animarum statum conficiendi causa, vel ex quacumque ratione ad animarum sibi concreditarum bonum vergente, a choro absentem, fictione iuris tamquam in choro praesentem haberi, ideoque distributiones quotidianas lucrari posse, id tantae evidentiae luce clarescere videtur, ut vel momento temporis dubitari nequeat. Hoc sane luculenter scatet praeprimis ex Conc. Tridentini *Sess. 22 Cap.* **3** — ibi —

(1) Recole Vol. VIII. pag. 135 et Vol. XIII. pag. 102.

« Quod si alicui ex praedictis dignitatibus.... cura anima-
> rum immineat.... tunc pro tempore, quo in curata ecclesia
» resederit ac ministraverit, tamquam praesens sit ac divinis
> intersit, in ecclesiis cathedralibus, ac collegiatis habeatur».
Mox allegatae Conc. Trid. dispositioni concinit Benedictus XIV. *Instit. Eccles.* 107 §. 56 - ibi « Qui habet curam animarum
» in ea ecclesia in qua est canonicus, si toto eo tempore oc-
» cupatur actu in exercitio eorum, quae spectant curam ani-
» marum , distributiones quotidianas obtinet ».

Quibus iuris sanctionibus consonae sunt innumerae resolutiones s. C. O. et praecipue *Mediolanen.* 9 Februarii 1809 in qua legitur: « Oratorem habentem onus curae animarum
» adnexum, si tempore, quo divina officia celebrantur, audit
> Confessiones, vel *alia ad ipsam curam spectantia eocer-*
» *ceat,* lucrari debere distributiones quotidianas, etiamsi di*
» vinis non intersit » *Tortonen. 19 Sept. 1643 eco lib.* XVII Decret, et *Montis Regalis 8 Iunii 1726 et 6 Dec. 1732* et alibi passim. Ne autem dici queat Parochum abuti posse, providit S. C. Ep. et Reg. in *F er entina Distribution, die 1 Mart. 1861 aiens: « Utque hoc beneficio nemo abutatur,*
» sacra Congregatio, onerata hac in re conscientia Paro-
» chi, prout nuperrime cavit... ».

Re quidem vera si Canonicus Poenitentiarius, et Theologus veliiti praesentes in choro retinentur cum suorum munerum adimplemento incumbunt Naldus *V. distributiones n. 5. Bonae, de distribut. T. 2. p. 2.* §. 5. *n. 4:* imo si Theologus qua die legit illius diei distributiones percipere valet, multo magis Canonicus ad curam animarum exercendam deputatus, uti praesens in choro pro distributionibus lucrandis censendus esse videtur ea die, qua vel concionem ad populum habet, vel sacramenta administrat, vel alia munera parochi propria exercet.

Sed maiora urgent : nedum Canonicus poenitentiarius dum confessiones audit, nedum Canonicus Theologus, ea die qua legit, praesentes iii choro habentur, et distributiones lucrentur, sed etiam Vicarium Capitularem absentem a choro

non pro servitio Ecclesiae praestando, sed pro iustitia administranda ceu praesentem in choro ad effectum lucrandi distributiones reputandum esse tradit. Scarfant. *Lib. 11. Tit. 10 n. 19.* Corrad. *lib. 5. cap. 6.* Quae cum ita sint tuto concludi posse videtur Parochum causa praedicationis a choro absentem, quotidianas distributiones percipere posse.

Nec satis : huiusmodi enim distributiones eidem tribuendae esse videntur, etiam eo temporis spatio, quo pro statu animarum suae curae commissarum conficiendo a choro abesse tenetur. Sane in sacrosancto Concil. Trident. *Sess. 23 de Re f or.* legitur. « Cum praecepto divino mandatum sit om- » nibus, quibus Animarum cura commissa est, ove,s suas agno- » scere, pro his sacrificium offerre, Verbique divini predica- » tione, Sacramentorum administratione, et bonorum omnium » operum exemplo pascere, aliarumque miserabilium perso- » narum curam paternam gerere, et in cetera munia pasto- » ralia incumbere etc. ». Porro huic dispositioni inhaerens Parochus evincere conatur, seipsum tamquam in choro praesentem haberi oportere, cum paroeciam suam perlustrai, ut animarum statum conficiat, ex eo quod huiusmodi actus est curae animarum quammaxime inhaerens et ad spirituale suorum parochianorum bonum conducit. Cum itaque luce meridiana pateat, quod Verbum Dei populo praedicare et statum animarum conficere sit onus curae animarum adnexum, hinc Parochus concludit, se quotidianas distributiones, tempore suae absentiae, amittere non posse.

Verumtamen nedum ius commune, nedum constantissima S. C. C. praxis, sed etiam ipsa consuetudo, quae iam inde a pluribus annis in dioecesi inolevit, precibus a Parocho porrectis favere et patrocinan videtur.

Hanc autem consuetudinem in pleno firmitatis robore manutenendam esse nemo inficias ibit ; ea siquidem neque irrationabilis esse, neque ecclesiasticae disciplinae nervum disrumpet, neque occasionem peccandi praebere vel contra bonos mores haud inducta esse videtur. Quin imo rectae rationi ac iuris ecclesiastici dispositionibus quammaxime conforme est,

tamquam in choro praesens habeatur et distributiones quotidianas consequatur Canonicus Parochus, qui vel praedicando, vel statum animarum conficiendo, vel aliquod aliud munus officio parochiali adnexum obeundo in bonum et salutem Christifidelium sese exercet.

Quae vero favore Parochi usquedum disputata sunt ad Capellanos chorales , tum cum in exercitio curae animarum Parochum coadiuvant extendi posse videntur, iuxta notam iuris regulam: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem legis dispositio esse debet.* Nec aliter reapse definivit S. C. C. *in Adrien. Distributionum et Emolumentorum diei 19 Maii* 1877, in qua disputabatur, an disputationes quotidianae et emolumenta funerum Vicariis curatis tribuendae forent a Choro, vel ab aliis functionibus religiosis, absentibus, ex eo quod sive sacramentales confessiones excipiebant, sive sacram Catechesim populo tradebant. Sane proposito tunc dubio : *An et quomodo annuendum sit precibus Vicariorum Curatorum in casu :* responsum prodiit: *Vicarios Curatos lucrari debere distributiones, de quibus in precibus pro diebus et horis onerata etc. amissis distributionibus inter praesentes, quae ex voluntate testatoris vel dantis nonnisi realiter interessentibus tribuuntur, et amplius.*

QUAE PAROCHO ADVERSANTUR. Verum ex parte Capituli considerandum venit, nullum ius Parocho, tempore suae a Choro absentiae, causa praedicationis statumque animarum conficiendi, competere circa distributiones quotidianas; quandoquidem vulgatum in iure est, distributiones quotidianas deberi tantum his, $ui vere divinis officiis intersunt, non vero his, qui flete, aut iuris interpretatione resident. *C. De cetero de Cler. non resi d.* Hac de re ceïeberrimum est Bonifacii VIII decretum *in Cap. unie, de Cleric. non resid. in 6°* - ibi - « Statuimus, ut distributiones ipsae quotidia- » nae in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis » Beneficiatis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem adfuerint, > tribuantur ». Hoc autem Bonifacii VIII decretum tamquam certam atque indeclinabilem regulam esse sequendum in dis-

tributionum perceptione, non obstantibus quibuscumque statutis et contrariis consuetudinibus, decrevit Concilium Tridentinum *Sess. 24 Cap. 15 de Re f or.* ita statuens: « Dis» tributiones vero, qui statutis horis interfuerint recipiant, » reliqui quavis collusione aut remissione exclusa his careant». Inde sequitur, quod ad ipsas lucrandas non solum requiritur praesentia, sed etiam interesséntia corporalis in Choro. Rota *part. 5 tom. 1 decis. 22 num. 14, Annot. ad decis.- 576 num. 112 et seq. et num. 129 et seq., part. 4 tom. 3, et decis. 449 num. 7 part. 14.*

Nam iuxta_unanimem DD. sententiam et S. C. C. praxim habetur, quod distributiones debentur Clericis ratione servitii, non autem respectu tituli, nec dantur tamquam Canonico, sed tamquam inservienti divinis Officiis, ita statuit Benedictus XIV *Instit. 107 num. 58,* Piton, *discept. Eccl. 1 num. 36,* Rota *dec. 689 num. 7 part. recen.* Et Parochus ab hac iuris dispositione se eximere non potest causa praedicationis et statum animarum conficiendi ; quia etiam adstante legitima causa, ipse nunquam quotidianas distributiones percipere posse videtur. Cum notum sit illas causas a iure praescriptas, quae a residentia excusant, ad has distributiones lucrandas non sufficere. Insuper iustae absentiae causae ad percipiendas distributiones a iure determinatae fuere *in Cap. de Cler. non resid.* sequentibus verbis : « exceptis » illis, quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporis ne» cessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret »: et istae tantum confirmatae fuerunt a Concilio Tridentino. Ast causae a Parocho adductae adnumerari nequeunt inter causas a iure praescriptas : ergo eidem favere non valent. Consuetudo autem ad quam recurrit Parochus nihil prodest ; quia Tridentinum renovando legem editam a Bonifacio VIII *in cap. Consuetudinem,* reprobat tamquam irrationabiles consuetudines percipiendi distributiones tempore absentiae a choro. Non dari consuetudinem contra Tridentini sanctiones propter decretum irritans adiectum a Pio IV per Bullam *In principis Apostolorum* docent passim S. C. C. et Doctores, inte

quos praecipue Fagnanus in cap. *Licet de Praebendis n. 77.* Pignatell. *tom. 9. consul. 125 n. 2.*

Posito autem quod Parochus ceu praesens in choro censendus haud sit, ad effectum lucrandi distributiones, etiamsi praedicationi et aliis parochialibus muneribus satisfaciendis incumbat ; a fortiori idipsum tenendum esse videtur relate ad Capellanos chorales quibus non primario, sed in Parochi auxilium animarum cura concredita est.

Hisce praeiactis, suppositum fuit enodandum sequens

I) ubi um

An Parochus eiusque operatores habendi sint tamquam praesentes in choro, ad effectum lucrandi distributiones quotidianas, pro tempore antecedenti et subsequenti conciones, et pro tempore quo conficitur status animarum in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congreg. C. re disceptata, sub die 28 Ianuarii 1882 rata est respondere :

Affirmative, quatenus officium parochi Praeposituræ, et cooperatoris onus cappellanus choralibus inhaereat, onerata eorum conscientia.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I Personis capitularibus, quibus imminet cura animarum, quotidianas conferri debere distributiones, si divinorum tempore parochialia munia exerceant.

II Idque ex Tridentino ipso scatere *Sess. 22 cap. 3* « *quod si alicui ex praedictis Dignitatibus... cura animarum immineat... tunc pro tempore quo in curata Ecclesia resede-, rit ac ministraverit, tamquam praesens sit, ac divinis intersit in Ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis habeatur.* >

III Cui inhaerendo sanctioni S. C. C. pluries declarasse, canonico habenti curam animarum, etiamsi divinis non intersit, deberi quotidianas distributiones, si tempore quo divina officia celebrantur, audit confessiones vel alia ad ipsam curam spectantia exerceat

IV Qua de re haud mirum videri si veluti praesens in choro habeatur parochus, cum statum animarum perficit, aut Evangelium explanat ; nam ex praecepto divino debet ille *oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione et bonorum omnium operum exemplo pascere.*

V Eadem dici posse de coadiutoribus Parochi nullum esse dubium : ipsi enim parochi absentis, aut morbo impediti vices implent ; et ideo *ubi eadem est ratio ibi eadem legis dispositio esse debet.* »

VI Hinc in themate quatenus officium parochi Praepositurae et onus cooperatoris capel laniis choralibus vere incumbat, Parochus eiusque cooperatores habentur uti praesentes ad hoc ut omnes (1) lucrentur distributiones quando animarum statum conficiunt, et pro tempore antecedenti et consequenti conciones populo habendas.

VII Cum autem determinari non possit, quoties gerentes animarum curam, lucrari valeant distributiones, licet absentes a choro, ceu qui legitima excitantur causa, ideo S. O. C. adiicere solet - *onerata eorum conscientia* - ut innuat, eosdem hoc privilegio uti posse pro diebus et horis, in quibus animarum bonum pastores aliunde districte vocat.

(1) Qui fictione iuris habentur uti praesentes in choro, quamvis abfuerint ob legitimam causam, aut quia iubilationis indulto donati, omnes cuiuscumque sint generis lucrantur distributiones, iis exceptis, pro quibus obstat testatoris aut dantis voluntas, quae uti lex reverenda censetur, si iusserit privari distributionibus debere qui physice non adfuerint. Praeterea qui fictione iuris, ex privilegio, uti praesentes habentur, nedum luerantur omnes distributiones, sed etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui divinis officiis non interfuerint sine legitima causa, iuxta Benedict. XIV. Inst. 107; in qua refert id resolvisse S. C. C. sub die 18 Aprilis 1511.

GRANATEN. ET MINDONIEN.

POSTULATUM CIRCA STIPENDIA PRO EXECUTIONE DISPENSATIONUM APOSTOLICARUM

Die 28 Ianuarii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Mense Augusti anni 1870 ad exitum vergente, Rmus Granatensis Episcopus sequens postulatum **S.** C. C. porrexit : « In cunctis dispensationibus quae ab Apo- » stolica Sede super matrimonii impedimentis conceduntur > Sanctitas Sua Officiali Episcopi haec graviter imponere so- » let: *Discretioni tuae . . . per praesentes committimus et » mandamus, quatenus deposita per te omni spe cuiuscum- » que muneris aut praemii, etiam sponte oblati, a quo te » omnino abstinere debes, monemus . . . de praemissis te » diligenter informes. . . Volumus autem quod si spreta » monitione nostra huiusmodi, aliquid muneris aut prae- » mii occasione dispensationis praedictae exigere aut obla- » tum recipere praesumpseris, excommunicationem latae » sententiae incurras* . . . Haec vero excommunicatio est » Summo Pontifici reservata in dispensationibus in forma » pauperum expeditis, et nihilominus dispensatio tunc per of- > ficialem facienda nullius declaratur roboris vel momenti.

» Quamvis adeo clara haec appareat prohibitione officia- > lis quidquam muneris vel praemii etiam sponte oblati, pro > dispensationum Apostolicarum executione exigere, nec etiam > accipere possit, illudque pluries apud Garcia, Conrado alios- » que probatos auctores, istaec S. Congregatio Concilii decla- » raverit contrariam etiam immemorabilem consuetudinem, » si qua sit, abusum et corruptelam declarando et repro- > bando, ut nemo se illa tueri possit; nihilominus adeo his » in regionibus invaluit haec consuetudo, ut nulla, pene in » tota Hispania, Curia Episcopalis inveniatur, in qua officia- > lis ob dispensationum Apostolicarum executionem quaedam

» munera, praemia vel stipendia nedum accipere, sed et exi-
» gere non soleat.

» Officiales hanc exactionem his rationibus, ut arbitror,
> tueri pergunt, tum ex vi consuetudinis universalis et im-
•» memorabilis, tum ob laborem quem in studendo processu
» et testibus examinandis impendunt, tum quia salarium ab
» Episcopo vel ab Ecclesia assignatum, ut plurimum non ha-
» bent, nec habere possunt, reditibus ecclesiasticis adeo nunc
» imminutis, tum demum quorumdam non intimae notae scri-
> piorum auctoritate suffulti.

> Cum ergo de re hic agatur summi momenti tum ut om-
» nium retro officialium conscientiae consulatur, tum ma-
> xime ut tot dispensationum in forma pauperum expeditarum
> ad haec usque tempora, cum hoc vitio executioni per offi-
» ciales mandatarum, simulque matrimoniorum inde conse-
» cutorum validitati pariter consulatur, Sanctitatem Suam
> exoro, ut per decretum generale declarare dignetur, utrum
> praefata consuetudo ob allatas rationes tolerari possit, of-
» ficialesque tuta conscientia aliquid muneris vel praemii pro
» dispensationum Apostolicarum executione recipere, vel exi-
» gere possint, non obstantibus praefatis clausulis Littera-
» rum Apostolicarum. Quod quidem in his tristissimis rerum
» adiunctis, in quibus officiales nulla fere alia emolumenta,
» praeter illa quae pro dispensationum Apostolicarum executio-
> ne recipiunt, recipere solent, benigne concedendum videtur.

» Quod si negative huic quaesito respondere necessarium
> videatur, etiam atque etiam Sanctitatem Suam deprecor, ut
» de opportuno remedio tantis malis providere dignetur. »

Hisce acceptis et omnibus de S. C. C. disciplina absolutis, causa acta fuit in plenariis comitiis diei 22 Iunii 1871, et propositis dubiis - *An et quomodo tolerari possit consuetudo in casu.* - Et quatenus negative - *An et quomodo con->sulendum in casu* - responsum prodiit - *dilata et ad mentem D. Secretario panditam.*

Anno 1880 per Epistolam Praesulis Mindonensis quaestio haec iterum excitata fuit, ut tandem aliquando hac super

controversia resolutio procuret. Hoc epistolio recepto, quoniam inoliti Iuris potissima ratio videbatur rimari posse in allegata consuetudine, abs re haud esse putatum fuit, exquirere vigentem methodum in Tribunali Cardinalis huius almae Urbis Vicarii; et simul rogatus fuit Apostolicus Nuntius in peninsula Iberica, ut referret an asserta consuetudo esset reapse universalis : eamdem inquisitionem fieri curatum fuit per organum S. Congregationis de Propaganda Fide in nonnullis Americae Curiis.

Emus Urbis Vicarius retulit, in sua Curia nihil ab aevo omnino lucrari executores dispensationum super impedimentis matrimonii. Officiales vero aliquid muneris vel praemii semper perceperunt et percipiunt: sed ratio et titulus huius perceptionis est labor impensus in conficiendo processu, in testibus examinandis, in exarando decreto executoriali. Quoad Hispaniam vero fere omnes illius regni Praesules unanimi choro asseruerunt consuetudinem in themate universalem et immemorabilem esse, si illud excipias quod Curiae Episcopales discriminantur in taxarum calculo, et in personis quae eas percipiunt : aliquibus enim locis etiam Vicarii Generales earum participes fiunt, dum in aliis excluduntur.

Alius contra mos vigere comperitur in Americae regionibus, prouti ex uteris datis S. C. C. per organum S. C. de Propaganda Fide patet. Inibi enim Curiae Episcopales vel nihil omnino, vel si quid percipiunt, id raro cedit favore Curiae Cancellarii, sed vel ad expensas Cancellariae solvendas, vel tamquam eleemosyna in pium opus impenditur.

Disceptatio Synojitica

CONSUETUDO DAMNANDA VIDETUR. Praeprimis minime dubitari posse videtur quin allata Litterarum Apostolicarum verba verum praeceptum importent. Quandoquidem Pontifex casum expendens, quo executor, spreta monitione, aliquid muneris seu stipendii accipere sive exigere praesumat, excommunicationis poena ipso facto incurrenda eum militat, et si de dispensationibus in forma pauperum expeditis agatur, di-

spensationem ipsam invalidat. Iamvero haec omnia firmam supremi Principis, aliquid iubentis, voluntatem luce meridiana clarius ostendunt, De Iustis *de dispensat, matr. lib: i cap. 6.* His adde quod dictio *quatenus* conditionem secumferat, a qua recedere delegato nullimode licet, Gratianus *discept, forens. cap. 854 num. 40 et n. 49. Rota decis. 38Î part. pr. divers, n. 2. Pat. Leo in Praxi s. Poenit. part. pr.*

Illud autem haud praeteream, Auctores non intimae sane notae arbitratus esse discrimen intercedere inter munera ac stipendium impenso labori respondens. Hi licet cum communi DD. sustineant-per memorata Apostolicarum Litterarum verba interdici munera seu magna praemia, persuadere tamen sibi nequeunt etiam tenuia stipendia sive sportulas proscribi. Ad hunc censum pertinent Sánchez *de matr. lib. 8 disp. 35 a n. 10* Filuccius *qq. mor. tom. pr. tract. 10 par. 2 cap. IO n. 363.* Antoninus Diana *part. 8 tract. 3 resol, ili.* Ioannes Guttiez *de matr. cap. 128 num. 2.* Pignatell. *consult* can. 17 n. 6 tom. 8.*

Nihilotamen minus gravissimi Auctores et praesertim Navarr. *lib. 3 consult, ult. de rescriptis,* allata distinctione posthabita, tenent per eas clausulas nedum vetari executoribus dispensationum sive Episcopis, sive Vicariis Generalibus, ne praemia remuneratoria recipiant, verum etiam ne stipendia et sportulas titulo laboris, visurae, aut decreti exigant. Et haec sententia praevaluisse visa est. Eam siquidem secuti sunt Garcia *de Benefic. part. i cap. 1 num. 77.* Sbrotius *de Offic. Vicar. lib. 2° quaest. 36 n. 7 et seq..* Zeral. *in praxi Episcop. part. 1 Verb. dispensatio* §. *1.* Conrad, *prax. dispensat, lib. 7 cap. 6 num. 232 ad plures seqq. Thesaur. de poen. eccles, part. 2 cap. 14 per tot.* Genuen. *in prax. cap. 15 num. 13.* Fagnan. *num. 5 Peer etat, de Simonia cap. In Odoardo num. 32 et seqq.* Quod autem apprime attendendum esse docemur novissima taxa Innocentianâ.

Nec refert, quod dubitatum fuerit apud nonnullos Auctores utrum haec dispositio etiam extra Italiam vim legis

obtineat, quod Italico idiomate exarata sit, ita Card. Petra *ad Cçnst. Ap. tom. 1 Proem.* §. *3 num. 32,* adducens *Terraco?ien. Taxae Innoc, diei 2 Maii 1699.* Girald. *Ius Pontif. P. IL sect. 53* alias referens resolutiones S. C. C. Siquidem magnam sibi vindicare ubicumque auctoritatem certum esse, retinendum est. Quod tradunt DD. iuris canonici interpretes, et praecipue propterea quod sit iuris iam constituti explicativa, potius quam novi iuris constitutiva. (1)

Nec movet consuetudo, qua Officiales factum suum tueri posse contendunt. Siquidem munerum prohibitio toties expresse renovatur, quoties Litterarum Apostolicarum executio committitur. Praeterea Supremus Princeps in omnibus Literis dispensationum matrimonialium semper apponit et repetit dictam clausulam, qua praemia sive munera cuiuscumque generis interdicuntur. Atqui contradictio Principis, ut compertissimi iuris est, omnem contrariam consuetudinem interrumpit et annullat, *cap. fin. de consuetud.* Immo Pontifex comminatione censurae prohibitionem suam communit, et bina vice in singulis Literis eam repetit. Iam vero verba geminata enixam disponentis voluntatem indicant; Caevallos *qq. commun, contra comm. quaest. 828 num. 73.* Marius Antonius *var. resol, libr. pr. resol. 3 n. 7 responso* Marantae *resp. 19 n. 29part. pr.* Gratianus *discep. forens. c. 621 num. 29 tomo 4.* Achilles de Grassis *decis. 13 alias 3 super regula modificatoria Indultorum Cardinalium num. 4.* Verba geminata insuper semper aliquid ultra operantur; Quintilianus Mandos ad *regulas Cancell. regula 33 quaest. 11 n. 3.* Fontanella *de pactis nupt. clausula 5 Gloss. 8par. 9 num. 26.* Quinimo omnem dubietatem excludunt Her. Palma *cons. 86 n. 9.*

Ceterum haec sententia enunciatae consuetudini adversa confirmationem accipit ex causa cui titulus *Dubia super exec. disp. matrim,* et folium legitur ad diem 16 Decembris 1786. In ea praemissis ex officio nonnullis animadversionibus, proposita fuere dubia: « I. *An liceat Vicario Generali aliquid*

(1) Confer Ferraris Bibliotheca v. *Taxa.*

muneris sive stipendii etiam modicum accipere pro subscriptione, et sigillo sive alia qualibet de causa, et titulo in executione Uter ar um Apostolicarum dispensationis matrimonialis in casu Ì IL *An, quibus et quomodo sit locus restitutioni in casu ?* » Die 20 Ianuarii 1767 resolutio prodiit « *Ad primum negative. Ad secundum ad Dominum Secretarium cum SSmo pro absolutione ad cautelam, et condonatione ».*

CONSUETUDO MANUTENENDA VIDETUR. Verumtamen, si forte, prout coniici posse videtur, Dioecesis, et Regnum, de quibus res est in allata causa , ad Hispanias pertinerent, videant Emi Patres, num mutata hodiedum in peius oeconomica illarum Curiarum conditio, aliquam considerationem mereatur. Deinde perpendendum est, quod magnum sibi pondus vindicare videtur consuetudo de qua sermo est : quippe quae non solum in Dioecesi Granatensi, sed in toto fere Hispaniae regno atque alibi extra Hispaniam ; imo in hac alma Urbe ab immemorabili viget, et nimis durum esse videtur tot probos viros gravissimae ignorantiae aut flagitii insimulare. Eapropter misso quod longaevae consuetudinis non levis sit auctoritas per textum expressum in *Leg. 2 C. quae sit longa consuetud, et Cap. fin. de consuetud.,* observandum in themate est quod si consuetudo admitti non libeat tamquam iuris abrogativa, in linea tamen *praesumptiva* et *interpretativa* fortasse despicienda non videtur, cum adeo graves et extraordinariae intersint rerum temporumque circumstantiae ac adiuncta, ut nemo sanae mentis dubitet quod Summus Pontifex, iis cognitis, praedicta prohibitione Officiales haud obstrinxisset. Eo fortius quia de Officialibus agitur, quibus Episcopi, attentis tristissimis Hispaniae conditionibus, alia ex parte honestam sustentationem assignare nequeant ; et aliunde omnia iura clamant ut ab iis quis sustentetur, pro quorum utilitate laborat. Sane ipse Bonifacius VII qui iudicibus delegatis munera interdixit caute decrevit, ut in posterum illi solummodo delegarentur, qui forent de congruo Beneficio provisi *cap. ii de re-*

scriptis in VI. Nec prohibitionem suam extendere voluit ad casum, quo necesse foret delegare ecclesiasticos de congruo beneficio non pro visos. Nec alia fuit mens *Patrum Conc. Trid. sess. 25 cap. 10 de reform.* Praeterea adeo modicum est stipendium, quod Officiales percipiunt, ut omnino cum labore in instruendo processu impenso proportionem dicat, nec pugnet proinde cum fine, quo motu Pontifex munera prohibet : scilicet ne muneribus corruptus iudex officium suum minus probe obeat. Corrumpi namque iudices a munerum liberalitate possunt, non autem a nudo tenuique stipendio, quod non a dantis gratia, sed necessitate largitur, Sánchez *de matrimonio lib. 8 disp. 35 n. 10 et seq.*

Quoniam vero in postulato ab hodierno Archiepiscopo proposito comminatio fit excommunicationis latae sententiae. Papae reservatae, animadvertere praestat, eamdem adhuc suum vigorem obtinere videri, etiamsi expresse nominata non fuerit in Uteris Apostolicis VI Idus Octobris 1869 incip. *Apostolicae Sedis.* Ibi enim res est de censuris a iure communi et Apostolicis Constitutionibus generatim editis, minime vero de censuris ex iure speciali per Summum Pontificem constitutis ; quod confirmari videtur argumento ducto ab Art. ultimo *de interdictis latae sententiae reservatis num. 2 §• Quae vero* ubi ab eius Constitutionis sanctione excluduntur censurae pro coetibus et locis piis peculiariter latae, adeoque multo magis pro personis particularibus inflictae. (1)

Hisce itaque praeiactis, enodandum propositum fuit sequens

Dubium

I. *An et quomodo tolerari possit consuetudo in casu.*

Et quatenus negative

II. *An et quomodo consulendum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die **28** Ianuarii 1882 censuit respondere :

Ad I. *Quoad executores negative in omnibus.*

(1) Habes hanc Constitutionem Vol. V. paj. 287.

Ad II. *Consulendum SSmo pro sanatione in radice dispensationum et matrimoniorum quae nullitatis vitio laborant, et pro absolutione ad cautelam et condonatione quoad executores.*

Ex **QUIBUS COLLIGES**

I Incurrere excommunicationem latae sententiae, (quae in suo robore esse videtur etiam post Constitutionem *Apostolicae Sedis)* officialem qui praesumat aliquid muneris aut stipendii accipere aut exigere pro executione dispensationum Apostolicarum.

II In dispensationibus autem, in forma pauperum expeditis, huiusmodi excommunicationem Summo Pontifici reservari, et dispensationem, hoc vitio peractam, nullius declarari roboris aut momenti.

III Qua de re nulliter contrahi matrimonia, pro quibus concessa fuerit dispensatio in forma pauperum, quoties officiales pro illius dispensatione aliqua munera vel praemia exiguerint vel acceperint.

IV Verba Litterarum Apostolicarum, adiectionem excommunicationis ipso facto incurrendae, et invalidationem ipsius dispensationis, in forma pauperum, cum hoc vitio expeditae, satis innuere verum praeceptum, firmamque Principis, id praecipientis, voluntatem.

V Quum autem Principis interdictum de non recipiendo aut aliquid exigendo toties iteretur, quoties Litterarum Apostolicarum executio committitur, ideo ex iure omnis contraria consuetudo inchoari nequit, cui inniti et perquam defendi possit factum officialium, aliquid accipienfium.

VI Ex notissima quoque taxa Innocentiana praecipi, Episcopum, eius vicarium generalem, et quemlibet ex eiusdem officialibus nil recipere posse, etiam oblatum sub specie muneris, in executione dispensationum Apostolicarum in causis matrimonialibus.

RENUNCIATIONE ET EXCARDINATIONIS

*Die 18 Martii 1881**

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Nicolaus Poenitentiarius supplicem libellum Sacratissimo Principi obtulit exponens, se iamdiu adversa valetudine laborare ob aeris intemperiem atque asperitatem; hinc sui canonicatus renunciationem sponte ac libere emisit, Sanctitatis suae benignitatem exorans, ut illam excipiens, excardinationis gratiam ei concedere dignetur, ad finem suae saluti prospiciendi in aliena Dioecesi, in qua coelo mitiori fruens, aliquod Ecclesiae servitium praestare possit, ac valeat.

Adiecit autem sese exposcere huiusmodi excardinationem •etiam ut consuleret suae conscientiae, personalique securitati, tum quia suum ministerium, ex facto extrinseco, absque sua culpa, effectum fuerit inefficax. Episcopus rogatus retulit : huiusmodi preces omnino reiiciendas fuisse utpote quae validis haud inniterentur rationum momentis. Nam si virium imbecillitate orator praepeditur Poenitentiarii munere perfungi, quo laudabiliter adhuc perfunctus est, nescio, ait, quomodo saluberrimum coelum in quo adolevit et tot annis benevalens vixit, aufugere quaerat. Hic autem eius securitas personalis discrimen non patitur. Quis enim homini pacifico, nemini inviso, genere moribusque spectatissimo pararet insidias ?

Capitulum vero censuit : oratorem renunciare non posse •canonicatum, quia id vetant sacri canones et praecipue Bulla s. Pii V. *Quanta Ecclesia Dei incommoda.* Vetat praeterea bulla canonieatus ipsius dimittere vel resignare illam praebendam, nisi post triennalem residentiam, quam nondum -explevit orator.

Disceptatio synoptiea.

PRECES CANONICI EXCIPIENDAE VIDENTUR. **Sane quod Canonicus in themate renunciare possit suo canonicatui, id in dubium trahi haud posse videtur:** *quisque enim potest iuri suo renunciare.* **Idque eo vel magis, quia iusta, et legitima causa intercedit. Ad rem Ferraris sub verbo resignatio n. 11-ibi- «** *Quilibet Clericus beneficiatus potest, regulariter loquendo ex iusta causa renunciare beneficio, sibi quaesito, in manibus legitimi superioris. Ita communis per text. in cap. Admonet 4. Cap. Nisi cum pridem 10' de renunciatione. Cap. Quoniam 1 eod. in 6.* **Nec aliquid negocii facessunt Bulla Pii V, et Bulla Canonicatus a Rmo Capitulo allatae, quoniam ad rem haud facere putantur, intercedente in themate iustissima, ac legitima causa. Etenim orator, praeter alia gravia incomoda, quae mitiorem omnino efflagitant coelum, iuxta Medicorum sententiam, intestinali laborat hernia.**

Renunciato autem canonicatu, excardinationis indultum concedendum videtur. Ipse enim hoc modo residentiae legibus haud amplius obstringitur, ideoque pristinam recuperat libertatem statuendi domicilium ubicumque voluerit. Nequedicas Clericum illam Ecclesiam, cui in vim prime vae ordinationis adscriptus fuit, deserere haud posse sine expresso beneplacito Episcopi. Hoc enim in casu, praeterquamquod dissensus Episcopi iniustus atque irrationabilis existimari posset, ideoque minime attendendus, illud esset maxime ponderandum, quod ea est praeceptorum vis ac distinctio servanda, ut naturali nunquam positivum ecclesiasticum praevaleat. Porro lex, quae in casu adstringit clericum, nonnisi ex mero Ecclesiae praecepto, ac proinde positivo humano dimanat; valetudinis autem conservatio aeque ac vitae ipsius naturalibus commendatur et praecipitur institutis ac legibus.

Praeterea compertissimum in iure est, Ecclesiam piissimam matrem morbo vexatos summa humanitate ac pietate ita prosequi, ut ipsis nedum indultum vacandi a choro.

sed et illud abessendi a residentia, sive ad tempus sive in perpetuum, prout necessitas exigat, nunquam soleat denegare; quin huiusmodi naturalem aequitatem valeat remorari, eoque minus impedire oppositio canonicorum, aliorumque interesse habentium, quae, comprobata infirmitate, seu legitimo residendi impedimento, veluti iniusta, atque irrationabilis reputatur, ceu testatur resolutio in *Piscien. Indulti 6 Decerni). 1760,* in *Praten. vocandi a choro 23 Iunii 1764,* et in *Casertana Indulti abessendi 16 Dec. 1797.* Imo benignitas et humanitas huius s. Matris Ecclesiae erga infirmos eo processit, ut huiusmodi indulta ne ipsis quidem parochis recusaverit uti factum est in *Tarraconen. residentiae 24 Martii 1736,* imo eius aequitas nedum patitur, ut qui morbum contraxit, et inhabilis ad inserviendum aut ad residendum evasit, beneficium resignare cogatur, sed nec exigit, ut ad inserviendum, vel residendum compellatur per substitutum, veluti S. C. C. declaravit in citata *Praten. 23 Iunii 1764.* Porro si Mater Ecclesia tanta pietate prosequitur morbo afflictatos, ut nedum beneficio haud privet, sed imo velit, ut et fructibus praebendae et distributionibus quotidianis gaudeat, quanto magis amore et benevolentia eos prosequi debet, qui beneficio renunciant, uti in casu, ne cultus divinus ullum patiatur detrimentum; et nihil aliud expetunt, nisi ut ea lege solvantur qua in vim ordinationis tantum obstricti dicuntur, seu ut e propria dioecesi excardinentur ad finem propriae valetudini consulendi coelo mitiori fruentes, et Ecclesiae aliquod servitium praebendi ? Quae cum ita sint omni fundamento destitutae videntur rationes tum ab Episcopo, tum a Capitulo allatae in conspectu haud levis infirmitatis, qua ex medicorum testimonio Nicolaus laborare contenditur. Perpendendum enim serio est, quod Ecclesiae praecepta ad grave incommodum non adigunt, quod naturalis postulat aequitas, ut afflicto non addatur afflictio.

Hisce praenotatis, quaesitum est ab EE. PP. quomodo essent dimittendae preces canonici Nicolai.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. re perpensa, sub die 18 Martii 1882 respondit:

Pro gratia iuxta petita, facto verbo cum Sßmo et notificetur ministris Datariae Apostolicae. (1)

Ex **QUIBUS COLLIGES**

I. Iuxta Constitutionem s. Pii **V.** *Quanta Ecclesiae Pei* Episcopos posse recipere et admittere resignationes eorum dumtaxat, qui aut senio confecti aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii, aut censuris ecclesiasticis irretiti sunt.

II. Hinc ex praecepto Ecclesiae, seu ex iure humano positivo a nemine resignationes fieri posse absque legitima causa.

III. Inter alias haberi uti legitimam causam corporis debilitatem seu infirmitatem ; quo m casu cedere debet lex humana legi naturali, a qua praecipitur valetudinis ac vitae ipsius conservatio.

IV. Ideo in themate nil mirum si renuntiatio canonicatus recepta fuit, ne cultus divinus detrimentum pateretur; dum tali pietate pia Mater Ecclesia morbo laborantes prosequatur, ut sinat eosdem suorum beneficiorum redditibus frui, etsi onera ferre nequeant.

(1) Renuente Episcopo excipere resignationem Nicolai, hic eam emisit apud Apostolicam Datariam. Quae rem commisit S. C. Congregationi, ut videret an esset casus concedendae expetitae gratiae; seu ut iudicaret an adessent legitimae causae. Re absoluta, S. C. Concilii communicat *ex officio* resolutionem quaestionis Ministris Apostolicae Datariae, ut iidem tuto declarare valeant Praebendam poenitentiariam esse vacantem.

COETUS CAPITULARES

Die 18 Martii 1882.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. **EX** antiqua consuetudine in Cathedrali T. invaluit, ut praeter Canonicos, qui vigintiduo recensebantur, quadragintaquatuor Presbyteri dictae Ecclesiae, Participantes nuncupati, Capitularibus sessionibus interessent, omnesque suffragium ferrent. Quoniam vero ex hac maxima inaequalitate inter Canonicorum, et Participantium numerum, dissentiones et lites frequenter exoriebantur, Benedictus XIII, ad Canonicorum preces, statuit ut in rebus et negotiis iurisdictionalibus Capituli Canonici tantum, ad tramitem Decreti Tridentini votum promerent ; in negotiis autem communem massam , et quotidianas distributiones respicientibus vigintiduo dumtaxat ex Participantibus magis antianis. Quam dispositionem Clemens XII anno 1736 confirmans, conventionem quamdam Canonicos inter et Participantes initam, huc usque in suo vigore permanentem, ratam habuit. Cum autem nunc temporis ab actuali Gubernio Canonicorum numerus in Cathedralibus Ecclesiis ad duodecim tantum fuerit redactus, memoratum Capitulum, supplici oblato libello, die 24 Iunii huius anni , SSmum Principem adivit efflagitans, ut ad duodecim pariter Participantes, qui Capitularibus sessionibus interesse possent, coarctarentur, et comitia generalia ob votorum disparitatem haud rite celebrata, prae suae potestatis plenitudine sanare dignaretur.

Disceptatio Synoptica

QUAE FAVENT CAPITULO. Capituli preces benigno favore excipiendas esse nullatenus ambigi posse videtur, quandoquidem eadem ratio in praesentiarum occurrit, quae anno 1730 fel rec. Benedicti XIII animum impulit ad minue n-

dum numerum Participantium, qui in Capitularibus sessionibus locum obtinerent. Porro huiusmodi diminutionis praecipuam rationem **ex** frequentibus dissensionibus inter Canonicos Participantes ortis deductam fuisse liquet ex Brevi Clementis XII anni 1736, quo Benedicti XIII Decretum confirmatum fuit.

Quare si tunc temporis illa inaequalitas suffragiorum , utpote origo et fons omnium dissidiorum, e medio fuit sublata, ut pax restitueretur, etiam nunc idem peragendum esse videtur: ubi enim eadem est ratio ibi eamdem legi* dispositionem-esse debere decet iuris regula, qua non vulgatior altera.

Et merito, quandoquidem a iure nimis abnorme esse videtur, ut Canonici, qui, ad tradita per Bohemer *in decr., lib. 2 tit. 11.* § 7. tantummodo veniunt nomine Capituli, qui Episcopi senatum constituunt, quique partem aliquam in Dioecesis regimine potiuntur, in Capitularibus sessionibus Participantium voluntati penitus subiici debeant. Tandem si Summus Pontifex Clemens XII in memorato Brevi haud tolerandum censuit, et abusum nuncupavit quod quadraginta quatuor Presbyteri cum viginti duobus Canonicis suffragium ferrent; idipsum in praesenti casu censendum esse videtur, in quo Canonici suffragium ferentes duodecim sunt, Participantes vero viginti duo adnumerantur.

Neque ex hoc inferri posse videtur, uti Participantes contendunt, Gubernii legem, qua Cathedralium Canonici ad duodecim reducuntur, ab Ecclesia recognosci. Sicut enim frequenter Ecclesia ob imminutum Canonicorum numerum Chori servitium mitius reddit, quin tamen argui valeat, quod Ecclesia Gubernii legem ratam habeat: ita pariter videtur posse Ecclesia, tum ad Canonicorum decus, tum ad dissensiones e medio auferendas, memoratum abusum in praesentiarum evellere, et suffragiorum aequalitatem iterum statuere, quin de obiecta legibus civilibus annuentia redargui queat.

QUAE FAVENT PARTICIPANTIBUS. EX altera vero parte **re**ductioni a Canonicis imnloratae Participantes obsistunt tri-

plici ex causa; quia scilicet transactioni Canonicos inter et Participantes initae atque Pontificia, sanctione roboratae refragatur, quia nedum iurium laesiva sed etiam Ecclesiae **T.** noxia est, quia tandem nulla legitima ratio talem reductionem exigit.

Ad primam rationem quod attinet, explorati facti esse aiunt, quod die 16 mensis Novembris 1735 Canonici et participantes de communi consensu conventionem inierunt, qua inter alia cautum fuit, ut *22* Participantes una cum *22* Canonicis suffragium ferrent, quoties de rebus et negotiis actum esset, quae massam communem et distributiones congruebant.

Pariter explorati facti esse contendunt, ei tatam conventionem seu concordiam Apostolica sanctione a Clemente **XII** communitam fuisse per literas ad formam Brevis editas, in quibus haec reperiuntur: « Nos . . . concordiam , seu tran-
» sactionem inter partes praedictas, sicut praemittitur ini-
» tam, confectumque desuper instrumentum praeinsertum
» cum omnibus et singulis pactis et conditionibus in eo con-
» tenti s et expressis horum serie perpetuo confirmamus ibi—
» dem et approbamus, illisque perpetuae et irrefragabilis
» Apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiicimus ».

Hisce in facto praestitutis, exploratum in iure est pacta et conventiones sancte et ad unguem servandas esse. Nihil enim tam fidei humanae congruit, quam ut pacta serventur *L. 1 /f. de Paci. Cap. 12 eod. tit.* cui concinit *regula XXI iuris in 6* - ibi - « *Quod simul placuit, amplius^ displicere non potest* ». Nec mirum, siquidem transactionis efficacia tanta est, ut sententiae aequiparetur, ac rei iudicatae vim habeat *L. Non minorem 20 C. 4 tit. 2,* rebusque ac litibus incertis finem imponat *Cap. Sicut, et L. Fratris IO C. eod. 3.* Quare transactionem semel bona fide ac legitime initam, altera transigentium parte invita, revocari aut rescindi non posse, docet *lex. sicut* **5** *Cod. de obligat, et nat.* - ibi - « sicut initio libera potestas unicui-
» que est habendi vel non habendi contractus, ita renun-

» ciare semel constitutae obligationi, adversario non consen- » tiente, nemo potest ». *L. Cum te 5 Cod. de Transad. L. Postquam Uti 4 Cod. de Pactis.* Imo talis transactio, ne quidem interveniente Rescripto Principis revocari valet, textu expresso in *Leg. Causas 16 Cod. de Trans.* - ibi - « Causas, vel lites transactionibus legitimis finitas impe- » riali rescripto resuscitari non oportet ».

Arguunt vero Participantes sibi obvenire posse damnum ex petita votantium imminutione : eo4uod iam suspicio enata sit de mala alicuius partis reditus profusione. Damnum autem ipsi Ecclesiae obveniret, quia ex dicta imminutione deesse posset qui varia officia implere valeret. Nam aliqua munera pro animarum cura, pro servitio chorali, et pro administratione nonnullorum Capituli fundorum participantibus magis antianis committuntur cum aliquo emolumento.

Tandem urgent Canonicorum preces respuendas esse ex altero capite, quia nempe nulla adest pretiosa ratio , quae huiusmodi reductionem faciendam esse suadeat. Etenim ex quo Capitulum, vi legum civilium, amisit suum patrimonium omni administratione *de facto* privatum fuit. Hinc coetibus capitularibus negocia oeconomiae tractanda amplius non sunt. Et ideo nullum Canonicis immineret discrimen ex praevalentia votorum Cleri.

Constito itaque, quod preces a Canonicis porrectae, concordiae a Sacratissimo Principe confirmatae adversantur*, constito quod iurium laesivae, et Participantibus aeque ac Ecclesiae T. praeiudiciales sint; constito tandem quod qualibet causa destitutae sint, eas ab ipso iudicii limine repellendas esse, Participantes concludunt.

Hisce praenotatis, quaesitum est, an Canonicorum essent excipiendae preces, vel annuendum Participantibus.

RESOLUTIO. Sacra C C . re cognita, sub die **18** Martii **1882** respondere censuit:

Praesentibus perdurantibus circumstantiis, tot participantes, magis antiani, intersint coetibus capitularibus, quot dignitates et Canonici Capituli legitime adnume-

rantur, etiamsi ultra praetensum duodenarium numerum ; ita tamen ut officia et emolumenta aeque distribuantur intra viginti duos portionarios: et consulendum SSmo pro sanatione, ad cautelam, quoad praeteritum.

VOCIS IN CAPITULO

Die 18 Mardi 1882.

COMPENDIUM FACTI. Archipresbyter Minor Cathedralis M. SSmo Principi exposuit ; Pontificem Paulum III per Bullam *Romanus Pontifex* erexisse in Cathedrali M. dignitatem, nuncupatam Archipresbyteratum Minorem, de quo nunc orator investitus est. Cui Dignitati indulsit omnia et singula privilegia, omnes honores et praerogativas, quibus aliae Dignitates *de iure vel de consuetudine aut alias utantur.* Inter quae statuit Pontifex, ut Archipresbyter Minor haberet *stallum in choro, a parte sinistra et locum in Capitulo.* Ob vicissitudines quae locum habuerunt in fine saeculi transacti, Archipresbyteratus extinctus fuit. Anno tamen 1835 in pristinum restituta fuit statum Praebenda haec ex peculio sacerdotis Antonii, qui dotem constituens, iuspatronatum sibi, suis fratribus, eorumque descendentibus reservavit. Hac redintegratione procul dubio omnia recuperavi t privilegia antiqua, eoquod in Bulla ripristinationis Gregorius XVI sic se habuit: *Mandamus quatenus vocatis vocandis... Archipresbyteratum minorem nuncupatum, qui in eodem Capitulo nova post Pontificalem dignitas existat ad pristinum illius statu n, gradum et honorem... qui uti verus et indubitatus illt.ut dignitarius ab omnibus... recognosci et reputari debeat___perpetuo restituas et re-*

Qua de re ambigi nequit Archipresbyterum Minorem recuperasse, praeter alia, etiam *vocem in capitulo.* Hoc ius tamen Capitulares impugnant rationi innixi quod praebenda haec habeat redditus distinctos, et sit iurispatronatus particularis laicalis.

Disceptatio Synopfiea

DEFENSIO ARCHIPRESBYTERI MINORIS. Huius defensor ait: tritissimum in iure esse, ex electione seu receptione in *fratrem* sive *Canonicum* iura canoniae acquiri,' quae stallum in choro et *vocem* in Capitulo tribuit. Piriñgh. *lib. 3 tit. 5 sect. 2 num. 1.* Reiffenstuel *lib. 3 tit. 5 de praeb, et dignitat. n. 57 et 58. Canonia* (vulgo canonicatus) *est ius spirituale, quod provenit ex electione, seu receptione in fratrem, sive Canonicum.* Ita *Innocent, in cap. etc. Nam siquis simpliciter in canonicum receptus fuerit, antequam redditus canonicales eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere canoniam, hoc est canonicatum, nondum vero praebendam. Siquidem praebenda ulterius importat ius ad percipiendos fructus annuos Canoniae, sive debitos ex titulo iuris canonicalis. Unde qui habet utrumque, is canonicus praebendarius appellatur. Canon. Sanctorum distint. 70. Porro ius illud spirituale, quod praebet canonia consistit in primis in iure habendi in choro sedem* (vulgo stallum) *et vocem in Capitulo.* Cui concinunt Ceccoper. *cap. 11 n. 18.* Barbos, *de Canon, et Dignitat. cap. 11.* Pignatell. *consult. 18 n. 8 et 9 tit. 6.* et S. C. Congregatio praecipue in *Romana praecedentiae, iurium et emolumentorum canonicalium diei 18 Februarii 1865* §. *Primum.* Iamvero ex documentis constat Archi presbyteros Minores, praehabita electione, nedum capitulariter possessionem cepisse, sed a Canonicis osculo pacis in fratres, seu canonicos receptos fuisse. Scatet hinc, concludit Orator, Archipresbytero^ Minores vere canoniae iura acquisivisse, ideoque stallum in

choro, et vocem in Capitulo nactos fuisse ac proinde vere, et proprie canonicos esse.

Quod adeo verum esse urget, ut Archipresbyteri Minores iisdem indumentis in choro utantur ac ceteri Canonici, de distributionibus participant, imo et oneri Missae conventualis per turnum, ut alii Canonici subiacent. Porro so- *l* mi, et unicam huius Missae oneris supportationem satis e ;se dicit ad revelandum, Archipresbyteros Minores vere ac proprie canonicos esse, ceu docet prae ceteris sacrae Rotae oraculum in *decis. 380 num. 8 p. 11. « Turnus Ecclesiae institutus non cadit nisi inter Canonicos* » cui concinit De Luca *Diseurs. 1 num. 6 de Canon, et Capit.*

Inter institutorem novi canonicatus et Capitulum conventum fuit, ut praebendae huic adnecteretur dignitas Archipresbyteratus minoris; a s. m. Gregorio XVI adiectum insuper fuit, ut novus canonicus certam pecuniae summam in distributionum massam immitteret ; ut de illis posset particeps fieri. Hinc nedum Capitulum, sed ipsa Curia episcopalis habuit Archipresbyterum minorem ceu verum canonicum ; cui noluit tribuere fixum stallum ne laederentur iura quaesita aliis canonicis, qui ante ipsum possessionem canonicatus iniverant. Hinc frustra obiiceretur non fuisse primae erectionis, ita ut a canonicis denegari queat eidem vox in capitulo.

Praeterea orator contendit, competere vocem in capitulo Archipresbyteris minoribus, etiamsi Dignitati adnexus esset canonicatus. Sane licet olim iuxta veterem iuris communis sanctionem consueverit ex solis canonicis Capitulum constitui, ita ut ipsis tantum veluti eiusdem Capituli membris ius esset suffragium ferendi in iis, quae ad rectum Ecclesiae regimen pertineret, et licet ad tramites huius dispositionis dignitates inter membra Capituli nequaquam recenseri valerent, neque ad sententiam suam in actibus Capitularibus proferendam admitterentur, sed stallum dumtaxat in Choro una cum iure praecedendi super canonicos obtinerent, iuxta celebrem doctrinam Composteli, in *cap. In. 4 de elect.,*

iiihilotamen secius huiusmodi sanctio ah aula iamdiu recessisse, ait, et hodie ab hac generali regula tres casus excipiuntur. Ita S. **O.** C. in *Guadalaxarien. electionis 3 Aprilis 1841* - ibi - « *Ab hac tamen generali regula tres casus excipiuntur. Primus est, si dignitati adnexa sit praebenda canonicalis, tunc enim ratione canonicatus dicitur Dignitas de capitulo, et habent in eo vocem. Gloss, in cap. Cum in verbo receperat de Constit, et ibi Felin. num. 18. Innocent, in cap. 2 in fine de instit. Abbas in cap. Dilectus 19 de praebendis. Idque procedit etiamsi esset adnexa praebenda non vere canonicalis, quae est, quomodo eam habens reputatur pro canonico, et habet vocem in capitulo ut canonicus, licet non sit canonicus, ut probat textus in cap. Dum in Eccles, de praebend. in 6.*

Alter casus est, si in ipsa erectione Dignitas effecta fuit de capitulo cum stallo in choro et voce in capitulo. Abbas, et Felin. in cap. Cum olim lib. 2 tit. de re iudicat. Barbos, de canonie, et Dignitat. cap. 37 n. 13. Rota coram Seraph, decis. 98 num. 1 et 2. et decis. 437 n. 9 et coram Bichio^ decis. 203 num. 3.

Tertius casus est, si vel ex Ecclesiae statuto, vel ex legitima consuetudine dignitates censeantur de gremio capituli' aut saltem ex observantia ipsae admissae fuerint ad pertractanda negocia capitularia, ac in iis vocem activam, et passivam habuerint, quae tamen desumi debet ex interventu in iis actibus, qui proprii sunt capituli, nimirum in condendis Ecclesiae statutis, in electionibus, in traditioner possessionis novo Episcopo, aliisque similibus. Ita communiter Abbas in cap. 3 de elect.

In themate vero, ait Orator, compertum est ex Bullis Pauli III et Gregogii XVI in ipsa erectione, istam Dignitatem effectam fuisse de Capitulo, quandoquidem stallum in choro et vocem in Capitulo obtinuit onusque fuit impositum implendi chorale servitium, sicuti ceteri canonici. Quibus accedit generalis fere totius Italiae consuetudo, ut dignitates sint de gremio Capituli, ita ut sint veri Canonici. Porro huiusmodi.

consuetudinem in tota fere Italia vigere unanimiter testantur, tum Cardinalis De Luca *diseurs. 46 de benef. n. 5 et 9,* tum Card. Petra *in Const. Leonis Magni tom. 1 sect. In. 9.* tum officiales Datariae Apostolicae in causa *Viterbien. executionis litterarum Apostolicarum anno 1826.*

Verum his etiam parumper omissis, Archipresbyteris minoribus vocem in Capitulo competere autumat orator, quia praeter decreta Episcopalia synodo adiecta, binae Apostolicae bullae ipsis vocem in Capitulo apertissime concesserunt. Etenim, uti supra innuimus, Paulus III in Bulla, cuius initium *Romanus Ponti f eoe* ait de Archipresbytero minori... stallum *in choro a parte sinistra et locum in capitulo et actibus capitularibus eiusdem Ecclesiae... habeat.* Gregorius XVI in Bulla *Coelestem Agricolam* sic ait: *Mandamus quatenus... Archipresbyterum minorem... ad pristinum illius statum, gradum et honorem perpetuo restituas ac reintegres.* Ex quibus verbis necessario consequi arguit s. Pontificem iterum dedisse, et de verbo ad verbum confirmasse novo Archipresbytero totum id, quod in primaeva Pauli III concessione continebatur. Talis enim est vis, ac potestas reintegrationis, ut omnia, et singula iura quae primitus competebant, ita restituat, veluti si numquam ablata fuissent, ad tradita per sacram Rotam *decis. 19 p. 1 tom. 1 n. 9. rec. Summus Pontifex Sistus V eosdem ad pristinum statum plene reintegrava, per quod omnia sua iura reassumpserunt, perinde ac si numquam ab eis ablata fuissent text. in leg. si deportationis C. de sent. pas.*

Hisce praenotatis ex oratione defensoris Archipresbyteri minoris, alia parte nihil producente, sequens propositum fuit enodandum

Dubium.

An et in quibus comitiis Capitularibus Archipresbyter minor vocem habeat in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, die **18** Martii **1882,** re perpensa censuit respondere :

Negative in omnibus.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

Novos canonicos , et extra capitularem massam positos sese ingerere non posse in particularia negocia veterum canonicorum primae constitutionis, ceu pluries resolvit s. C. Concilii. (1)

(1) Recole Vol. IV pag. 177 et Vol. VII pag. 684

MATRIMONII

Diebus 20 Septembris 1879
et 22 Aprilis 1882.

COMPENDIUM FACTI. Ea turbulentissima tempestate qua Insula Siciliae abrepta fuit a legitimo rege, duce Iosepho Garibaldi, iuvenes timentes ne inviti ad arma capessenda cogerentur, uxores ducere festinabant. Sciebant enim, ducem illum compellere iuvenes ad stipendia, salvis tamen legibus tunc vigentibus, quarum vi a militum delectu eximebantur, qur matrimonium celebraverant.

Inter illos, qui praetulerunt coniugale iugum dictatoris vexationibus, adnumeratur Salvator Archidioecesis M. qui die 14 Iunii 1860, praemissis rite denunciationibus canonicis, matrimonium cum Petronilla, vidua in secundis nuptiis, Stephani sui consobrini, celebravit. Nemo, uti videtur, de impedimento secundi gradus paris affinitatis suspicatus est, dum quindecim circiter annos communi vitae consuetudine coniuges usi fuerint.

Anno autem 1875 Salvator certior factus de hoc impedimento j quaerelam de nullitate sui matrimonii excitavit in Curia archiepiscopali M. Iudex ille sententiam sacro vinculo adversam protulit, quin antea nec examen coniugum, nec te-

stes septimae manus exquireret, sed innixus tantummodo fidei Cancellarii, qui testatus est nullum dispensationis rescriptum a coniugibus exhibitum fuisse, pro matrimonio contrahendo. Ab hac sententia defensor s. vinculi appellavit ad curiam viciniorem, iuxta Bullam Pii IX sa. me. *Multis gravissimis* (1): eo quod nec asserta affinitas satis probata videretur, nec defuisse Sedis Apostolicae relaxationem satis certo constaret. Ast etiam secundus Iudex, nulla alia adhibita diligentia, primam ratam habuit sententiam. Defensor s. vinculi ab oppositione destitit, neque ultra appellavit ; sed mulier quae consenserat, ut duae domunculae suae proprietatis, a marito distraherentur, magis harum iacturam deflens, quam mariti amissionem, ab Apostolica Sede expetivit, ut irrita declararetur duplex sententia. Eodem tempore oratrix professa est, impedimentum post matrimonium detectum, auctoritate ecclesiastica dispensatum fuisse. Causa oeconomice tractata fuit cum voto consultorum, et animadversionibus defensoris s. vinculi, quorum synopsim heic damus.

Disceptatio »ynoptäca.

VOTUM CANONISTAE. Constare de affinitate ex authenticis tabulis, idest ex libris qui servantur in Ecclesia parochiali., ait Canonista ; sed omnem defuisse impedimenti relaxationem incredibile sibi videri. Ast iudices in themate, nullo in ius vocato teste ex amicis aut ex propinquis, ut sententiam emanarent, satis habuisse Cancellarium Archiepiscopi testimonium protulisse, nullum a coniugibus exhibitum fuisse dispensationis rescriptum pro matrimonio contrahendo. Quid si ab alio quopiam fuisset exhibitum ? quid si pro matrimonio contracto ? Ast admisso nihil ad rem existere in Cancellaria, haud sequitur tale aliquid numquam antea extitisse. Quis ignorat saepe evanuisse ab Archiviis diplomata officialium iniuria, aut famulorum corruptela? Hinc

(1) Habes hanc Bullam Vol. III. pag. 186: in ea praescribitur modus quo causae ecclesiasticae iudicari possint ot debeant in Insula Siciliae.

a testibus et propinquis inquirendum erat, numquid ante vel post matrimonium de impedimento novissent aut audivissent, aut de obtenta sive de obtinenda dispensatione. Quaerendum erat a viro quanto ab hinc tempore cognoverit matrimonium esse nullum : a muliere autem an revera sciret impedimentum esse relaxatum et quomodo ; an publice, an secreto, et in foro conscientiae. Potuit enim s. Poenitentiaria per confessarium relaxare ad tradita per Bened. XIV *Instit. 87 n. 9;* cuius dispensationis nullum in Archiviis documentum extare posset (1).

Ast si de validitate matrimonii adhuc dubium supersit, erit ne unius chartulae defectu resolvendum matrimonium, quod pene ab annis viginti extitit? Ad scandala vitanda, admirationemque publicae opinionis, a Summo Pontifice dispensatio peti posset ; quin imo si opus esset matrimouium sanari posset in radice , modo constet de bona fide in actu matrimonii, olim coram Ecclesia initi. Hoc remedio Pontifices Romani usi sunt aliquando utroque coniuge, aut altero saltem inscio, aut etiam post utriusque coniugis obitum, ut proles fieret legitima. Nec necesse est, ut prior consensus moraliter perseveret; nam Bened. XIV hanc concessit sanationem dum alter coniugum matrimonii solutionem sollicitare^ decret. *Etsi matrimonialis Bull. t. 4 n. 51.*

VOTUM THEOLOGI. Inter praecipuas conditiones, ait iste, quibus matrimonii dignitas munitur, ne vilissima carnis libertas introducatur, illa in casu respicienda est, quae prohibet matrimonium celebrari et dirimit celebratum inter affines usque ad quartum gradum (ex licita copula) in linea collaterali. In Concilio Lateranensi sub Innocentio III celebrato, statutum fuit quod « impedimentum consanguinitatis » et affinitatis quartum gradum non excedat.» Quae prohibitio a Tridentino *Sess. 24 cap. 5 de ref. matrimonii* confirmata fuit.

(1) Sacra Poenitentiaria solet utplurimum concedere haec Indulta simplici Confessario, qui petitionem pro poenitente obtulit, et cum gratiae detur executio, apponi etiam solet clausula, com- *Iustis* post executionem *litteris.*

la casu nostro iuvenis Salvato[1] consanguineus erat cum. Stephano, cuius vidua erat Petronilla. ; huic ergo vinculo affinitatis secundi gradus erat coniunctus ; idcirco nullum fuit matrimonium inter affines istos contractum.

Censuit autem Theologus, nullam expetitam nec obtentam fuisse a coniugibus dispensationem ab impedimento affinitatis. Etenim testis fide publica dignus, scilicet Cancellarius Archidioecesis M. declaravit, nullum unquam nec a coniugibus nec a parocho, nec a quovis alio rescriptum pontificium dispensationis accepisse circa impedimentum affinitatis in matrimonio, inter Salvatorem et Petronillam. Parochus coniugum testatus est, se numquam vidisse rescriptum aliquod dispensationis : quinimo, cum impedimentum affinitatis cognoverit, contracto iam matrimonio, Salvatorem pluries hortatum esse, ut dispensationem peteret, quod facere noluit. Denique ipsa mulier in libello appellationis confitetur non obtinuisse necessariam dispensationem.

Putandum ne est, Antistitem oretenus illam dispensationis gratiam coniugibus dedisse ? Sed huic hypothesi s. Inquisitionis, Cong. respondit die 19 Ianuarii anni 1661: « Pro-
» positio asserens, Episcopum posse dispensare in publico
» impedimento, matrimonium dirimente consanguinitatis pro
» matrimonio contrahendo sive in articulo mortis, sive in alia
» urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint
» expectare dispensationem Sedis Apostolicae est falsa, te-
» meraria, scandalosa, perniciosa et seditiosa.»

Etsi Episcopi et fideles Siciliae illa tempestate a sectariis vexarentur, liberum tamen quodcumque communicationis medium erat eisdem cum Roma. Si denique, post contractum matrimonium confessarius a s. Poenitentiaria impetravisset dispensationem, mulier de consensu repetito rememoran debebat, et dispensationem, saltem a marito obtentam, meminisse oportebat, eumque de recepta sanatione redarguere. Sed de hoc nullum dedit indicium. Denique habetne mulier ius cogendi maritum ut sanationem quaerat ? Videtur hoc iure destitui ; nam illa sciens impedimentum, et parocho adlior-

tante, maritum non suasit, sed parocho restitit. Proinde cum passa fuerit vivere in illicito consortio, nulla iniuria volenti et consentienti facta est : nullum virginitatis pertulit discrimen, quia vidua fuit ; neque longum tempus eidem suffragantur ex *cap. 8 De cons. et affin,* quo statuitur « *ut si quis contra prohibitionem. . . . . . praesumpserit copulari,. nulla longinquitate defendatur annorum* ». Declarata autem matrimonii nullitate a duobus Curiis, ius petendi dispensationem manet in potestate utriusque coniugis, non uniusvel alterius. Et ideo renuente viro dispensationem petere, sine gravissima causa dispensatio elargienda non est, iuxta divum Bernardum aliosque doctores : quae causa deesse omnino videtur in themate.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Dolet iste quod a duabus Curiis in proferenda nullitatis sententia, posthabita ac omnino neglecta fuerit omnis canonicae disciplinae regula. Etenim iuxta Instructionem s. C. C. anni 1840 §. *cum itaque,* in causis matrimonialibus exordiendum est a iuramento coniugum. Ex §. *expleto* autem nedum coniuges eidem iudiciali inquisitioni subiiciendi sunt, sed etiam testes ex utroque latere inducendi. Agitur enim in his causis, *omnium gravissimis,* non magis de iuribus coniugum, quam de religione christiani connubii ; quin imo de sacramentali vinculo,, ex divina ceteroquin institutione, aeterno et indissolubili.

A providis hisce sanctionibus declinari nequit etiam in causa nullitatis, ob impedimenta consanguinitatis vel affinitatis, quae demonstrari valeant ex tabulis Paroeciarum vel Curiarum. Id enim eruitur tum ex Constit. *Dei miseratione,* tum *ex cit. Instructione,* a quibus nulla vel minima distinctio fit pro eiusmodi impedimentis. Sed pro omnibus causis matrimonialibus normae et regulae observandae traduntur absolute et generice. Hinc in proemio Instructionis *cit.* dicitur - « *ut,probationibus undequaque accuratissimis cumulatis, in causis huiusmodi, omnium gravissimis, in quibus agiturde sacramenti validitate vel nullitate, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent.* » (1) Praeterea Alexander IIL

II) **Adest Instructio haec Vol. I 439.**

in *cap. ex litteris i de consanguin, et affin,* testes exquirit in causa coniugii a vidua contracti ; dum, impetito matrimonio a duobus accusatoribus *iuratis*, ob impedimentum consanguinitatis viri cum praedefuncto coniuge, decrevit ut inquisitio absolveretur, aliis adhibitis *testibus circumspectis atque omni exceptione maioribus.* Etenim tam variae ac multiplices concurrere possunt rerum circumstantiae, ut ex coniugum et testium depositionibus emergere queat dispensationis ab Ecclesia elargitae probatio.

Attamen in casu nostro, quomodo in iudiciali ordine Ecclesiae disciplina observata fuit ? Ab una et altera Curia in controverso coniugio sententia nullitatis lata est supra una tantummodo quadam arbore genealogica, quae constituit inter Salvatorem et Petronillam affinitatem in secundo gradu. Nullum autem examen coniugibus indictum, nullum iuramentum ab iisdem praestitum, nulla *ex septimae manus* testibus instaurata inquisitio fuit.

Haud obliterandum, mulierem a uturnasse quod impedimentum dispensatum fuerit ab auctoritate ecclesiastica, statim ac innotuit. Nunc quaenam adduci posset probatio si dispensatio elargita fuisset a s. Poenitentiaria, ministerio Confessasarii ? Certum est ex Constit. *Pastor Bonus* Benedicti XIV quod maior Poenitentiarius facultatem habet dispensandi a *secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu,* si post matrimonium rite ac bona fide contractum, saltem per *decennium* impedimentum permanserit occultum. Notum insuper est a Poenitentiaria dispensationem largiri solere, ad matrimonium in radice convalidandum, etiam altero ex coniugibus inscio, tum impedimenti, tum petitae dispensationis. Ex quo itaque Petronilla confessa est, impedimentum iamdiu sanatum fuisse, iam urgebat necessitas formale examen instituendi, ut exinde emergerei num de hac dispensatione aliqua opitulari posset probatio, sive ex testibus sive ex Sacerdote, cuius forsan ministerium adhibitum fuerat.

Ceterum quidquid emergere posset ex hoc examine, verum est, ait defensor, processum substantialiter labefactatum

fuisse; quapropter in exempt im etiam aliorum expostulavit -ut EE. PP. posthabitis duarum Curiarum sententiis, actorum processum debite ac rite compleri décernèrent.

Quibus animadversis, enodandam propositum fuit

Dubium

An sententiae Curiae M. et Curiae C. sint confirmandae vel in firmandae in casu.

Sacra Congregatio Concilii respondit:

Compleantur acta processus penes C ter iam M.

CAUSAE PROSECUTIO. Iussu s. Cong. Concilii quaestio rite instituta fuit in Curia M. auditique fuerunt coniuges, parochus Ecclesiae in qua matrimonium celebratum fuit; et testes *septimae manus,* utriusque coniugis septem, et septem aliqua sanguinis propinquitate coniuncti, omnes iurati: *ei* adhibitus fuit etiam matrimonii defensor.

Petronilla dein, ait Canonista, vocata ad examen post quinque menses se sistit, ut molestias viro adderet, qui novas iam paratas habebat nuptias. Verum iterrogata a delegato respondit: nullam dispensationem praeivisse aut subsequutam fuisse matrimonium, eoquod ignorabatur impedimentum.

Tunc defensor instetit, interrogando per quos et unde dispensationem impetrasset, de qua in libello appellationis mentionem fecerat. Cui illa: certior facta fui per quamdam personam. Interrogata semel atque iterum quae tandem persona illa fuit. Respondit: nequeo eam revelare, et numquam revelabo. Unde patet assertam dispensationem nihil aliud quam merum commentum et mendacium fuisse ad retardandum iudicium, ex odio in virum qui eam deseruerat. Nec paullo ante eamdem deseruerat, ut videbatur innuere in libello appellationis, sed iam tot annos. Et ideo si quid illa de dispensatione aut audivisset, aut suspicata fuisset, hoc statim declaravisset, unde victoriam haberet in manibus. Merito ergo rogati testes, an Petronilla mentiri posset, omnes aut affirmarunt, aut id probabile sibi videri dixerunt.

Parochus vero Ecclesiae, in qua matrimonium celebratum fuit, sibi videri, ait, quod dispensatio haud expetita fuerit. Nam illa tempestate iuvenes ad effugienda arma per populi tumultum cogebant Parochos, ut matrimoniis assisterent. Hinc saepe nequibant iidem Parochi omni uti cautela ad contrahentium libertatem cognoscendam.

Defensor s. vinculi autem adiecit sibi videri, iudicem inquirere etiam debuisse utrum matrimonium Petronillae cum consobrino Salvatoris ratum vel consummatum extiterit. Ex matrimonio enim simpliciter rato non oritur affinitas, ceu bene demonstrat Sánchez *I. 7 de impedimentis disp. 44. n. 25.* Quoad dispensationem antea habitam, gravissima, ait, adest praesumptio ex modo legitimo quo nuptiae contractae sunt. Parochus enim eas pertractavit, direxit et benedixit, iste supponi nequit tam ignarus et crudelis erga suos, ut eosdem in putido concubinatu voluerit proiicere. Parochus praeterea ignorare nequibat impedimenti existentiam, cum ageretur de parva paroecia, cuius incolae ita eidem Parocho innotescere solent, ut cuiuslibet inhabitabis domesticas relationes agnoscat.

Praeterea ex tabulis processus, censuit defensor, erui quod hoc impedimentum uti occultum haberi queat: nam etsi Parocho vel uni aut alteri ex oppido innotuit, tamen universitatem latuit. Nam per octo annos in quibus coniuges pacifici inter se fuerunt, nulla in vulgus suspicio de impedimento habita est. Iam vero hac in hipothesi Episcopum posse dispensare, saltem in casu in quo periculum est in mora, et ad Romanum Pontificem recursus non facile patet, (1) docet etiam Bened. XIV *De Synod. Dioec. L 9, cap. 2 n. 2.* Hac theoria fretus, nonne poterat parochus nostrorum coniugum ad Episcopum rem deferre, et dispensationem obtinere? Siquidem urgentissimae erant circumstantiae, politici motus gravissimi, et magna animorum trepidatio ex adventu *fa-*

(1) Recole Vol. XIV. pag, 155: ubi aniplo molo disseritur de potestate Episcoporum dispensandi impedimenta occulta, in casu extremae necessitatis.

mosissìmi ducis, cuius cadaver adhuc expectat ut cremetar, dum eius spiritus... iam suis meritis partum tenet praemium.

Hisce noviter animadversis, EE. PP. iudicio suppositum fuit snodandum

Dubium

An sententiae Curiae M. et Curiae C. sint confirmandae vel infirmandae in casu.

RESOLUTIO. Sacra **C.** C. re perpensa, sub die 22 Aprilis 1882 censuit respondere:

Affirmative... ad primam partem, negative ad secundam. (1)

(1) Iure in hac quaestione s. vinculi vindex dolet quod ab utraque Curia ordo iudicialis pessumdatus sit, subtractusque fuerit a sanctissimis Ecclesiae sanctionibus. Attamen quisquis videt hanc quaestionem facilis fuisse solutionis usque ab exordio : nam constito quod inter coniuges affinitatis impedimentum existeret . ab eoque nullam expetitam, aut concessam fuisse dispensationem, quaestio soluta manebat, nullumque existebat matrimonium. Invida tamen rabies Petronillae, quae processerat in diebus suis, dum Salvator adhuc iuvenis esset, mendacium excogitavit, asserens impedimentum relaxatum fuisse. Sed perperam sacra Dicasteria agitavit ; nam in ius vocata riteque a iudice interrogata retulit; nullam adfuisse dispensationem pontificiam, neque ante, neque post matrimonium.

Miranda tamen est ratio agendi parochi, quoad ovium sibi concreditarum salutem. Ob tumultum populi, qui urgebat Parochos, ut cito matrimonia celebrarent ad eludendas novas dictatoris dispositiones quoad militiam, parochi, nulla adhibita cautela quoad status libertatem postulantem , eosdem sacrevinculo copulabant. Populo tumultuanti ergo obsequitur parochus, ut Iudaeis Pilatus, et sanctissimas leges negligit ac infrangit; nec, sedato tumultu, aliquid curae habet, ut tot malis remedium adhibeatur! Coniuges enim in putido concubinatu longos per annos permanserunt sub pastoris oculis.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

APPENDIX III

MISSAE Beatorum Alphonsi de Orozeo, Caroli a Setia et Humilis Bisiniaiio Confessorum.

DIE XIX SEPTEMBRIS/

E. ALPHONSI DE OROZCO
CONFESSORIS

Missa Os iusti, *de Comm. Conf. non Pont. praeter orationes sequentes.*

Oratio

Deus, qui Beatum Alphonsum Confessorem, eximium Verbi tai praeconem, spiritu consilii et fortitudinis mirifice decorasti: concede nobis, quaesumus; ut salutaribus ejus monitis et exemplis adiuti, certantes in terris, aeternam ingredi requiem valeamus. Per Dominum.

Secreta

Hanc immaculatam hostiam suscipe, Domine, in odorem suavitatis, et illo nos amore puritatis infiamma, quem in Beati Alphonsi Confessoris tui corde iugiter custodisti. Per Dominum.

Postcommunio

Quaesumus, Domine Iesu Christe, Ut sicut Beatus Alphonsus in hac caelesti mensa, lumine vultus tui perfusus, superna gaudia praegustavit, ita nobis divina sumpta libamina, caelestis gloriae pignus esse concedas. Qui vivis.

DIE X APRILIS

BEATI CAROLI A SETIA
CONFESSORIS

Missa Iustus ut palma, *de Comm. Conf. non Pont. praeter orationes sequentes.*

Oratio.

Domine Iesu Christe, qui e sacrosancto Corpore tuo, divinae caritatis iaculo emisso, Beati Caroli cor mirabiliter vulnerasti; eius intercessione nos propitius respice, et tui amoris igne corda nostra clementer accende. Qui vivis.

Secreta.

Sanctificet nos, quaesumus Domine, hoc sanctum et immacu-

latum Sacrificium; ut Beati Caroli meritis «t exemplo, in tua caritate ferventes illud digne suscipere valeamus. Per Dominum.

Postcommunio.

Pretioso Corpore et Sanguine tuo vivificati, te supplices exoramus, Domine Iesu Christe; ut Beati Caroli suffragiis et imitatione, Tibi iugiter adhaerentes, copiosum Passionis tuae fructum percipere mereamur. Qui vivis. •

DIE V DECEMBRIS

B. HUMILIS A BISINIANO

CONFESSORIS

Missa Iustus ut palma *de Comm. Conf. non Pont. praeter orationes sequentes.*

Oratio

Dòmine Iesu Christe, qui miti» es et humilis corde, fac nos- Beatum Humilem Confessorem, eximium humilitatis et mansuetudinis tuae exemplar, ita imitari, ut, vitae superbiam abnegantes, tibi perpetuo famulenmr. Qui vivis.

Secreta.

Placationis hostiam ea tibi humilitate offeramus, qua Beatus Humilis preces suas tuae maiestati offerebat. Per Dominum.

Postcommunio.

Sacramenta quae sumpsimus, Domine, excitent et foveant in cordibus nostris desiderium regni caelestis; ut per merita et exempla Beati Humilis, in scientia sanctorum proficientes, ad Te feliciter pervenire valeamus. Per Dominum.

MONITUM

Nova Officia in Kalendario universalis Ecclesiae inserenda ex Apostolico Brevi diei 28 Iulii 1882 (1) (quod vim obligandi habet anno 1884) assignari poterunt diebus proxime insequentibus va«uis, in iis Kalendariis particularibus perpetuis, in quibus alia Officia iam affixa illis diebus reperiuntur, prouti pro Kalendario Urbis provisum fuit.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 13» Septembris 1882.

LAURENTIUS SALVATI 5. *R, C. Secretarius.*

(1) Belata m fait pag. 54 Voluminis huius.

EX S. CONG. S. R. o. INQUISII.

DECRETUM

jrç?n« *IV die 19 Iulii 1882.*

Suprema Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Inquisitorum Generalium in Feria IV die 19 Iulii 1882 damnavit et proscripsit sicuti damnat et proscribit, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit opusculum, cui titulus :

« Riproduzione di un discorso recitato da Monsignor Ge-
» nuardi Vescovo di Acireale con Note dedicate all'Illustrisi
» simo e Reverendissimo Monsignor Guarino Arcivescovo di
» Messina » Catania, stabilimento tipografico Bellini Largo* Spirito Santo, numero 15, 1882 (1).

Eadem die et Feria

Sanctissimus Dominus Noster **LEO** Divina Providentia Papa XIII, audita super praedicto opusculo relatione, decretum confirmavit et promulgari mandavit.

Datum Romae die et Feria quae supra.

Fr. **VINCENTIUS LEO SALLUA** Ord. Praeda
Archiepiscopus Chalcedonensis

Commissarius Generalis S. R. et Universalis Inquisitionis.
Iuvenalis Pelami S. R. et Univ. Inquisii. Notarius.

(1) Qui titulus latine sic s» habet* - Nova editi* discursus, habiti a R. P. D. Episcopo Iacae Beatis, cum notis dedicatis Illmo atque Emo P. D. Guarino, Archiepiscopo Messanensi. - Catanae, es aedibus typographicis Bellini Largo Spi» rito Santo n. 15 1882.

DECRETUM

equo edicitur, eos, qui ad unicam comestionem non tenetur, obstringi tamen lege de non permiscendis licitis et interdictis epulis.

Die 23 Iunii 1875.

Huic s. Congregationi dubium fuit propositum ab Episcopo Baionehsi « utrum obligatio de non miscendis piscibus » cum carne diebus quadragesimae attingat omnes, qui vi » indulti carnibus vesci possunt, vel solummodo eos qui ieiu- » nant.»

Die 23 Iunii 1875 in Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis Cardinalibus, generalibus inquisitoribus, proposito suprascripto dubio et praehabito voto DD. Consultorum, iidem Emi ac Rmi rescribi mandarunt: *Affirmative quoad pri'ma m partem; Negative quoad, secundam partem;* et detur decretum 24 Martii 1841; nempe ad dubium : « An lex de non permiscendis licitis et inter- » dictis epulis eos etiam respiciat, qui ad unicam comestio- nem non tenentur, uti iuvenes antequam tertium comple- » verint septennium, aliique rationabiliter ab eadem excu- » sati ob impotentiam vel laborem: » Emi decreverunt: *Non licere.* (1)

(1) Volumine XIV pag. 568 duas retulimus declarationes s. Poenitentiariae Apostolicae, quoad eos qui dispensantur a lege ieiunii ratione aetatis, laboris et affectae valetudinis. Per praesens decretum vero, eisdem declarationibus affine, resolvitur, eos omnes qui a lege ieiunii dispensantur, teneri tamen obligatione de non miscendis piscibus cum camo diebus quadragesimae.

SANCTO FRANCISCO ASSISIENSI

ET

DE TERTIO FRANCISCALIUM ORDINE

PROPAGANDO

Sanctissimi Domini Nostri LEONIS Divina Providentia PAPA*! XIII Epistola Encyclica ad Patriarchas Primates Archiepiscopos et Episcopos universos catholici orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Auspicato concessum est populo christiano duorum virorum memoriam brevi temporis intervallo recolere, qui ad sempiterna sanctitatis praemia in caelum evocati, praeclaram alumnorum copiam, tamquam virtutum suarum perpetuo renascentem propaginem, in terris reliquerunt. — Siquidem post saecularia sollemnia ob memoriam Benedicti, monachorum in Occidente patris legiferi, proxima est occasio non dispar habendorum publice honorum Francisco Assisiensi, septimo post quam natus est exeunte saeculo. Quod sane contingere benigno quodam divinae providentiae consilio, non immerito arbitramur. Nam oblato ad celebrandum tantorum patrum natali die, homines admonere Deus velle videtur, ut summa illorum merita recordentur, simulque intelligant, conditos ab iis virorum religiosorum ordines tam indigne violari minime debuisse, in iis praesertim civitatibus, quibus incrementa humanitatis et gloriae labore, ingenio, sedulitate pepererunt. — Ista quidem sollemnia confidimus haud vacua fructu futura populo christiano, qui non sine •caussa sodales religiosos amicorum loco semper habere consuevit: proptereaque sicut Benedicti nomen magna pietate gratoque animo honoravit, ita nunc Francisci memoriam festo cultu et multiplici significatione voluntatis est certatim renovaturus. Atque istud pietatis reverentiaeque honestum certamen non regione circumscribitur, in qua vir sanctissimus editus est in lucem, nec finitimis a

praesentia eius nobilitatis spatiis: sed late est ad cunctas terrarum oras, quacumque Francisci aut nomen percrebuit, aut instituta vigent, propagatum.

Hunc animorum in re optima ardorem Nos certe sic probamus,, ut nemo magis; praesertim quia Franciscum Assisiensem admirari praecipuaque religione colere ab adolescentia assuevimus, et in familiam Franciscanum adscitos esse gloriamur , et sacra Alverniae iuga libentes atque alacres, pietatis caussa, non semel ascendimus: quo loco tanti viri imago, ubicumque poneremus vestigium, obiiciebatur animo , mentemque tacita cogitatione suspensam memor illa-solitudo tenebat. —"Sed quantumvis sit istud studium laudabile, tamen nequaquam in isto omnia. Ita enim de honoribus, qui beato-Francisco properantur, statuendum, tunc maxime futuros ei, cui deferuntur, gratos si fuerint iis ipsis, qui deferant, fructuosi. In hoc autem positus est fructus solidus minimeque caducus, ut cuius excellentem virtutem homines admirantur, similitudinem eius aliquam adripiant, fierique studeant ipsius imitatione meliores. Quod, opitulante Deo, si studiose effecerint, proiecto quaesita erit praesentium malorum opportuna et valde efficax medicina. — Vos itaque-volumus, Venerabiles Fratres, per has Litteras alloqui, non modo-pie tatem erga Franciscum Nostram publice testaturi, verum etiam vestram exeitaturi caritatem, ut in hominum salute eo, quo diximus, curanda remedio Nobiscum pariter elaboretis.

Liberator generis humani Iesus Christus fons est perennis, atque perpetuus omnium bonorum quae ab infinita Dei benignitate ad nos proficiscuntur, ita plane ut qui semel mundum servavit idem sit in omnes saeculorum aetates servaturus : *Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (1). Si quando-igitur naturae vitio aut hominum culpa contingat , ut in deteriorem partem delabatur genus humanum, et singulari quadam ope indigere ad evadendum videatur, omnino recipere se ad Iesum Chrâstum necesse est, atque istud putare maximum certissimumque perfugium. Divina enim illius virtus tam magna est tantumque, pollet, ut omnium in, ea vel periculorum depulsio, vel malorum posita sanatio sit. Futura est autem certa sanatio, si modo ad professionem christianae sapientiae, et ad evangelica vivendi praecepta genus humanum reducatur. Iis autem, quae diximus, forte incidentibus, malis,simul ac solatii venit divinitus provisa maturitas, fere iubet Deus , continuo virum aliquem in terris existere non unum de multis, sed summum et singularem, quem restituendae salutis publicae praeficiat muneri. Atqui istud plane nsuveniebat sub

fi) Act. IV, 12.

exitum saeculi duodecimi aliquantoque serius; fuit autem eius maximi operis perfector Franciscus.

Satis illa nota est aetas cum sua indole virtutum ac vitiorum. Insita altius in animis vigebat fides catholica : pulcrumque erat complures pietatis fervore incensos in Palaestinam transmittere qui vincere aut emori destina vissent. Sed tamen valde populares mores licentia mutaverat : nihilque erat tam hominibus necessarium, quam ut christianos spiritus revocarent. — Iamvero christianae virtutis caput est generosa animi affectio , rerum arduarum ac difficilium patiens: cuius forma quaedam m cruce adumbratur, quam qui Christum sequi malunt, onusto ferant humero necesse est. Illius autem partes affectionis sunt, abstinentem rerum mortalium animum gerere : sibimet acriter imperare : casus adversos facile moderateque ferre. Denique caritas in Deum, in proximos una omnium est domina et regina virtutum; cuius tanta vis est, ut molestias, quae officium comitantur, omnes abstergeat, laboresque quantumvis magnos non tolerabiles solum efficiat, verum etiam iucundos.

Harum virtutum saeculo duodecimo magna apparebat inopia, cum nimis multi, penitus mancipati rebus humanis, aut appetentia honorum ac divitiarum insanirent, aut per luxum et libidines aetatem agerent. Plurimum valebant pauci ; quorum opes fere in oppressionem miserae et contemptae multitudinis evaserant: atque huiusmodi vitiorum maculas ne ii quidem effugerant, qui disciplinae ceteris esse ex instituto debuissent. Et restincta passim caritate, variae quotidianaeque pestes consecutae erant, in videre, aemulari, odisse, distractis adeo infestisque animis, ut ad minimam quamque caussam et civitates finitimae sese invicem praeliando confluerent, et cives cum civibus ferro inhumane décernèrent.

In id saeculum Francisci cecidit aetas. Qui tamen mira constantia, simplicitate pari aggressus est dictis et factis genuinam christianae perfectionis imaginem senescenti mundo ad spectandum proponere.— Reapse, quemadmodum Dominicus Gusmanus pater integritatem caelestium doctrinarum per eadem tempora tuebatur, pravosque haereticorum errores luce christianae sapientiae depellebat, ita Franciscus ad grandia ducente Deo, illud impetravit ut ad virtutem excitaret christianos homines et diu multumque devios ad imitationem Christi traduceret. Non certe fortuito factum est, ut ad aures acciderent adolescentis illae ex Evangelio sententiae : *Nolite possidere aurum, nequz argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* (1). Et, *Si vis perfectus esse, vade vende quae*

(Iì Matth. X, 9-10.

habes et da pauperibus.... et veni, sequere me (1). Quae tamquam sibi nominatim dicta interpretatus, continuo abdicat se rebus omnibus, vestimenta mutat; paupertatem sibi sociam et comitem constituit in omni vita futuram*, et maxima illa virtutum praecepta, quae celso erectoque animo amplexus erat, Ordinis sui velut fundamenta fore decernit. Ex eo tempore, inter tantam saeculi mollitiam fastidiumque delicatissimum, ille horrido cultu atque aspero incedere: victum ostiatim quaerere: et quae acerbissima putantur, insanae plebis ludibria non tam perferre, quam vorare alacritate mirabili. Videlicet stultitiam Crucis Christi adsumpserat et probarat uti absolutam sapientiam; cumque in eius augusta mysteria intelligendo penetravisset, vidit iudicavitque nusquam posse gloriam suam melius collocari. — Una cum amore Crucis, pervasit Francisci pectus caritas vehemens , quae impulit hominem, ut propagandum nomen christianum animose susciperet, ob eamque caussam obviam sese vel manifesto capitis periculo ultro offerret. Hac ille caritate homines complectebatur universos: multo tamen çariores habuit egenos et sordidos, ita prorsus ut quos ceteri refugere aut superbius fastidire consuevissent, iis potissimum ille delectari videretur. Qua ratione egregie de ea germanitate meruit qua restituta perfectaque ex toto hominum genere unam velut familiam Christus Dominus conflavit, in potestate unius omnium parentis Dei constitutam.

Tot igitur virtutum praesidio atque hac praesertim asperitate vitae, studuit vir innocentissimus formam Iesu Christi, quoad poterat , in se ipse transferre. Sed divinae providentiae numen in hoc etiam duxisse videtur, quod rerum externarum singulares quasdam cum divino Redemptore similitudines assecutus est. — Sic, ad exemplar Iesu, Francisco contigit, ut in lucem susciperetur in stabulo, ac tale stratum haberet puer infans, quale olim ipse Christus tectam stramentis terram. Quo tempore, ut fertur, leves per sublime Angelorum chori, et mulcentes aera concentus similitudinem compleverunt. Item lectos quosdam, uti Christus Apostolos, sibi discipulos adiunxit, quos peragrare terras iuberet, christianae pacis ac sempiternae salutis nuntios. Pauperrimus, contumeliose illusus, repudiatus a suis, vel in hoc speciem Iesu Christi retulit, quod nec tantulum voluit habere proprium, quo caput reclinaret. Postrema similitudinis nota accessit, cum in Alverni montis vertice, velut in Calvario suo, novo ad illam aetatem exemplo , sacris stigmatibus corpori eius divinitus impressis, propemodum actus est in Crucem.— Rem hoc loco commemoramus non minus miraculo nobilem , quam

fi) }I:ltth. XIX, 21.

saeculorum praedicatione illustrem. Cum enim esset olim in crueiatuum Christi vehementi cogitatione defixus, eorumque vim acerbissimam ad se traduceret, et tamquam sitiens hauriret, delapsus e caelo repente Angelus se ostendit : unde arcana quaedam virtus cum subito emicuisset, palmas pedesque quasi transfixus clavis, itemque velut acuta cuspide vulneratum latus Franciscus sensit. Quo facto , ingentem caritatis ardorem concepit animo : corpore vivam expressamque vulnerum Iesu Christi in reliquum tempus imaginem gessit.

Ista rerum miracula , angelico potius quam humano celebranda praeconio, satis demonstrant quantus ille vir, quamque dignus fuerit, quem aequalibus suis ad mores christianos revocandas .Deus destinaret. Profecto ad Damiani aedem exaudita Francisco est maior humana vox, /, *labentcm tuer e domum meam.* Neque minus admirationis habet oblata divinitus Innocentio III species, cum sibi videre visus est Basilicae Lateranensis inclinata moenia humeris suis Franciscum sustinentem. Quorum vis ratioque portentorum perspicua est: nimirum significabatur, christianae reipublicae non leve per ea tempora praesidium et columen Franciscum futurum. Revera nihil cunctatus est quin accingentur. Duodeni illi, qui se in eius disciplinam primi contulerant, exigui instar seminis extiterunt , quod secundo Dei numine, auspiciisque Pontificis maximi, celeriter visum est in uberrimam segetem adolescere. Eis igitur ad Christi exempla sancta institutis varias Italiae Europaeque regiones, Evangelii caussa, describit: dato certis inter eos negotio, ut in Africain usque trai i ei ant. Nec mora: inopes, indocti, rudes, committunt tamen populo sese: in triviis plateisque, nullo loci apparatu nec pompa verborum, ad. contemptum rerum humanarum, cogitationesque futuri saeculi homines adhortari incipiunt. Mirum tam ineptis, ut videbantur, operariis quantus respondit operae fructus. Ad eos enim confluere cat er vat ini cupida audiendi multitudo: tum dolenter admissa defiere, oblivisci iniuriarum, ooiupositisque dissidiis ad pacis consilia redire. Incredibile dictu est, quanta inclinatione animorum ac prope impetu ad Franciscum turba raperetur. Assectabantur maximo concursu, quacumque ille ingrederetur: nec iare» ex oppidis , ex urbibus frequentioribus universi promiscue cives homini erant supplices , ut se vellet in disciplinam rite accipere.— Quamobrem caussa nata est viro sanctissimo, cur sodalitatem *Te ¡'tí i Ordì vis* institueret, quae omnem hominum conditionem, omnem aetatem , utrumque sexum reciperet, nec familiae rerumque domesticar um vincula abrumperet. Eam quippe prudenter temperavit non tam legibus propriis, quam ipsis legum evangelicarum partibus : quae sane nomini christiano

graviores videantur. Videlicet praeceptis Dei Ecclesiaeque obtemperetur, absint factiones et rixae: nihil detrahatur de aliena re: nisi pro religione,' patriaque, ne arma sumantur: modestia in victu cultuque servetur: f acessa t luxus: periculosa chorearum artisque ludicrae lenocinia vitentur.

Facile est intelligere permagnas manare utilitates ex huiusmodi instituto debuisse cum salutari per se, tum ad eam tempestatem mirabiliter opportuno. — Quam opportunitatem et satis: indicant coalitae eiusdem generis ex Dominicana familia aliisque ordinibus sodalitates, et eventus ipse confirmat. Sane illi Franciscalium ordini nomen dare infiammato studio summaque voluntatum propensione ab intimis ad summos vulgo"properabant. Optarunt ante alios hanc laudem Ludo vicus IX Galliarum rex, et Elisabetha Hungarorum regina: successere aetatum decursu plures ex Pontificibus maximis, item ex Cardinalibus, ex Episcopis , ex regibus, ex dynastis, qui omnes insignia Franciscalia non aliena esse a dignitate sua duxerunt. — Sodales tertii ordinis animum suum in tuenda religione catholica pium aeque ac fortem probavere : quarum virtutum si magnam ab improbis subierunt invidiam, ea tamen, quae honestissima est atque unice expetenda, sapientium et bonorum approbatione numquam caruerunt. Immo Gregorius ipse IX Decessor Noster fidem ipsorum ac fortitudinem publice gratulatus, minime dubitavit et auctoritate sua defendere, et *milites Christi, Machabaeos alteros,* honoris caussa, appellare. —Neque carebat veritate laus. Magnum enim salutis publicae praesidium erat in illo hominum ordine: qui propositis sibi auctoris sui virtutibus et legibus , perficiebant , quoad facultas ferret, ut christianae honestatis decora in civitate reviviscerent. Certe ipsorum opera exemplisque extinctae saepe aut delinitae sunt factionum partes : erepta ab efferatorum dextris arma: litium et iurgiorum caussae sublatae: parta inopiae et solitudini solatia: castigata, fortunarum gurges et corruptelarum instrumentum, luxuria. Quare pax domestica et tranquillitas publica, integritas morum et mansuetudo, rei familiaris rectus usus et tutela, quae sunt optima humanitatis incolumitatisque firmamenta , ex tertio Franciscalium ordine, tamquam ex stirpe quadam, gignuntur: eorumque bonorum conservationem magna ex parte Francisco debet Europa.

Plus tamen, quam ulla ex gentibus ceteris, Francisco debet Italia; quae sicut eius virtutibus princeps theatrum fuit, ita maxime beneficia sensit. — Et sane quo tempore multa multi pro iniuria contenderent, ille afflicto et iacenti constanter porrexit dexteram : in summa egestate dives, numquam destitit alienam sublevare inopiam,

immemor suae. Vagiit sua v te,' in eius ore patrius sermo recens : •vim caritatis simul et poeticae expressit canticis, quae vulgus edisceret, quaeque, admiratione visa sunt non indigna eruditae posteritatis. Ad Francisci cogitationem, aura quaedam afrlatusque humano .angustior ingenia nostrorum concitavit, ita quidem ut in eius rebus gestis pingendis, fingendis, caelandis, summorum artificum industria vertant. Nactus est in .Francisco Alighierus , quod grandiloquopariter mollissimoque caneret versu: Cimabue etGiottus, quod Parxhasiis luminibus ad immortalitatem illustrarent: dari artifices aedificandi, quod magnificis operibus perficerent, vel ad sepulchrum hominis paurpeculi, vel ad aedem Mariae Angelorum, tot tantorumque miraculorum testem. Ad haec autem templa homines undique commeare frequentes solent, veneraturi Assisiensem patrem pauperum, •cui, ut se rebus humanis despoliaverat funditus, ita divinae bonitatis large copioseque dona affluxerunt.

Igitur perspicuum est, in christianam civilemque rempublicam ab uno hoc homine vim beneficiorum infiuxisse. Sed quoniam ille eius spiritus, omnino excellenterque christianus mirifice estad omnia et loca et tempora accommodatus, nemo dubitaverit, quin Franciscalia instituta magnopere sint aetate hac nostra profutura. Eo vel magis, quod horum temporum ratio ad illorum rationem pluribus ex •caussis videtur accedere. — Quemadmodum saeculo duodecimo , ita nunc non parum deferbuit divina caritas: nec levis est officiorum -christianorum, partim ignoratione, partim negligentia, perturbatio. Simili animorum cursu similibusque studiis , in aucupandis vitae commodis, in consectandis avide voluptatibus plerique aetatem consumunt. Diffiuentes luxuria, sua profundunt, aliena appetunt: fraternitatis humanae nomen extollentes, plura tamen fraterne dicunt quam faciunt: feruntur enim amore sui, et illa erga tenuiores atque inopes genuina caritas quotidie minuitur. —Per eam aetatem multiplex Albigensium error, concitandis adversus Ecclesiae potestatem turbis, una simul civitatem perturbaret, et ad quoddam *Socialismi* genus munierat iter. Hodieque similiter *Naturalismi* fautores propagatoresque creverunt : qui subesse Ecclesiae oportere pertinaciter negant, et longius, quo consentaneum est, gradatim procedentes ne civili quidem potestati parcunt: vim et sedictiones in populo probant: agrariam rem tentant; proletariorum cupiditatibus blandiuntur: domestici publicique ordinis fundamenta debilitant.

In his igitur tot tantisque incommodis, probe intelligitis , Venerabiles Fratres, spem sublevationis non exiguam collocari in institutis Franciscalibus merito posse, si modo in pristinum statum

restituantur. — Iis enim florentibus, facile floreret et fides et pietas et omnis christiana laus: frangeretur exlex caducarum rerum appetitio, nec pertaederet, quod maximum atque odiosissimum plerisque putatur onus, domitas habere virtute cupiditates. Concordiae vere fraternae vinclis colligati diligerent homines inter se, egenisque et calamitosis, quippe imaginem Christi gerentibus, eam, quam par est, reverentiam adhiberent. — Praeterea qui religione christiana penitus imbuti sunt, sentiunt iudicio certo, legitime imperantibus conscientia officii obtemperan, nullaque in re violari quemquam oportere : qua animi affectione nihil est efficacius ad extinguendam radicitus omnem in hoc genere vitiositatem, vim, iniurias, novarum rerum libidinem, invidiam inter varios civitatis ordines: in quibus omnibus initia, simul atque arma *Socialismi* consistunt. —• Denique illud etiam, in quo prudentes rerum civilium tanto opere laborant, de locupletium et egenorum rationibus erit optime constitutum , hoc fixo ét persuaso, non vacare dignitate paupertatem : divitem misericordem et munifieum, pauperem sua sorte industriaque contentum esse oportere : eumque neuter sit ad haec commutabilia bona natus, alteri patientia , alteri liberalitate in caelum esse veniundum.

His de caussis Nobis est diu et magnopere in votis, ut quantum quisque potest in imitationem Francisci Assisiensis se intendat. — Idcirco sicut semper antea tertio Franciscalium ordini singularem curam adhibuimus, ita nunc summa Dei benignitate ad gerendum Pontificatum maximum vocati , cum inciderit ut id peropportune fieri possit, christianos homines hortamur, ut nomen dare sanctae huic Iesu Christi militiae ne recusent. Plurimi numerantur passim ex utroque sexu, qui Patris Seraphici vestigiis alacri animo iam ingrediuntur. Quorum laudamus tale studium vehementerque probamus, ita tamen ut illud augeri et ad plures propagari , Vobis praesertim adnitentibus Venerabiles Fratres, velimus. Et caput est commendationis Nostrae, ut qui insignia *Poenitentiae* induerint, imaginem spectent sanctissimi auctoris sui, ad eamque contendant: sine qua, quod inde expectaretur boni, nihil esset. Itaque date operam, ut *Tertium. Ordinem* vulgo noscant atque ex veritate aestiment: providete, ut qui curam gerunt animarum , doceant sedulo qualis ille sit, quam facile unicuique pateat, quam magnis in animorum salutem privilegiis abundet, quantum utilitatis, privatim et publice polliceatur. In quo eo magis est elaborandum quod sodales Franciscales ordinis primi et alterius gravi in praesens perculsi plaga indigne laborant. Hi quidem utinam, parentis sui patrocinio* defensi, celeriter ex tot fluctibus vegeti et florentes emergant !

Utinam, etiam christianae gentes ad disciplinam tertii ordinis confluant, ita alacres itaque frequentes, uti olim undique ad Franciscum ipsum sese certatim effundebant 1 — Hoc autem maiore contentione poscimus et potiore iure ab Italis speramus., quos unius patriae necessitudo et uberior acceptorum beneficiorum copia propensior iubet esse in Franciscum animo, et maiores eidem gratias habere. Ita sane septem post saeculis Italicae genti et omni christiano orbi contingeret, ut se a perturbatione revocatum ad tranquillitatem, ab exitio ad salutem , hominis Assisiensis beneficio sentiret. Id quidem communi prece, per hos dies maxime, ab ipso Francisco flagitemus : idem contendamus a Maria Virgine matre Dei, quae famuli sui pietatem ac fidem caelesti tutela donisque singularibus perpetuo remuneravit.

Interea caelestium munerum auspicem, et praecipuam Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, universoque Clero ac populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S.Petrum die XVII septembris An. MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno Quinto.

LEO PP. XIII.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DE CONSISTORIO HABITO DIE 25 SEPTEMBRIS 1882

SSmus Pater, habita allocutione, creavit et publicavit Cardinales S. R. E. ex ordine Presbyterorum R. P. D. Angelum Bianchi, Archiepiscopum Myrae in Licia, Nuntium Apostolicum in Hispania, natum Romae die 19 Novembris 1817.

R.P.D. Wladimirum Czacki Archiepiscopum Salaminae in Cypro, Nuncium Apostolicum in Gallia, natum in Poryck die 16 Aprilis 1834.

Deinde proposuit sequentes Ecclesias:

TITULAREM ECCLESIAM ARCHIEPISCOPALEM APAMEN. vacan, per translationem, dum viveret, R. P. D. Aloisii Ruffo de Calabria ad metropolitanam Sedem Neapolitanam, favore R. P. D. An-

lenii Briganti Antistitis Urbevetani.

MEI-ROPO ITANAM |SCC ESIAM ARJÌOREN. per obitum, bo. rae. Boniilii Mura, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. I). Pauli Iosephi Mariae Seiei Serra Episcopi Oleastrensis.

CATHEDR\LEM ECCLESIAM AT;IEBYTEN. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Iosephi Lequelle, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Guillelmi Renati I\ eigneu Episcopi Catalaunensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PATAVIN. vacan., per obitum bo. me. Friderici Manfredini, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Callegari Episcopi Tarvisini.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TARVISIN. vacan, per translationem R. P. D. Iosephi Callegari ad Sedem Patavinam , favore R. P. D. Iosephi Apollonio, Antistitis Adriensis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ADRIEN. vacan, per translationem R. P. D. Iosephi Apollonio ad Cathedralem Sedem Tarvisinam; favore R. P. D. Antonii Polin Episcopi Titularis Miltensis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LEONEN, in ditione Mexicana Americae Septemtrionalis, vacan, per obitum bo. me. Iosephi Mariae Diez de Sollano, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Thomae Baron et Morales, Antistitis de Chilapa.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DE CHILAPA in ditione Mexicana Americae Septemtrionalis vacan, per translatione u R. P. D. Thomae Baron et Morales ad Sedem Leonensem in Mexico, favore R. P. Er. Bonaventurae Portillo, Ordinis Minorum Observantium , Titularis Episcopi Tricalensis atque imae Californiae Vicarii Apostolici.

CATHEDRALEM ECCLESIAM URBEVETAN, vacan, per translationem R. P. D. Antonii Briganti ad Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Apamensem, favore R. P. Er. Eusebii Magner, Ordinis Minorum Capulatorum, Episcopi Amerini.

CATHEDRALEM ECCLESIAM AMERIN. vacant, per translationem R. P. Fr. Eusebii Magner, Ordinis Minorum Capulatorum, ad Sedem Urbevetanam , favore R. D. Eugenii Clari Presbyteri Senogalliensis ; qui ex legitimis catholicis, honestisque parentibus Senogalliae progenitus, quadragesimum sextum aetatis suae annum supergressus est. Presbyteratus ordine ac Romae tum penes universitatem Gregorianam in facultate theologica, tum apud Pontificium seminarium romanum

in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, Emi ac Rmi Domini Cardinalis Consolini a Secretis olim, et academiae theologicae Censor adlectus , inter SANCTITATIS SUAE intimos Cubicularios supra numerum adscitus est. Senogalliensis Cathedralis Canonicus ac praedefuncti illius Antistitis Pro-Vicarius Generalis constitutus, Archipresbyter inibi ad praesens usque renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PARMEN. vacan, per obitum bo. me. Dominici Villa, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Andreae Miotti Presbyteri Comensis dioeceseos. Qui Missionarius Apostolicus adlectus, ac inter SANCTITATIS SUAE intimos Cubicularios honoris, atque pro-Synodales dioeceseos Examinatores adnumeratus ,Archipresbyter-Parochus Soudrii et Vicarius Foraneus hucusque renuntiatus èst.

CATHEDRALES ECCLESIAS MARSICEN, AC POTENTIN, invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per translationem R. P. D. Aloisii Carvelli ad sedem Miletensem, favore Rev. Dom. Tiberii Durante Presbyteri Bovinensis. Rev. Dom. Tiberius Durante ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Bovini progenitus et quadragesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus est. In seminariis Arianensi ac Bovinensi theologiae dogmaticae ac moralis tradens praelectiones, et in illo suae dioecesis Rectorem agens, eadem in Bovinensi Cathedrali Canonicus prius theologalis, hucusque autem Parochus electus et insimul secunda Decanatus dignitate honestatus, eiusque dioeceseos Examinator Synodalis renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM OLEASTREN. Vacan, per translationem R. P. D. Pauli Iosephi Mariae Serci Serra ad Metropolitanam Sedem Arborensem,favore Rev. Dom. Antonii Mariae Contini Presbyteri Bosanensis dioeceseos. Rev. Dom. Antonius Maria Contini ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus, in quadragesimo quarto aetatis suae anno constitutus , in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus est. Philosophiae Magister Turritano in seminario adlectus, ibique et in illo Bosanensi humaniores tradens literas, tum in patrio oppido plures per annos Parochi munere perfunctus, tum Bosanensis Cathedralis Canonicus renuntiatus est.

CATHEDRALES ECCLESIAS PARENTIN, et POLEN, invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per translationem R. P. D. Ioannis Glavina ad Sedes Tergestin. et Iustinopolitan. favore R. D. Aloisii Zorn Presbyteri Goritiensis , ad nominationem Sacrae Caesareae

Maiestatis Francisci Iosephi I, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici, vigore indulti Apostolici. Rev. Dom. Aloisius Zorn ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Goritiae progenitus , et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus , in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus est. In patrio seminario theologiae dogmaticae Professorem agens et Rectorem, cleri Examinator, atque Goritiensi in metropolitana Canonicus hucusque renuntiatus est.

C**ATHEDRALEM** E**CCLESIAM** T**ARBIEN**. vacan, per obitum bo. me. Caesaris Victoris Angeli Ioannis Baptistae Iourdan, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Prosperi Billère Presbyteri Tarbiensis, ad nominationem perillustris Viri iulii Grevy, Gallicae Reipublicae Praesidis. R.D. Prosper Billère ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Tarbae progenitus et sexagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in magno Tarbiensi seminario Professorem, illiusque Cathedralis Canonicum titularem olim actuque ad honorem agens, exinde nonnullas rexit paroecias, et in loco, qui *.Bagarrés cic Bigarre* appellatur, eiusdem Tarbiensis dioeceseos, Parochus hucusque renuntiatus est.

C**ATHEDRALEM** E**CCLESIAM** B**RIOCEN**. vacan, per obitum bo. me. Augustini David, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Eugenii Angeli Mariae Bouché, Presbyteri Briocensis dioeceseos, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. R.D. Eugenius Angelus Maria Bouché ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus est. Capellanusprinceps maritimae classis Gallicae atque Vicarius generalis pro dioecesi Briocensi, eaque in Cathedrali honoris olim adlectus est canonicus. Antistitis Sagiensis a Secretis, eiusdemque dioeceseos Vicarius Generalis hodiedum renuntiatus est.

C**ATHEDRALEM** E**CCLESIAM** C**AT AL AUNEN**, vacantem per transía tionem ad Sedem Atrebatensem R. P. D. Guillelmi Renati Meigneu, favore R. D. Guillelmi Mariae Romani Sourrieu, Presbyteri Tolosanae archidioeceseos, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Guillelmus Maria Romanus Sourrieu ex legitimis, catholicis , honestisque parentibus progenitus, septimum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus est. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus peragendis, praesertim clero spiritualibus exercitiis plurimis in dioecesibus Galliae tradendis, naviter

emicuit. Insignis Sanctuarii Nostrae Dominae *aRocamadour* nuncupatae Catalaunensis dioeceseos Praepositus, eademque in Cathedrali Canonicus ad honorem hucusque renuntiatus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM SAREPTAN. sub Archiepiscopo Tyrensi, vacan.per translationem R. P. D. Ioannis Francisci Jamot ad Sedem Petroburgensem, nuper a SANCTITATE SUA Cathedralitatis auctam honore in Canada, favore R.D. Antonii Scotti, Presbyteri Neapolitani. R. D. Antonius Scotti ex legitimis, catholicis , honestisque parentibus Neapoli progenitus in quadragesimo quarto aetatis suae anno constitutus est. Sacro Presbyteratus ordine dudum initiatus , humaniores literas , eloquentiam et philosopbiam in Neapolis areliigymnasiis scite tradens, anteacti Tricaricensis Antistitis qui et hodierni Beneventani Archipraesulis, Vicarius in spiritualibus Generalis pro utraque dioecesi renuntiatus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOTALEM SEBASTEN. sub Archiepiscopo Tarsensi vacan, per translationem ad Sedem Bellicensem R. P. D. Petri Ioannis Iosephi .Soubiranne, favore R. P. D. Simonis Aichner Presbyteri Brixinensis dioeceseos; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R.P.D. Ioannis de Leiss, Antistitis Brixinensis. R. P. D. Simon Aichner ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus in sexagesimo seKto aetatis suae anno constitutus est. Presbyteratus ordine et in sacra theologia doctorali laurea dudum donatus , Cathedralis Brixinensis Canonicus , Commissarius Episcopalis pro studio theologico, Praeses iudicii matrimonialis et Prosynodalis renuntiatus inter SANCTITATIS SUAE domesticos Praelatos adscitus , atque novissime ad dignitatem Decani Capituli Brixinensis evectus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM GORTYNEN. sub Patriarcha Constinopolitano, vacan .per translationem B. P. Fr. Ludovici Marangoni , Ordinis Minorum Conventualium, ad Cathedralem Sedem Clodiensem .favore R. D.Francisci Xaverii Zaldua Presbyteri archidioeceseos Sanctae Fidei de Bogota in ditione Neogranatensi. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Iosephi Ignatii Moudoya, Antistitis Medellensis in ditione Neogranatensi. R. D. Franciscus Xaverius Zaldua ex legitimis , catholicis , honestisque parentibus Bogotae progenitus et vigesimum nonum aetatis suae annum supergressus, Romae inter alumnos Collegii Latino-Americani adscriptus, ibique Presbyteratns ordine et in sacra theologia Baccalaurei gradu donatus, in loco nativitatis ecclesiasticis functionibus laudabiliter

incubuit. In Seminario archidioecesano Sacrae Scripturae explicationem tradens, societatem, quam vocant *Schola Christi,* cum zelo et profectu regit, praedicationis ministerio addictus.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM NEMESIN. sub Archiepiscopo Salaminensi, vacant, per obitum bo. me. Mariae Ephrem Garrelon, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Pauli Cardona Albini Presb. Beneventani. R. D. Franciscus Paulus Cardona Albini ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Beneventi progenitus, in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus est. In Metropolitana Beneventi Canonicus successive Thesaurarius, hucusque autem Archipresbyter renuntiatus, et inter archidioeceseos Convisita tores adscitus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM THERMOPYLEN. sub Archiepiscopo Larisseno vacant, per obitum bo. me. Stephani Fennelly, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Joachim de Medeiros, Presbyteri archidioeceseos Bracharensis. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Antonii Sebastiani Valente, Archiepiscopi Primatis Goae. Rev. Don Antonius Joachimus de Medeiros ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Villar de Nantes,* archidioeceseos Bracharensis progenitus in sexto supra tricesimum aetatis suae anno constitutus est.

Ultramarinis Portugalliae missionibus addictus, in dioecesano seminario Macaonensi philosophiae rationalis et dogmaticae theologiae cathedram assequutus, Capellanus collegii Sororum a charitate, et seminarii a Sancto Iosepho Rector adlectus est. Missionis Timorensis Visitatoris, et hucusque Vicarii Generalis atque Superioris munere inibi perfunctus est.

PER BREVE AUTEM PONTIFICIUM SEQUENTES COLLATAE FUERUNT ECCLESIAE:

ECCLESIA TITULARIS ARCHIEPISCOPALIS. NAUPACTEN. R. **P.** D. Henricho Ludovico Carolo Maret, promoto e Dioecesi Suren, in Syria.

ECCLESIA PETROBURGEN. nuper in Cathedralem erecta in Canada R. P. D. Ioan. Francisco Jamot, translato ex Ecclesia Sareptan. in Palestina.

ECCLESIA CAHTEDRALIS Auco**POLITAN**. in nova Zelandia R. D. Edmundo Luck, e Congregatione Benedictina primae observantiae.

ECCLESIAE CATHEDRALES UNITAB HAYGULSTADEN. ET NOVOCASTREN. in Anglia R. D. Ioanni Gulielmo Bewick canonico et vic. capitulari earumdem Dioeces.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS CYTHEREN. R. D. Narciso Zephirino Larrain, Vic. generali Dioecesis Marianopolitan. electo Vicario Apostolico Pontiae in Canada.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS GTRATIANOPOLITAN. R. D. Mariae Laurentio Francisco Cordier, deputato in Vic. Apostolicum Cambodiae.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS CARPASIEN. R. D. Stephano Scarella, electo in Vic. Apostolicum Ho-Nan meridionalis.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS CIDONIEN. R. P. Sinforiano a Lambernon e Capuccinis, constituto in vic. Apostolicum Insularum Seychelles.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS HYPSOPOLITAN. R. P. Venceslao Onate Ordinis Praedicatorum, electo in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Emmanuelis Riano, Vic. Apostolic. Tunchini centralis.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS TAGASTEN. R. D. Eugenio Coupât, electo in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Iosephi Eugenii Desflèches, Vic. Apostolici Sut-chuen Orientalis.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CIRCA FACULTATEM BINANDI

Die 22 Aprilis 1882.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Iosephus Archipresbyter in Civitate A. in Gallia, supplicem libellum obtulit S. C. C. sequentia humiliter exponens : « duas esse in sua Paroecia Congregationes » erectas, pro masculis et feminis, quae a felicis recordationis » Benedicto XIV privilegium obtinuerunt,, lucrandi semel in » mense indulgentiam plenariam cum in suis capellis ad sa- » cram synaxim convenerint. Cum, ob inopiam Sacerdotum,

> nullus sit qui in praesentiarum sacrum facere valeat prae-
» dictis Congregationibus, facultatem petiit binandi bis sal-
» tem in mense , addens hanc facultatem, illa ex causa ,
» saepe fuisse ab Archiepiscopis A. concessam ».

Oratoris precibus accedit commendatio Archiepiscopi quae sic se habet : « Humiliter supplicat pro gratia Archiepiscc-
» pus, et tamen necessarium existimat fateri iam duos vel
» tres sacerdotes in civitate A. duas missas celebrare fere
» qualibet die dominica ad subveniendum necessitatibus ec-
» clesiae parochialis, et ecclesiarum collegii et hospitii.
» Unde si gratiam quam postulat Parochus A. concedatur,
» bis in mense fere omnes sacerdotes huius civitatis duas
» missas celebrabunt. Ideoque licet Archiepiscopus A. res-
» criptum habeat, ut facultatem binandi concedat, non est
» ausus dicta facultate uti in casu, et decisionem Sancti-
» tati Vestrae remittendam existimat ». Et paulo post addit : « Timendum est si gratia non conceditur, ne dictae
» Congregationes magnum patiantur detrimentum, et paul-
» latim evanescant, quod valde lugendum esset. »

fti*ce|»tatio Synoptica

GRATTA DENEGANDA VIDETUR. Neminem latet, iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam , licuisse Sacerdotibus pluries eadem die divinum litare sacrificium. Saeculis tamen posterioribus , primaeva haec disciplina immutata fuit. Ita ut Innocentius III a Vigorensi Episcopo requisitus - *Utrum presbyter duas Missas eodem die valeat celebrare* - respondit - *Excepto die Nativitatis Dominicae , nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare. - Cap. Consuluisti 3 de celebr. Miss.* Innocentii III vestigiis inhaerens Honorius III idipsum ratum habuit et confirmavit in *Cap. Te referente, eodem titulo.*

Quaenam autem sit necessitatis causa, qua concurrente, Summi Pontifices Sacerdoti plures Missas , eadem die, of-

ferre indülserint, tam ex omnium scriptorum sententia, <quam ex universa Ecclesiae disciplina atque ex constanti S. C, C. praxi resultat, eam ita gravem esse oportere, ut mullo alio modo fidelium bono provideri nequeat. Tradit id apertis verbis Fagnanus *in c. in ordinando de simonia* - ibi - « Super licentiis bis celebrandi, ac pecuniis, quae pro > illarum expeditione, ut asseritur solventur, miratur S. C. > agi de his licentiis concedendis. Nam id nonnisi ex magna > necessitate fieri debet, et magna cautela etc. »

Concinit S. C. C. pluribus in locis, praesertim vero in *Matrina die 20 Septembris ann. 1622.* Gravem vero causam dune adesse, cum unus idemque sacerdos pluribus paroeciis adeo dissitis praeest, vel plures populos adeo distinctos regit, ut propter locorum distantiam, aut viarum asperitatem in •eamdem Ecclesiam Christifideles nequeant convenire, vel cum Ecclesia, ad quam Christifideles convenire deberent, adeo parva est,ut omnes simul continere haud valeat, ceu erui datur ex voto in causa Derthusen, anni 1768 et in Auxitana anni 1853 -edito.

Porro in themate praedictam gravem necessitatem deesse in propatulo est. Quandoquidem non de parochia , non de distantia vel asperitate locorum, non de dissitis populis, sed -de Congregatione fidelium agitur, qui, nisi facultas binandi concederetur, indulgentias a Summis Pontificibus huiusmodi Congregationi concessas, ob s. Missae sacrificii defectum in Oratorio celebrandi, lucrari haud valerent. Quod cum opus supererogationis sit, neque gravem neque levem necessitatem •constituere valet.

GRATIA CONCEDENDA VIDETUR. Verumtamen precibus oratoris annuendum esse, suadere videtur tralatitium iuris principium quod, necessitatis causa, exceptio fieri potest legibus mere ecclesiasticis : cuiusmodi est haec prohibens quominus-m die plures Missae ab uno Sacerdote celebrentur; ceu vi «1ère est in *cap. 2 de celebr. Miss,* ubi Innocentius III sic rescripsit Episcopo Vigorensi - ibi - « Excepto die Nativi- » tatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sa-

» cerdoti semel in die unam Missam celebrare. » Huic dispositioni concinunt canones plurium Synodorum qui tum ante, tum post Innocentii III tempora, eamdem prohibitionem cum relata exceptione statuerunt, uti patet ex Benedicto XIV in *Const. Declarasti nobis tom. 2 Bullarii.*

Hanc autem necessitatem non ad solos casus a Doctoribus et rerum ecclesiasticarum scriptoribus relatos restringi debere, sed, pro boni viri arbitrio, ad alios' forte occurrentes: extendendam esse docent Schmalzg. in *tit. 41 de celebr. Miss. num. 42,* et Layman in *lib. 6 tract. 4 c. 4 num. 6.* Iam vero in casu ab Oratore proposito concurrere videtur tum necessitatis, tum utilitatis ratio. Prima quidem, quia teste Archiepiscopo « timendum est, si gratia non conceditur, > ne dictae Congregationes magnum patiantur detrimentum > et paullatim evanescant, quod valde lugendum esset. » Posterior vero , quia ut asserit Orator lucratio Indulgentiae plenariae maxime confert ad religionem et pietatem augendam in Congregatis.

Hisce, aliisque praenotatis, quaesitum fuit quonam responso essent dimittendae oratoris preces.

RESOLUTIO. Sacra C. C. recognita, sub die 22 Aprilis 1882 responsum dedit :

Negative et ad mentem: mens est ut Episcopus referat an quoad alios duos vel tres Sacerdotes, qui Missam itérant, speciale Apostolicum privilegium habeatur.

Ex QUIBUS COLLIGES.

I. Per huiusmodi resolutionem firmari sententiam Doctorum, iugemque praxim S. C. Concilii; quae indulgere non solet binandi facultatem, nisi gravis concurrat causae quae in themate abfuisse visum est Emis Patribus. (1)

(1) Confer Vol. IX, 230.

IURISDICTIONIS (1)

Die 22 Aprilis et 17 Iunii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Duobus fere abhinc saeculis gravis existit controversia Neapolitanam inter et Puteolanam Curiam, circa pertinentiam territorii Quarti et cuiusdam Ecclesiae ibi existentis sub invocatione Sanctae Mariae Libera *a* Scandalis, quam quisque sibi competere sustinuit. Sane Archiepiscopus Neapolitanus huiusmodi territorium cum Ecclesia sibi attributum esse contendit ex eo tempore , quo ob novam circumscriptionem Dioecesis Cumanae, ad quam territorium spectabat, Neapolitanae Archidioecesi unita fuit; Episcopus vero Puteolanus ex immemorabili vel centenaria consuetudine sibi competere propugnavit.

Res sic se habebant, quando vertente anno 1876 Episcopo Puteolano, tunc temporis adhuc Coadiutori, fontem baptismalem in Ecclesia territorii Quarti erigere placuit. Ex hac ipsius agendi ratione Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus Riarius Sforza fel. rec. sua iura laesa fuisse autumans, supplici libello die 30 Iulii 1877 oblato, S. C. C. adivit, expostulans ut tandem finis imponeretur huic annosae quaestioni ; et interim ut provideretur circa innovationem factam, lite pendente, a Puteolano Episcopo.

disceptatio sinóptica

IURA ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI. Qui partes agit Archiepiscopi Neapolitani in recolenda factorum historia totus est, ut demonstret ipsi competere iurisdictionem super *Quarti* territorio. Siquidem adnotat apud omnes constare ipsam

(1) Confer. Vol. IX pag. 407 et Vol. XIII, 26.

Quarti territorii partem multis abhinc saeculis , civilium legum dispositione in *Mar ani* districtu contineri, qui Archiepiscopali Neapolitanae iurisdictioni subest. Porro Archie, piscopos Neapolitanos iurisdictionis exercitio usque ad praesentem diem super praedicta Ecclesia usos fuisse innumera documenta tradunt.

Quamvis autem ex innumeris iurisdictionis actibus et ex documentis historicis constet, Ecclesiam s. Mariae fuisse usque ab origine sub iurisdictione Curiae Neapolitanae, tamen ut occurreret difficultatibus ex adverso oppositis, in octo capita orationem suam dispertitus est defensor.

In primo "capite ostendere sategit, binas marmóreas inscriptiones, quibus eruebatur Ecclesiam s. Mariae libera a Scandalis unius Episcopi Puteolani iurisdictioni subesse, apocriphas esse. Quod ut demonstret animadvertit marmoream hanc inscriptionem haud locum indigitare, in quo posita erat Ecclesia quae dicitur Puteolanae Dioecesis ; atque idcirco minime retineri posse, Ecclesiam de qua inscriptio mentionem facit, illam adamussim esse de cuius pertinentia in praesentiarum disquiritur. Praeterea inspicienti marmoreum testimonium facile apparet, apocriphi vitium praeseferre.

Verum pressius urgens ait, inscriptionis falsitatem detegere ipsum Episcopi nomen. Nam nullus de eo tempore Puteolanus Episcopus, Petrus appellatus est, teste Ughellio viro clarissimo.

Nullum vero adesse potuisse documentum in Puteolano Archivio, quod combustum periit, favore Episcopi Puteolani propugnavit orator aiens: excisa Cumarum civitate, maximam illius Dioecesani territorii partem Neapolitanae Ecclesiae adscriptam addictamque fuisse apparet, et praesertim, quae sub nomine *Monte di Procida** et *Quarti* distinguebantur una cum Ecclesia s. Mariae libera a scandalis, quae in Quarti territorio sita erat. Hac de causa Archiepiscopi Neapolitani praetensae Puteolarum Anstititum iurisdictioni vehementer ohstitere. Factum exinde est, ut Quarti territorium quo de agitur perpetuo permanserit sub iurisdictione

Parochorum Marani, ad Neapolitanam pertinentis Ecclesiam, prout ex civili etiam dispositione Marani Municipio subiciebatur. Marani Clerus ad Ecclesiam illam accedebat, Ecclesiasticis in ea functionibus operam dabat, Processionibus intererat.

Ad secundum orationis caput deveniens Orator tuetur Ecclesiam et Coenobium, Puteolanum Episcopum Sodalibus Coloritis s. Augustini haudquaquam tradidisse anno 1627. Siquidem in comperto est ab una Marani Universitate, Ecclesiae s. Mariae multis abhinc annis praeexistenti, adstructum fuisse Coenobium, ab eaque Sodalibus Coloritis oblatum fuisse quin Puteolani Antistitis praesentia apparuerit, ut in Ecclesia illa sacra facerent, sacramenta administrarent, ceteraque peragerent quae ad spiritualem incolarum utilitatem vergerent.

Ad tertium transvolat suae orationis caput contendens veritati adversari, Ecclesiam s. Mariae eiusdemque bona ac reditus usque ab anno 1652 tradita fuisse Paroeciae *della Pianura,* suppressis Sodalibus Coloritis ex Apostolica Constitutione. Profecto vel constitutio nullam rationem habuit huiusmodi monasterii, vel hic loci promulgata minime fuerat. Utique pestilentia quae post quadriennium in ea regione conflagravit, plures ex Sodalibus Coloritis ad fugam trepidantes impulit, plures vis vel ipsa pestilitatis absumpsit ; quo circa Marani Universitas iterum in Ecclesiae ac Coenobii possessionem ingressa est, eamque tenuit ad annum usque 1704 : quo anno ad preces eorumdem Sodalium, Universitas, consentiente atque auctorante Neapolitano Archiepiscopo, decrevit, supplicantes in eam possessionem esse restituendos solemnis ope instrumenti, adiectis tamen conditionibus, quibus cautum fuit, ne Parochialis iurisdictio ex Sodalium concursu aliquid detrimenti caperet.

Ad quartum orationis caput descendens Advocatus tuetur iurisdictionis actus super locis , bonis et personis exercitos ab Episcopo Puteolano ab anno 1589 usque ad annum 1676 usurpation! adscribendos esse. Nam ex cognita aeris insalu-

"britate, et ex defectu incolarum in Quarti territorio, et ex: certa scientia quod Marani Parochus spiritualibus officiis vacabat, Neapolitanus Archiepiscopos ab sacris huiusmodi territorii visitationibus abstinuisse.

In quinto orationis capite expendens monitoria atque inhibitiones a s. Sede transmissas adnotavit, authentica horum Decretorum elementa deesse , ut fides iis adiungatur. Attamen retenta etiam authenticitate minime clienti obicem parare edisserit.

In sexto defensionis capite sategit ostendere commissiones et concessiones factas a s. Sede Puteolano Episcopo relate ad Ecclesiam, minime turbare iura Neapolitanae Curiae. Etenim sat superque erit animadvertere sacras Congregationes, in voluntariae iurisdictionis materia supplicantes, respondere solere iuxta preces, quin teneantur inquirere, utrum quae in ipsis historica continentur , quae rem petitam directe non tangunt, veritati respondeant.

In septimo capite protuetur ex Commendatam qualitate atque ex iis quae postea sequuta sunt Puteolanum Antistitem mutuare haud posse praesidium. Liquet enim Ecclesiam vel Monasterium iis tantum commendari, ut curam atque administrationem gerant beneficii vel Ecclesiae, qui ad illum usque diem nihil cum Ecclesia, vel Monasterio commune habuerint, *Concil. Trident, sess. 21 cap. 8. de Reformat.; Pichler Uh. III. Tit. V. num. 4 et seqq.* Cum igitur Summus Pontifex Benedictus XIV, et pro eo Praesul Galiani anno 1751 Ecclesiam s. Mariae commendaverit Puteolano Episcopo satis superque significavit, Episcopum illum, neque antea habuisse ullam super Ecclesia ista iurisdictionem, nec aliam posse posthac sibi vindicare, quae simplicis commendationis limites praetergrediatur, Rota *in Decis. 51 num. 4. et 5 Part. VII Recentiorum.*

Quae hucusque exposita sunt minime enervari autumavit Orator ex iis quae' inde sequuta fuere. Sane Puteolanus Episcopus ea iure optimo gessit, quae ad Commendatarium pertinebant, scilicet Heremitarum destinationi, Sacerdotum

•.missioni ad Ecclesiae cultum necessariae vacavit, reliqua Tero ad Neapolitanum Antistitem pertinentia tamquam ad Ordinarium loci , nullo prorsus iure peregit Commendatalius. Itaque temere pastorali visitationi operam dedit, Sacramentorum administrationi vacavit, Beneficii Curati collationem perfecit, ad arbitrariam Baptisterii erectionem processit, lite pendente.

Ultimum orationis caput aggrediens Defensor vindicavit in materia de qua agitur neutiquam applicari posse praescriptionem eiusque effectus. Etenim praescribi de iure positivo nequeunt limites certi et manifesti Dioecesium, Parochianorum, Regionum uti habetur *in Can. 5 et 6 causa 16 quaest. 3 Cap. 3 de Parodi.* Verum, hoc etiam praetermisso, inquirendum fore ait, utrum praescriptionis exceptio conditiones praeseferat, ut solida ac valida haberi possit. Porro in primis legitimus possessionis titulus habilis ad dominium trasferendum desideratur, quo Episcopus Puteolanus Ecclesiae et Quarti territorii detentionem protueatur. Titulus autem quem requirit praescriptio , et in quo fundatur etiam bona fides, debet esse iustus , sive ab iure ad praescribendum approbatus, qualis tantum est ille, qui est translativus dominii vel iuris, seu causa ex se habilis ad transferendum dominium. Insuper tituli ad hunc effectum habiles iuxta civiles et canonicas leges, sunt pro emptore, pro haerede, pro legato , pro donato , pro derelicto, pro dote, pro soluto, pro suo, *Lib. 41 Tit. 4 Dig. lib. 7 tit. 26 Codicis.* Atqui nullum, ex iis praeseferre valet Episcopus Puteolanus, siquidem nullo unquam tempore fundationis seu aggregationis huiusmodi territorii locum habuit instrumentum, nulla Summorum Pontificum concessio, nulla vel Oecumenici, vel Provincialis aut Dioecesani concilii decisio. Attamen Episcopi Puteolani spes omnis locata est in iactata Ecclesiae dedicatione anni 1243, in Sodalium Coloritorum vocatione, in eorumque suppressione ex Constitutione Benedicti XIV de quibus rerum adiunctis iam disputatum est. Porro ad delendum quodcumque opinionis commentum praesto est titu-

lus verus ac legitimus, quo originaria fulcitur possessio Neapolitanae Curiae, ex aggregatone maioris partis Cumani territorii, in quo continebatur districtus Quarti et Ecclesia s. Mariae. Quid porro de bona fide dicendum sine qua praescriptionis idea nec concipi potest? Bona siquidem fides posita intelligitur in iudicio, et conscientiae dictamine vel credulitate, qua quis prudenter existimat, rem quam possidet, esse suam, vel saltem non alienam, licet reipsa sit aliena. Iamvero Puteolani Antistites, passive se habentibus Neapolitanae Curiae Archiepiscopis, plura interdum gerere ausi sunt, quae ad ordinariam alterius iurisdictionem pertinebant^ sciebant tamen, nec ignorare potuissent, non aliter ea perfecisse, quam per usurpationem iurisdictionis, qua una potiebatur Neapolitana Dioecesis ratione originis, scilicet ex titulo vero ac legitimo possessionis. Nec poterat Commendatio Ecclesiae s., Mariae in Puteolanum Antistitem translata ex voluntate Pontificis, bonam in eo superinducere fidem, cum sciret apprime vel scire debuisset, Ecclesiae commendationem non eum loci ordinarium constituisse, sed simplicem bonorum Ecclesiae illius ac redituum administratorem.

Tandem tempus ad praescribendum necessarium in themate omnino deesse inclamat orator. Neminem latet, cum incerta sint contradictorum iura, veterem Ecclesiae consuetudinem esse servandam; *Nicaen. Concil, can. VI, Concil. Ephesin.* Atqui vetus consuetudo, ad tempus quod attinet ad praescribendum necessarium super immemorabili fundata est, quae hominum memoriam excedit, quaeque absque ulla querela processit, *Benedic. XIV, in Constit. 33 Tom. 2 Bullarii.* Porro ab anno 1589 Episcoporum Puteolanorum actus incepti sunt, ex Neapolitanae Curiae tolerantia et finem habuerunt anno 1618. Etiamsi vero ad annum usque 1676 produci posset tolerantia Archiepiscopalis Curiae, silentium istud haud excessisset annos octuaginta septem, quod cum praescriptione immemorabili non solum directe pugnaret, sed ex praemissis eam penitus excluderet.

Cum itaque propositae difficultates minime thesi suae officere possint, necessario concludendum esse arguit orator, constare de plena iurisdictione favore Archiepiscopi Neapolitani

DEFENSIO EPISCOPI PUTEOLANI. Huius defensor suam Orationem in *bina capita* dispescuit, in quorum *primo* firmavit iurisdictionem Episcopi in toto territorio et in Ecclesia s. Mariae Libera a Scandalis: in *altero* egit de offensionibus Archiepiscopi.

Et aggrediens *primum* disceptationis *caput* duplicem in asserenda ecclesiastica iurisdictione titulum adesse recoluit: *expressum* ex diserto privilegio s. Sedis, et *praesumptum* ex possessione centum annorum. Postremum hunc titulum praesumptum ex possessione centum annorum tribuere possessori, sicuti in ceteris quaestionibus etiam civilibus, facultatem allegandi quidquid possibile est ad eam rem vel iurisdictionem protuendam, quam ipse et antecessores eius tamdiu retinuerant, absque querela *Grot. de iur. bell, et pac. lib. 2 cap. 4 §. 7, Card. Be Luca de alienai, disc. 3 n. 9.*

Centenaria quippe non sistit intra terminos nudae possessionis , sed possessori quoque tribuit titulum validi orem expresso, quem Forenses dicunt - *meliorem de mundo* -. Arguit enim centenaria in linea praesumptiva originariam concessionem, privilegium Apostolicum confirmationis, conventionem legitimam inter partes, validam ipsam immutationem prioris concessionis, et quidem per praesumptionem iuris et de iure *Politi dissert, select. dissert. 2 de transad, num. 17 tom. 4.* Nulla contra eam admittitur probatio *Pitoni de controv. patron, alleg. 9 n. 10.* Expers est male fidei *Calvin, de aequit. lib. 2 cap. 101 n. 135.* Afficit etiam proprio iure venientes *Rota in Camerinen. Immissionis 30 Aprilis 1781 coram, Flangini §. 3.* Operatur in facultativis *Tiraquell. de retract. convention. §. 1 gloss. 2 vum. 25*> praevaletque ex *s. Rota* in *Decis. Calaguritana Iurispatronatus 30 Ianuarii 1756 coram Figueroa §. ult. « sententiis:, reiudicatis et melioribus titulis ipsaque fundatione ».*

Porro *centenariae* parem esse, quoad tituli assequutionem *immemor dbilem,* possessionem scilicet pacificam rei vel iuris, cuius non extat memoria. Utraeque namque possessori tribuunt meliorem quemcumque titulum absque probatione in contrarium, ex praesumptione quam habent iuris et de iure ex *Piton, de controv. patron, allegat. 59 n. 47 et seqq.*

Iam vero *quatuor* distinguendas esse *epochas* Orator ait in possessione Quarti et Ecclesiae s. Mariae ex parte Episcopi Puteolani, qui ex eruptione vulcanica anni 1538, fere dimidium Puteolarum evertente, proferre modo haud valet titulum expressum. *Prior* epocha est ab anno 1243 .ad 1692, quando Episcopi Puteolani spatio quatuor saeculorum , pacifice suam possessionem exercuerunt, sine turbati vis Curiae Neapolitanae, donec possessio confirmata est a s. Sede. *Secunda* epocha ab anno 1692 ad 1751 comprehendit spatium turbativarum sexaginta circiter annos ex parte Curiae Neapolitanae , contra quas Episcopi reclamarunt. *Tertia* epocha extenditur ab anno 1751 ad annum 1808, quando redintegrata Episcopus in sua possessione a Delegato s. Sedis, in ea pacifice perrexit usque ad sententiam Commissionis Gallicae anni 1808, dividentem territorium inter Episcopum atque Archiepiscopum. *Quarta* tandem epocha complectitur annum 1808 ad praesens: in ea iugiter per Episcopum Puteolanum servata fuit possessio Ecclesiae et dimidii territorii Quartensis, prout decretum fuerat ab illegitima decisione anni 1808.

In *prima* itaque epocha adesse dicit consecrationem Ecclesiae s. Mariae Libera a Scandalis, factam a *Petro,* Episcopo Puteolano, coram pluribus Episcopis atque Archiepiscopo Neapolitano , iuxta lapidem tunc appositum in muro Ecclesiae, eam nuncupantem - *nostrae Dioecesis Puteólanae* -, de quo quidem lapide loquuntur ss. Visitationes annorum 1601, 1655 et 1676.

Huic succedere ab anno 1538 crebras collationes bene^ ücii Ecclesiae factas per Episcopum Puteolanum Rectoribus,

"Ecclesiae Curatis, sacras Visitationes, deputationes s. Sedis Antistitis pro censuatione .bonorum beneficii, aliosque actus iurisdictionales in toto territorio exercitos. Neque obesse, hos actus Episcopi incipere a consecratione Ecclesiae, hinc post longum tempus resumi anno 1538; nam cum ex emptione vulcanica eiusdem anni fere dimidium Puteolarum una cum Archivio Episcopali exustum sit, proferri non valet quod vi maiori destructum peremptumque est. Constat tamen in iure, •quod , probata antecedenti possessione, intermedia semper praesumitur eodem modo continuata, nisi alium medio ipso tempore possedisse doceatur cum causis mutationis possessionis ex *Politi dissert, selectior. iur. dissert. 2 de transad, n. 10.*

Crebriores tandem fieri et semper numero gliscentes actus Puteolanos ab anno 1500 ad 1692, nempe edicta seu monitoria Episcoporum super rebus exequendis in Ecclesia et territorio Quarti, Synodos. . . . ., informationes petitas a s. Sede Episcopo, executiones Rescriptorum, ius funerum a Quartensibus persolutum Capitulo Puteolano, descriptiones in libris baptismatum, mortuorum et matrimonii Planurae, Dioecesis Puteolanae , sub cuius territorio parochiali adest Quartum____, confessiones denique sacramentales Episcopi aliorumque sacerdotum ab eo deputatorum in ipsa Ecclesia.

Inter quos tantosque actus iurisdictionales Episcopi, ipsasque enunciativas, quod Quartum suaque Ecclesia s. Mariae sint sub iurisdictione Puteolana, existentes in actis s. Sedis et Curiae, adhuc emicare : *primo* sacras Visitationes, reales et personales, in Ecclesia Episcoporum, qui cum sint nobiliores actus iurisdictionis ordinariae Episcopi, praecipue ad hunc effectum attenduntur, fortius si in his Antistites, ut in casu semper egerunt, actis quoque iudiciariis usi sunt, citando, deputando, mulctando -. *Secundo* relationes, ad limina, in quibus status describitur Dioecesis. *Tertio* collationes beneficii s. Mariae ante erectionem Conventus Coloritarum. *Quarto* nominationes Vicarii Foranei Quarti Magistrorumque Ecclesiae s. Mariae. *Quinto* concessionem

Conventus prope Ecclesiam factam anno 1627 ab Antistite Puteolano fratribus Coloritis, qui Antistiti promiserunt tradere in perpetuum, in signum subiectionis, annuam cerae oblationem et apponere quoque lapidem supra ianuam Ecclesiae super concessione eis facta anno 1627 ab Episcopo Ecclesiae, servato etiam altero lapide consecrationis. *Septimo* deputationem ex parte s. Sedis Episcopi Puteolani pro suppressione Conventus Coloritarum Quarti. *Octavo* successivas nominationes Rectorum Ecclesiae factas ab Episcopis, abeuntibus Coloritis , cum facultate quoque administrandi sacramenta. *Nono* Monitorium expeditum anno 1658 contra Franciscum Lauro, Aerarium Marani, pro turbativa iurisdictionis Episcopi in extractione cadaveris Catharinae Serrentino, ablatione clavium Ecclesiae ab Eremita aliisque attentatis, nec non definitivum mandatum Praesulis Auditoris Camerae anni 1660 , unde servatus est Episcopus in possessione immemorabili iurisdictionis.

Sub finem ergo huius *primae* epochae, quae concluditur anno 1792, quando Archiepiscopus Neapolitanus iurisdictionem Ecclesiae s. Mariae vi usurpavit, in ea peragendo primam s. Visitationem, ortus iam fuerat favore Episcopi Puteolani titulus *praesumptus* ex longaeva hac sua possessione, absque contradictione Neapolis.

Abscedendo vero ab hac ipsa *immemorabili* , si numerari tantum velint actus continuatae et nunquam interruptae possessionis ab eo anno 1538 ad 1692, sine turbativa Archiepiscopi, aeque ipsi Episcopo praesto erat *plusquam centenaria,* in ipsis centum quinquaginta octo annis possessionis-.

Incassum reponi, Archiepiscopum anno 1692, sub initio *secundae* epochae, visitasse Ecclesiam s. Mariae aliosque exercuisse actus iurisdictionales , nam praeter quam quod Archiepiscopus invadere quivit iurisdictionem Episcopi, tempore Sedis vacantis Dioecesis Puteolarum anni 1692 et in ea perseverare ex assiduis aliis eiusdem Sedis vacationibus, orto iam titulo *praesumpto* ex *immemorabili* vel *centenaria,* hunc Defensor sustinuit non posse destrui, nisi superveniente

alia centenaria, numeris omnibus absoluta, et omnino completa ex *Piton, discept, ecclesiast. discept. 9 n. 29 et de controv. patronor. allegat. IO n. 285.*

Intuenti modo *tertiam* et *quartam* epocham possessionis Ecclesiae territoriique Quarti, liquet Praesulem Galiani iussum secundae suppressionis Ooloritarum vi Bullae - *Assidua Pastoralis Officii* - Benedicti XIV anno 1751 edidisse decretum , quo restituta atque insimul specialiter commendata *est* Ecclesia Episcopo, Ordinario Quarti, decreta quoque ipsius *manutentione in possessione.* In vim itaque huiusce decreti et pro effectu manutentionis, perpetuo, absente atque silente Archiepiscopo, ab anno 1751 ad 1808 Episcopus Puteolanus resumpsit suos actus iurisdictionis, nempe inventaria peregit suppellectilium, dedit licentias pro festis, deputa vit Capellanos et Confessarios, nominavit Eremitas, sacras visitationes peregit, sacramenta quoque ordinis et confirmationis in ipsa Ecclesia, nemine contradicente, administravit.

Orta itaque *immemorabili* vel *centenaria* favore Episcopi Puteolani sub finem *primae* epochae, anno 1692, auferri ei summa nequivit ab Archiepiscopo iurisdictio ex sua possessione ab *anno 1692 ad 1751,* tempore turbativarum, cum lapsi essent, singulariter eos dinumerando , soli anni *quinquaginta novem.* Neque etiam auferri valuit ab *anno 1808 ad 1877,* tempore motae litis, quia tunc lapsi erant soli anni *sexaginta novem,* possessionis non Ecclesiae, sed dimidii tantum territorii Quartensis.

Casum huic nostro similem olim decidi a *s. Mota* in *Decis. Surrentina Manutentionis 4 Maii 1692 coram Scotto,* et tunc quoque firmari, deficiente titulo *expresso,* in metienda iurisdictione ecclesiastica spectari *praesumptum:* hunc oppido fore *antiquas enunciativas,* quae ceterum in vetustissimo tempore solae sufficerent, *sacras Visitationes, mandata contra subditos.* Brevium *executiones* praestitamque *obedientiam: contrarios actus turbativos,* numero minores breviorisque temporis minime destruere *actus anteriores* ac dudum consummatos et tribuentes possessori *legitimum titulum.*

Neque praeteriri posse nunquam inter partes agi de iurisdictione *dimidii territorii* et *Ebclesiae* Quarti. Visitat!» Pastoralis anni 1601 Praesulis Vairo, universum territorium spectare ait ad Episcopum Puteolanum, iurisdictionem tune exercentem - *per totum territorium Quarti et per tota* costeñas Aquae pendente Talli Marani et Bellovedere -,*

Propositionem divisionis , quae anno 1808 effecta est, unius existere Commissionis Gallici Gubernii, more trans actionis , quae iustitiam laesit, nec litigatoribus satisfecit. Rescissa itaque s. Ordinis iudicio decisione Oommissionis-Gallicae, sequitur Episcopum, uti petitum est, iurisdictionem exercere posthac debere super toto territorio Quarti et Ecclesia , remotis ita quoque turbis orientibus cum vicino* super - eodem territorio.

Gradiens hinc Orator in *secundo* defensionis *Capite* ad *obiecta Archiepiscopi,* ait, *nonnulla* ex his *percutere documenta* constituentia immemorabilem vel centenariam Episcopi, *alia sua invicem firmare iurisdictionem ,* explosa aliena. Quod spectat offensiones contra *monumenta Epi scopi,* primo Archiepiscopus asserit *lapidem commemorati* vum dedicationis Ecclesiae* anni 1243 esse *apocriphum.* Exinde tamen, Orator subsumit, non sequi, potuisse illum Archiepiscopum Pignatelli in Visitatione anni 1692 iubere expungi, quia si pro eo erat apocriphus, pro aliis existebat probatae fidei. Publica monumenta, posita quoque in disceptationem, numquam delentur. Ceterum si Ecclesia semper fuerat, uti praetenditur , sub iurisdictione Archiepiscopi, oppido nescires, quomodo, eo imperante, lapis apocriphus affixus sit muro Ecclesiae pro diversa iurisdictione Puteolorum, de quo iugiter memoriae in sacris Visitationibus-Puteolanis adsunt annis 1601, 1655 et 1678.

Secunda suppressio Coloritarum ab Archiepiscopo non impugnat, sed alio detorquetur contextualis restitutio Ecclesiae anno 1751 facta a Praesule Galiani Episcopo Puteolano per verba : « Ecclesia s. Mariae Libera a scandalis ma-
» nuteneatur et commendetur in perpetuum Illustrissimo et

» Reverendissimo Domino Episcopo Puteolano , ac proinde*
» ad eum transmittantur acta consignationis atque adnota-
» tionis sacrarum suppellectilium , rerumque ipsius Eccle-
* siae *y*> ; quasi ipsa Ecclesia data ei sit simpliciter in *Com-mendant,* salva iurisdictione Ordinarii Neapolitani, tunc de facto in Ecclesia existentis. Misso tamen non adesse bona, quae a Commendatario administrari deberent, sine quibus excogitan non potest *Commenda* (omnia quippe concessa sunt Regali Hospitio Pauperum Neapolis), admitti sane non potest, Archiepiscopum ab anno 1751 permansisse Ordinarium , cum ab eo vicissim tempore usque ad praesens perpetuo ab Ecclesia abfuerit. Contra Ecclesiam exclusive rexit, et absque ulla contradictione , Episcopus Puteolanus , eam visitando, deputando Capellanos, iubendo, restaurando, sacramenta administrando, lites pro ea sustinendo.

Per ea itaque verba - *manuteneatur et commendetur* - nil aliud Deputatus Apostolicus Galianus egit, quam tradere, abscedentibus Coloritis, curam Ecclesiae atque Conventus *suo-Or dinar io,* Episcopo Puteolano, eum, ut expresse quoque dictum est, *in antiquis suis iuribus manutenendo.* Adiecta *commendatio,* fuit liberalior quodammodo tuitio Antistiti imposita, qua Ecclesia in agris posita egebat ex passa quoque desertione virorum religiosorum. Et tunc in summa Galianus renovavit, quod S. Sedes in prima suppressione Conventus egerat, pariter tradens vigore Constitutionis - *Instaurandae* - Ecclesiam cum Conventu Ordinario suo, Episcopo Puteolano.

Descendens tandem Orator ad argumenta Archiepiscopi,, quibus *suam iurisdictionem* super Quarto et Ecclesia *protuetur,* tria esse dicit: *aggregationem Ecclesiae Cumanae** cui Quartum olim suberat, *Archidioecesi Neapolitanae;* dependentiam Quarti *in civilibus Marano* , Oppido Dioecesis Neapolitanae: *plures actus iurisdictionales* longaevo quoque tempore super loco *exercitus. Aggregationem Ecclesiae Cumanae* quod attinet, duo probari insimul ex adversario oportere Defensor observat : Quartum olim eiFormasse partem

Dioecesis Cumanae et Dioecesim Cumanam ex ~*ntegro datam fuisse Neapoli.

Atqui hoc admodum difficile esse, quin imo impossibile; nam, misso etiam , an Quartum olim Cumis pertinuisset, quod non est sine controversia, graves Auctores, referunt, destructis Dioecesibus Cumarum atque Miseni circa annum 1207, earum reliquias huc illuc migrasse. Mensa Archiepiscopalis Neapolis habuit bona : iura et privilegia Capitulorum tributa sunt Neapoli atque Aversae: territorium in -spiritualibus obtigit Episcopo' Puteolano.

Sed, retento etiam Cumas transiisse Neapolim et Quartum Cumis pertinuisse, Cu mae absque contradictore destructae sunt anno 1207. Cum tamen Episcopus Puteolanus ab anno 1223, aut etiam ab anno 1538 usque ad annum 1692 in iugi perennique ea iurisdictione versatus sit, absque contradictione Neapolis, ex posteriori hac possessione , meliorem de mundo titulum ei suppeditante , non amplius Archiepiscopus, sed Episcopus iurisdictionem modo habet, obliterato antiquo titulo obiectae aggregationis.

Quartum vero modo *pendere in civilibus* ***a*** *Municipio Marani,* **Dioecesis Neapolitanae, nihil pariter adversario prodesse, quia ex** *can. lmperatorem distinct.* **1 a finibus temporalibus numquam infertur ad spirituales. Alius in iurisdictione Caesar, alius Pontifex, fortius si, ut in casu delimitatio ecclesiastica ex titulo praesumpto ab anno 1243 aut 1538 longe civili praecesserit : primo enim actum est de aggregatione civili Quarti Marano Decreto Regiae Camerae anni 1643.**

Parto itaque anno 1692 ab Episcopo Puteolano legitimo titulo ex immemorabili, vel centenaria, nonnisi alia posteriori centenaria favore Archiepiscopi posse ipsum titulum deleri, propter eaque immutari iurisdictionem, perspicuum est. Iam vero Archiepiscopus ingressus est Ecclesiam et territorium Quarti anno 1692 exivitque anno 1751, quando Delegatus Apostolicus Galiani, secundo expulsis Coloritis a Coenobio, Ecclesiam restituit, ut antea, commendavitque

Ordinario loci, Episcopo Puteolano. Itaque tum , quando exivit, decursi erant soli *anni quinquaginta novem* possessionis , captae quoque cum mala fide, delendo lapides existentes in Ecclesia super iurisdictione Episcopi, tempore Sedis Puteolanae vacantis et inter assiduas protestationes Episcoporum, ei quoque tradentium, ut inspiceretur, omnia originalia documenta, qaae vera per Fiscalem Curiae Episcopalis de Autellis recognita sunt.

Posthac per dimidium saeculi et ultra ab anno 1751 ad 1808, Episcopus Puteolanus solus stetit in possessione universi territorii et Ecclesiae. Archiepiscopus possessionem dimidii territorii, exclusa Ecclesia s. Mariae Libera a Scandalis, rursus coepit anno 1808 Decreto Commissionis Gallici Gubernii. Sed iterum non possedit, nisi *annos sexaginta novem,* usque ad diem introducti huius iudicii, quo ex contradictione Antistitis Puteolani sua possessio , haud completa, coram S. Ordine nutare incoepit. Ideoque neque ex prima , neque ex hac altera possessione aliam centenariam acquisivit, quae destrueret priorem Episcopi.

Paucis delibatis ex prolixis defensorum scripturis, sequens propositum fuit enodandum

Dubium

An, et cuius favore constet de iurisdictione in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re maturae perpensa, sub die 22 Aprilis respondit: *dilata:* sub die vero 17 Iunii 1882 -censuit respondere :

« *Affirmative, favore Episcopi Puteolani.* »

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Ecclesiasticam iurisdictionem duplici titulo vindicari posse : nempe titulo *expresso,* qui ex diserto privilegio Apo-

stolicae Sedis promanet ; vel titulo *praesumpto* qui ex possessione centum annorum, aut ex immemorabili gignitur (I).

II. In defectu tituli expressi, quempiam possessorem, titulo praesumpto innixum, valere allegare, uti aiunt forenses, titulum *meliorem de mundo,* ad rem vel iurisdictionem sibi retinendam ; quam ipse eiusque antecessores tamdiu sine quaerela retinuerint.

III. In themate videri defensorem evincere potuisse titulum adesse praesumptum ex immemorabili aut ex centenaria possessione Episcopi Puteolani : quo perdurante tempore omnes ordinariae iurisdictionis actus ipse exercuit, ceu sunt, inter praestantiores, sacrae visitationes, relationes ad limina, collationes ipsius beneficii s. Mariae.

IV. Titulum possessionis praesumptum ex centenaria aut immemorabili partum deleri non posse nisi per aliam centenariam , omnibus numeris absolutam.

IURIS DEFERENDI CRUCEM ET PRAECEDENTIAE

Die 22 Aprilis 1882.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Ambrosius Ecclesiae S. Ianuarii parochus civitatis N. supplici oblato libello sub die 12 Aprilis 1878 S. C. C. adivit exponens quod Capitulum Ecclesiae Collegiatae s. Mariae Maioris cum fideles defunctos, ad quascumque eiusdem civitatis paroecias pertinentes, associât, tum ius crucem extollendi, tum a defunctorum parochis praecedentiam vindicare, sibi praesumit.

Porro praedictus parochus, probe noscens huiusmodi Capituli agendi rationem, non modo Canonum decretis, ac legibus synodalibus, verum etiam constanti consuetudini contrariam, litium et discordiarum deinceps causam fore ; hina

(1) Q-ioad vim centenariae, et immemorabilis confer Vol. XIV, 514.

ad ea praecavenda enixe efidagitavit, ut Ecclesiae Collegiatae Capitulum intra fines tum a Canonibus, tum a legibus synodalibus, tum denique a consuetudine praefinitos contineretur.

Disceptatio synoptiea

DEFENSIO PAROCHI. Propugnavit ille in funeribus suorum parochianorum sibi ius competere crucem extollendi in vim Ritualis Romani, legum synodalium suae dioeceseos, et in vim plurimarum resolutionum, quas sacrae Congregationes hac de re quovis tempore ediderunt. Quod Rituale Romanum huiusmodi ius ipsi tribuat, id extra omnem dubitationis aleam positum esse edicit ; quandoquidem loquens de *Exequiis,* sub rubrica, *Exequiarum Ordo* haec habet : - ibi - « Parochus » induto superpelliceo et stola nigra vel etiam pluviali eius» dem coloris, Clerico praef érente Crucem, et alio aquam » benedictam, ad domum defuncti^una cum aliis procedit. »

Ritualis Romani rubricis consonare urget ultimam Synodum anno 1791 peractam, quae Cap. XI §. XII ad rem haec praescribit - ibi - « Qua hora cadaver efferendum sit, desi» gnent Parochi ; cumque designatum tempus advenerit, » omnes quotquot a defuncti haeredibus fuerunt ad funus in> vitati, in Parochialem Ecclesiam conveniunt, ut exinde ad » defuncti domum sub unica hastata cruce tumulantis Eccle» siae processionaliter incedant. » Quod ius confirmatum fuit per decretum Episcopi anni 1826 qui Capitulis cuiuscumque Collegiatae, tam civitatis quam Dioecesis, etiam insignis nuncupatae, sub poena, pro qualibet vice, unius scutati aurei prohibuit, quominus Crucem propriam mortuariam deferrent, si ad associandum funus ab haeredibus alicuius defuncti in sua Parochiali Ecclesia sepeliendi Canonici fuerint invitati, praecipiens, ut sub unica Cruce Parochialis tumulantis Ecclesiae processionaliter incederent. Decretum hoc confirmatum fuit a S. R. C. ad quam confugerunt Canonici, hoc responso___*scilicet Oratores pareant decreto Episcopi, utpote ad, tramites decretorum Sacr. Congregationis et Constitutionum synodalium effbrmato.* Innumerae ad rem afferri

possent ss. Congregationum resolutiones, quaeque a Ferraris in suo opere enumerantur sub vocab. *Crux n. 13.* Sane S. C. EE. et RR. in *Barensi, 29 Iulii 1616,* et in *Valentina 14 Iunii 1647,* et saepe alibi declaravit : « In fune- » ribus unica tantum crux defertur illius Ecclesiae, in qua » defunctus sepeliri debet. » Idipsum declaravit S. R. C. in *Narniensi 30 Septembris 1614,* in *Andriensi 22 Novembris 1631,* in *Varensi Terrae Melagri 2 Augusti 1631,* et in *Messanensi 12 Februarii 1653* per haec verba : « In » funeribus deferenda est unica tantum Crux illius Ecclesiae, » ad quam corpus transfertur : post quam sequi debent im- » mediate personae illius Ecclesiae, et deinde ceteri secun- » dum antianitatem. » Sic refert Pignatell. *t. 6 Consult. 58 num. 13;* qui *tom. 8 Consult. 83 num. 175* ad rem aifert etiam decretum Sacrae Congregationis Concilii praecisis his verbis : Die 17 Ianuarii 1682 « S. Congreg. Concilii decla- » ravit Crucem deferendam, esse debere illius Ecclesiae ad » quam funus ducitur, illamque deferendam esse a Clerico » eiusdem Ecclesiae, post Confratres ante Clerum et ita ser- » vari mandavit etc. »

Verbo, si unicum casum excipias, quod nempe Capitulum Ecclesiae Cathedralis funebri processioni interveniat, quia tunc, ut tradunt Monacelli *I. 1 tit. 5 formul. 6 n. 37.* Ferraris *opere citato Vocab. Crux n. 14* aliique passim auctores, propter Ecclesiae Cathedralis reverentiam, omnes sub unica illius Cruce ad Ecclesiam tumulantem incedere debent; in ceteris aliis casibus qui occurrere possunt, unica Crux deferenda illius Ecclesiae iugiter esse debet ad quam funus ducitur.

Sategit etiam Parochus sibi vindicari praecedentiam in funeribus suorum parochianorum prae Capitulo Collegiatae per Rituale Romanum, ubi praescribitur ordo exequiarum; et ubi Parocho tribuitur locu» magis dignus in funerariis processionibus suorum parochianorum. Per plures autem adductos testes evincere quoque curavit Parochus exercitium huius iuris confirmari a consuetudine, in Dioecesi inolita.

Hisce in facto praeiactis consuetudinis **vis** tanta est, ut totum faciat in praecedentiae materia tradit Rota *Decis.* 781 *num. 5 recent, part. 18, decis. 232 num. 2 cor. Qlivatio, et decis. 102 num. 17 et 18 part. 10 recent.* - i - « In » praeeminentialibus controversiis longaevam consuetudinem, » licet iuri communi contrariam servandam esse. » Porro huiusmodi consuetudinem fortius in praesenti casu servandam esse Parochus edisserit, ex eo quod de observantia agitur non iuri communi contraria, sed ipsi quammaxime conformi, utpote quae in Ritualis Romani praescriptionibus fundamentum habet.

DEFENSIO CAPITULI. Verumtamen ex adverso Canonici Ecclesiae Collegiatae s. Mariae Maioris animadvertunt quod in funebri processione, ad quam ab haeredibus defuncti invitati sunt, ipsis dumtaxat ius competit crucem elevandi, sub qua Parochi incedere tenentur, sive defunctus vel eius haeredes Ecclesiam Collegiatam, sive propriam parochialem Ecclesiam pro funeribus exequendis, elegerint. Quod ut evincant, in medium praeprimis afferunt vulgatum in iure esse, quod in huiusmodi quaestionibus dirimendis, dignitas prae oculis haberi debeat, ita ut digniores minus dignis iugiter praeferendi sint.

Hoc praemonito, cum explorati iuris sit, quod Capitulum Ecclesiae Collegiatae, praesertim insignis, Collegio Parochorum magis dignum sit ; sponte sua fluere edisserunt Canonici, quod ad Capitulum Collegiatae, quoties ad associandum funus invitatum fuerit, ius pertinet propriam Crucem mortualem deferendi, sub qua Parochus quoque defuncti incedere debet, etiamsi defunctus in suam Parochialem Ecclesiam efferendum sit.

Neque ab huiusmodi iurisprudentia praxis S. C. C. aliena esse videtur, ceu liquido apparet ex *Derthonen. Iurium Parochialium 7 Decembris 1720.* Ad consuetudinem quod attinet, eam usque ad annum 1825 favore Capituli Collegiatae constitutam fuisse ex Uteris informatoriis Episcopi luce meridiana patet. Refert siquidem Episcopus, quod Canonici tunc

temporis contra decretum Curiae Episcopalis interdicentis in funeribus delationem Crucis Collegiatae ideo insurrexerunt, quia aegre ferebant *propriae consuetudinis hoc decreto abrogationem* sancitam fuisse.

Sed huiusmodi Collegiatae Capitulo competere clarius erumpit ex S. C. C. quam die 14 Maii 1684 habitam fuisse refert Pignatell. *tom. 6 num.* 1 - ibi - « S. Congregatio censuit ac declaravit in funeribus unicam Crucem adhibendam » esse illius Ecclesiae, ad quam cadaver defertur, *nisi Capitulum Cathedralis vel Collegiatae funeri interfuerit;* » *quo casu Crux Capitularis privative adhibenda est.* »

Sed ceteris omnibus praetermissis satis esse Canonici censent ad ea oculos vertere, quae de hac quaestione enucleavit Ferraris, sub voce *Crux num. 4, 14, 15* quo in loco, loquens de crucis elevatione in funeribus, tradit, a S. C. Rituum resolutum fuisse, omnes comitantes funus incedere debere sub unica cruce illius ecclesiae ad quam corpus defertur sepeliendum, nisi intervenerit Capitulum Cathedralis, vel Collegiatae.

Verum dato etiam, at non concesso quod omnes ad associandomi funus invitati sub unica Cruce Ecclesiae Parochialis incedere debeant, cum funus in propria defuncti paroecia persolvendum sit, nihilominus Capitulum contendit ius elevandi Crucem sibi competere, quando defunctus vel eius haeredes propriae Paroeciae Ecclesiam Collegiatam s. Mariae Maioris, pro exequiis explendis, praetulerint ceu saepe accidit devotionis causa. In hac enim collegiata extat sanctuarium B. M. Virgini dicatum. Quandoquidem huiusmodi ius tum ex synodalibus Constitutionibus Dioecesis *cap. 11%. 12* quum ex innumeris S. C. C. resolutionibus erumpere urgent.

Mox citatam iurisprudentiam sequendam esse, praeter Synodales Dioecesis leges, constans ss. Tribunalium praxis suadet. Revera S. C. C. *in Sabinen, funerum diei 29 Ianuarii 1735* statuit quod in comitatu cadaverum ad Ecclesiam PP. (Carmelitarum) praedictorum Archipresbyter debeat sub sola Cruce dictae tumulantis incedere, nec potest

propriam Crucem elevare et sic sub utraque incedere. Idipsum decrevit in *Romana funerum die IO Ianuar. 1682-*

S. C. C. resolutionibus concinunt decreta a S. R. C. hac super re data, ceu videre est in *Balneoregien.* diei 11 Aprilis 1840, in qua statutum fuit crucis elationem competere « Ecclesiae ad quam defunctus defertur, ut pluries decretum » fuit, ac praesertim in una Nullius diei 26 Septembris 1862 » - ibi - « si vero intersit Collegiatae Capitulum, huic debetur » praelatio Crucis, iuxta generale decretum diei 6 Iulii 1661».

Ex omnibus hactenus deductis concludi posse videtur ad Capitulum Ecclesiae Collegiatae, utpote Parochorum Collegio dignius, ius pertinere Crucem propriam elevandi quoties ad funerarias processiones ab haeredibus defuncti invitatum est; vel sin minus hoc ius certo certius ipsi competere, tum cum defunctorum cadavera ad Ecclesiam Collegiatam pro exequiis deferuntur.

Post haec ad secundum dubium Capitulum gradum faciens, praecedentiae ius sibi prae parochis tribuendum esse, duplici praesertim ex capite, propugnavit. Et praeprimis, quia Capitulum Collegiatae Insignis, cui dignitas praeposita est, in maiori honore quam simplex Parochus haberi debeat. Quod revera, in materia de praecedentia, dignitas in primis attendenda sit, ita ut dignioribus locus honoris tribuendus sit, docet cum communi Canonistarum Barbosa in *Summ. Apóstol, dec. verb. Praecedentia n. 2.* Ius praecedentiae sibi spectare autumat Capitulum etiam ex immemorabili consuetudine, quae totum facit in quaestionibus de praecedentia. Quod autem capitulum ab immemorabili tempore huiusmodi praecedentiae iure perfruitum fuerit testes quamplurimi deposuerunt, sub iuramenti religione. Hisce omnibus addendus Antistes qui censet praecedentiam spectare Capitulo praedictae Collegiatae, utpote digniori in ecclesiastica hierarchia, ad tradita per Ferraris *v. Parochus art. 2 n. 63 et v. Praecedentia n. 7 et 69.*

Si itaque Capitulum Ecclesiae s. Mariae Maioris Parohorum Collegio dignius est, si a tempore, quod immemora-

bile nuncupatur, praecedentiae iure in funeribus prae Parochis omnibus gavisum iugiter fuit; sponte veluti sua sequitur in huiusmodi iuris quasi possessione Capitulum manutenendum esse. Quin aliquid ea, quae ex Rituali Romano Parochorum favore superius allata sunt relèvent: quandoquidem huiusmodi offensioni occurrit Barbosa *de Offic, et Potest. Parochi part. 1 Cap. 9 num. 11* - ibi - «c Ad Rituale Ro- » manum respondetur habere locum inter presbyteros eius- » dem ordinis ad alios, praerogativam non habentes, eiusmodi > non sunt Canonici collegiatarum Ecclesiarum in quibus ter- > minis loquitur etiam Stephan. Gratian. *Discept. Forens. > tom. II cap. 298 num. 83, et tom. III c. 492.* » Hisce praemissis, idem Auctor loco citato concludit : « Dico Pa- » rochum debere praecedere ratione officii, quando est inter » maiores. Item quod, dum incedit per viam, non videtur > exercere officium, sed sociare una cum aliis ».

Neque in maiori pretio habenda sunt S. Rituum Congr. decreta, quae Parochi precibus patrocinari videntur, ea siquidem magistraliter explodit ipse Barbosa *loc. cit.* - ibi - « Ad illam s. Angeli terrae Saxiferrati, in qua videtur de- » claratum, illum presbyterum seu curatum, aut priorem, » qui defert stolam, et ad eius Ecclesiam funus defertur aliis » omnibus praecedere debere, et sic etiam Canonicis Eccle- > siae Collegiatae, potest responderi, non loqui de praece- » dentia, quando funus defertur ad Ecclesiam eius qui sto- » Iam defert, sed quando ab eo fit officium in sua Ecclesia, > in qua praecedentiam habere debet. Ad illam vero Eugu- » binam respondetur habere locum inter curatum cathedralis, » et curatum s. Petri monachorum Olivetanorum non autem » inter capitulum Collegiatarum ».

Hisce praeiactis, supposita fuerunt enucleanda

Dabi»

I *An in funeribus, quibus Capitulum Ecclesiae Collegiatae interest, sive defunctus ad propriam Paroeciam**

sive ad Collegiatae Ecclesiam deferatur, ius competat Parocho Crucem propriam elevandi in casu.

II. *An in eisdem funeribus ipsi Parocho, prae Capitulo Collegiatae debeatur praecedentia in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re perpensa sub die **22** Aprilis **1882,** respondere censuit:

Ad I *Affirmative, quando defunctus defertur ad propriam paroeciam tantum.*

Ad II *Negative.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I Unicam crucem in funeribus ducendi s esse deferendam, illamque esse debere Ecclesiae ipsius ad quam corpus transfertur, certum esse in iure, et in resolutionibus ss. Congregationum, **(1)** nisi aliter longaeva statuat consuetudo.

II Nullum ideo superesse dubium quod parochi iure polleant extollendi crucem in funeribus parochianorum suorum qui ad paroecialem Ecclesiam deferuntur.

III Iuxta vero ss. Congregationum resolutiones, ab hac regula excipi casum, quo adsint funebri processioni Capitula Cathedralis vel Collegiatae : tunc enim, propter debitam eisdem reverentiam, extollitur crux Capituli interessentis, sub qua omnes incedere debent **(2).**

(1) Recole Vol. XIV pag. 514, et seqq. ubi ampliori modo discussum est quid possit consuetudo longaeva in quaestionibus praecipue praeeminentiarum. Post aerem discussionem, et parochorum oppositionem confirmata fuit praerogativa Ecclesiae ss,. Annuntiationis gestandi propriam crucem in processionibus et cadaverum associationibus. Ita ut duae extolli queant cruces in funeris processionibus, cum Clerus illius Ecclesiae intersit cum parocho defuncti. Quo casu ad rem facit sententia Cardinalis de Luca: « regula est ut omnes » sub unica cruce incedant, nisi cou» suetudo aliter statuat. » Eecole idem Vol. pag. 136.

(2) Praeter alias declarationes, quae jtdduci possent sufficiat .Decretum generale S. R. Congregationis a Gardellini relatum sub n. 2103-In eo quaerebatur *u* I. An scilicet decreta pluries edita, » quibus firmatum fuit, ut in associa» tione funerum, salva legitima loci •* consuetudine , debeatur praecedentia » Capitulo Collegiatae Ecclesiae supra » parochum etiam proprium defuncti.... •*D* extendantur ad Collegiatam nuper ere» etam territorio... contra Parochnm » matricis...? II An attento quod S. O.

IV In themate videri conservatum fuisse Parocho ius elevandi propriam crucem in funeribus, quae ad illius paroeciam ducuntur, etsi interveniat Capitulum Collegiatae: quia ius hoc innititur constitutionibus synodalibus et longaevae consuetudini (1).

V In funeribus ducendis, quibus Capitulum Cathedralis, aut Collegiatae intersit, praecedentiam deberi Capitulo ipso, utpote digniori in ecclesiastica hierarchia (2).

APPROBATIONIS STATUTI

- *Die 20 Maii 1882.*

COMPENDIUM . FACTI. Sodalitii SSmi Sacramenti erecti in Oppido R. Dioecesis F. administratio, ab immemorabili tempore legibus gubernabatur generalibus. Res ita moderatae pacifice ad annum 1827 pervenerunt ; qua tempestate Vicarius

-» saepius declaraverit, idemque Rituali •» Romano cautum sit, quod in funera- » libus unica crux adhibeatur illius Ec- •» clesiae ad quam cadaver defertur, secus -*n* vero si capitulum Cathedralis vel *n* Collegiatae interfuerit: tunc enim Crux *n* capitularis privative adhibenda est, » quod parochum loci unicae parochia- *y*> lis etiam intelligatur.... Et S. Con- » gregatio, praehabita matura discus- » sione, decrevit: Decreta edita favore » Cathedralium et Collegiatarum extendi » ad casus propositos tum quoad prae- -» cedentiam, tum quoad Crucem. »

(1) Praeter longaevam consuetudinem «t dioecesanas constitutiones adfuit etiam in themate decretum Episcopi confirmans huiusmodi ius parochis anno 1(526 -editum: quod in rem iudicatam transiit. <Quae autem sit rei iudicatae, iunctae consuetudini, vis ait Pitonius *dise. eccles. 41 p. 4 n. B. u* Ea consuetudo, » quae canonizata reperitur per rem » iudicatam facit statum et habet vim » legis in futurum...» Insuper ceu plu- ries animadvertimus, statuta Ecclesiarum particularia, et consuetudines longaevae possunt infirmare leges generales et dispositionem caeremonialis: Pitonius *disc. 45 n. 1.* Recole Vol. XIV pag. 142 not. in calce.

(2) Gardellini sub n. 1505 refert *Sabinen,* « Attenta discrepantia anti- » quarum resolutionum S. C. quaesitum » fuit , cui debeatur praecedentia in » funeralibns: an proprio parocho de- » functi, an vero Capitulo Ecclesiae » Collegiatae. » Et sacra Cong. respon- » dit: « In associatione funerum, salva *r*> legitima loci consuetudine deberi Ca- *n* pitulo collegiatae supra parochum, » etiam proprium defuncti »

Capitularis censuit, inaudito Sodalitio, precarias condere leges ad nonnulla avertenda iurgia inter sodales oborta, nonnullaque vitia, quae in bonorum ar ministrationem irrepserant. Attamen leges effroenes conditae fuere, quae potius controversias, quam pacem foverunt inter Sodales et Archipresbyterum. Qui, ex novis legibus, munere fungensXvDelegati Episcopi, censuit posse omnia Sodalitii negocia proprio moderari arbitrio, sub nullitatis poena. Hisce ergo malis ut medelam afferret Sodalitium, unanimi suffragio propria condere statuta decrevit. Quibus absolutis, Episcopo eadem exhibuerunt pro approbatione ; quam dare renuit, quoniam, ait ille, perfecta haud essent. Hac Sodales pertaesi agendi ratione, ad S. C. Congregationem convolarunt, Apostolicam expetentes approbationem.

Disceptatio synoptlca.

STATUTA APPROBANDA VIDENTUR. Tritum in iure est, quod quaelibet universitas, sive Collegium possit legem statuere circa ea, quae concernunt eius particulare regimen *ad Text. in **I.** final. C. de iurisd. omn. Iudic, et **I.** unie. ff. de Collegiis, et Corporib. illicit. **I.** omnes populi ff. iust. et iur.* Ac proinde dummodo statutum sit licitum, et honestum, omnes de Collegio obligat, atque inter eos est omnino servandum, *Bald, in lib. 1 Cod. qua si longa consuet. Innocent, inc. cum accessissent, Gratian, discept. 721 n. 22.* Oportet tamen ut huiusmodi Universitas sive Collegium fuerit per superiorem approbatum: nam alioquin potius conventiculae nomen sortiretur, nullumque ius statuti condendi haberet, ut distinguuunt *Berons. cap. 7 num. 10; Mart. de Iurisdict, part. 4 contt 1 cas. 87 n. 19; Oliva de Foro Eccl. part. 3 quaest. 6 n. 5; Sanfelic. decis. 135 num. 10.*

Atqui Confraternitas SSmi Sacramenti ab Episcopis approbata fuit. Quare meridiana luce fulget pollere praerogativa condendi statuta super iis quae regimen ipsiusmet Confraternitatis pertingunt. Quibus concinit Bossus *De Sodalit. Quaest. IV.* ubi quaerens, an sodalitates, statuta, et ordi-

nationes condere possint, respondet: *posse in concernentibus earum institutum, et quidem cum licentia Ordinarii ad formam Bullae Clement. VIII §. 5. S. C. Conc. in Ulyssiponen. 3 Iunii 1690; MonaceL Form. Leg. tit. 6 form. it n. 11 Tit. 13 form. 6 num. 5.*

Futili at vero studio Episcopus oggerit, statuta adversari Synodalibus Constitutionibus. Siquidem gratis id asserit. Ergo gratis reiicitur, iuxta vetus adagium. Imo tenues in auras abit quaelibet contradictio si conferatur Caput VII Synodi Dioecesanae, *De Piis laicorum Sodalitatibus* cum capite Statutorum, cui titulus : De subiectione Sodalitii erga auctoritatem "Ordinarii Dioecesani. Patula enim est devotio et servitus pii Sodalitii erga Ordinarium, et plena huiusmodi statutorum conformitas Constitutionibus Apostolicis hac super re latis.

Inani aeque labore tuetur Episcopus eleemosynas factas a dicto Sodalitio, beneficentiae gratia, esse contra naturam et indolem eiusdem Confraternitatis. Siquidem pax est inter omnes scriptores rerum ecclesiasticarum Sodalitia instituta fuisse ad exercenda officia pietatis, charitatis, et misericordiae. Quid plura ? Ecqua de causa Sacramenti Sodalitium, tempore italici regni sub Napoleone I, a generali suppressionis lege incolume abivit, eiusque bona ab unguibus daemanii subducta fuere ? In promptu causa est : quia eo tempore dictum Sodalitium Beneficentiae operibus adscriptum manebat, decreto diei 26 Maii 1807 edito a Commissario regio.

Praeterea animadversum quoque fuit : si opera beneficentiae homogenea sunt indoli Sodalitii huius, mensuram istorum quisquis videt esse committenda prudentiae et conscientiae administratorum, qui a fratribus eliguntur et ab Episcopo approbationem recipiunt. Auctoritas autem Episcopi interponi tunc solummodo posset cum administratores, propria auctoritate, alia posthaberent onera, ut locupletiora darent subsidia caritatis. Hoc in casu Episcopus onere obstringeretur corrigendi abusus administrationis. Ast adhuc omnia completa adamussim fuisse onera iuxta testatorum voluntatem,

ipse Episcopus testimonium perhibet, qui onerum regestra vidit semperque collaudavit. Ast obiicit Episcopus, in testamentis nullum fit de subsidiis verbum ; quum autem legata relicta fuerint Confraternitati SSmi Sacramenti, praesumendum est eadem eroganda esse in **SS.** Sacramenti honorem. Cui obiectioni responsum fuit : recta ratio docet, administratores posse utiliori modo libere disponere de legatis, quibus a donatoribus nulla imposita fuit lex : praeterea administrationis documentis liquidum fit maiorem redituum partem addici •divino cultui, longeque minorem erogari quotannis in subsidia caritatis.

Ex hactenus enucleatis erui posse videtur, statuta approbanda fore, quippe quae consona sunt-constitutionibus Apostolicis, et Resolutionibus **S.** Congregationis Ep. et Reg. in causa *Nullius Putinien. die 21 Augusti 1584,* et **S.** Congr. Conc. *Spoletana super appr. stat. sod. 10 Septembris 1852; in Assisien. IO Septembris 1785 §. Verum ; in Rag usina 1 Aprilis 1596. Consent. 44 Iulii 1600, in Senogallien. 4 Iunii 1701, Balneoregien. 14 Ianuarii 1709. et Rota coram Buratto, Decis. 573 num. 22, et Decis. 85 num. 9, coram Celso.*

STATUTA IMPROBANDA VIDENTUR. Altera autem ex parte Episcopus pro tuetur statuta Confraternitatis SSmi Sacramenti approbatione digna haudquaquam esse. Siquidem omnes norunt, leges repugnantes et Concilio Tridentino et praescriptionibus Synodalibus, et generalibus Decretis laicorum sodalitiorum, penitus amandandas esse. Porro nova statuta Conf. SSmi Sacramenti ita se habere, ostendere sategit Antistes. Et re quidem vera, ai-t, *in-art. 3* statutorum legere est: Confraternitatis obiectum esse divinum cultum, pietatem, et acta publicae beneficentiae. Ast de publica beneficentia nusquam recurrit sermo in legatis favore huius Sodalitii relictis. Beneficientia excluditur a Statuto condito per Vicarium capitularem, et per duo mei Antecessoris decreta. In art. **7** statuitur Officiales permanere debere in suo officio tres annos : ast, ait; dispositio haec adversatur decretis S. C. Ep. et Reg. **18** Iulii **1594** et

11 Maii 1616; adversatur Synodo Dioecesanae et statuto Vicarii Capitularis anni 1827. In art. 23 et 26 dicuntur validae convocationes fratrum, absente quoque Episcopi delegato. Id adversatur episcopali decreto anni 1773; quo iuxta consuetudines antiquas onus imponitur Archipresbytero assistendi Sodalitii coetibus, sub nullitatis poena. Praeterea hic omittitur, sodalitii resolutiones Episcopo esse transmittendas pro approbatione.

In *art. 28* legitur : Congregatio intererit cunctis eiusdem sacris functionibus. Curnam non determinantur quaenam sint hae functiones ? Forsan arbitrium confratrum ea« rumdem numerum moderabitur ?

In *art. 29* quomodo, ait, omittitur onus visitandi infirmos confratres, eosdemque exortandi ad Confessionem et Communionem ?

In *art. 33* minus proprie dicitur Sodalitium subiici Episcopi vigilantiae; dum eius iurisdictioni subiectum esse debet. Iuxta autem Trid. *Sess. 22 cap. 9 de ref. « administratores » teneantur reddere rationem administrationis Ordinario.»* In hoc autem articulo dicitur, rationem administrationis esse Episcopo reddendam quatenus eam exposcat.

In *art. 35* dicitur : Delegatus suffragium non dabit in coetibus : quod adversatur perantiquis consuetudinibus, decreto Episcopi 1773 **i** et Statuto Vicarii Capitularis : hoc si nunc relinquatur funestae metuendae sunt consequentiae; ea quod mens Sodalitii est, ut ab auctoritate ecclesiastica sese emancipet. Tandem animadvertit Episcopus, nova Statuta esse omnino respuenda, utpote quae nihil innuant quosnam in actus pietatis et religionis sodales sese exercere debeant, iuxta Constitutionem Pauli III *Dominus noster* §. ***8*** et iuxta Synodum Dioecesanam.

Quibus praenotatis, propositum fuit dirimendum sequens

H) u hi u m

An novae Constitutiones Sodalitii sub invocatione SSmi Sacramenti in omnibus et singulis articulis sint approbandae vel improbandae in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re perpensa, sub die 20 Maii 1882, censuit respondere:

Affirmative iuocta modum Domino Secretario paté-facticm.

EX QUIBUS COLLIGES

I Sodalitium canonice, seu cum approbatione Episcopi erectum, posse conficere statuta, seu legem constituere circa ea quae eius concernunt particulare regimen, ex iure scatere.

II. Attamen huiusmodi statuta, ut vim obligandi habeant, examinari et pro ratione loci approbari, iuxta Bullam Clementis VIII *Dominus noster* ab Ordinario deberi cuius moderationi et correctioni in omnibus et semper subiecta manent (1).

III Ne tamen hae leges approbatione indignae habeantur consonae esse debent tum Constitutionibus Apostolicis, tum ss. Congregationum resolutionibus.

EX SACRA RITUUM CONGREGATA

ARGENTINES.

Littsrae ad Episcop. Argentinen. quibus declaratur Ordinarios posse approbare, quatenus expedire censeant, Litanias pro privata recitatione, non vero pro publicis functionibus.

Revme Domine uti Frater. Exponens Amplitudo Tua in plerisque Germaniae Dioecesibus decisiones Sanctae Apostolicae Sedis circa approbationem Litaniarum ab Ordinariis, speciatim Monitum (2)

(1) Si Statuta seu constitutiones Confraternitatum confirmatae fuerint ab Apostolica Sede, nequeunt amplius mutari aut corrigi ab Episcopo; ceu resolvit S C. Ep. et Reg. in *Asturicen.* 17 Feb. 1605; nam non convenit quod mutari possint ea quae s. Sedes confirmavit. Confer Vol. II pag. 296 in nota, ubi dictam fuit quibus indulgentiis, quibusque privilegiis ditatae sint Congregationes SSmi Sacramenti.

(2) Monitum huiusmodi relatum habes, lector, Vol. XIII pag. 91. Hoc monito, ceu nunc clarum fit, haud sublata fuit Episcopis omnis potestas approbandi Litanias, praeter illas quae in libris liturgicis habentur: sed moniti fuerunt ne approbarent Litanias pro functionibus publicis. Quamobrem in eorumdem facultate relinquitur approbare, quatenus expediens sit, Litanias pro coetibus, aut personis privatis.

Sacrae huius Rituum Congregationis sub die **16** Junii **1880** latum, variis diversisque interpretationibus explicari, ab eadem **S.** C. nonnullis propositis quaestionibus, seu dubiis, authenticam hac super re declarationem expetivit. Sacra porro haec Congregatio propositis ab ipsa Amplitudine Tua quaestionibus accurate expensis, insequenti unico responso iis satisfaciendum duxit, videlicet: *Monitum, de quo agitur, respicere Litanias in liturgicis et publicis functionibus recitandas: posse vero, immo teneri Ordinarios alias seu novas Litanias examinare, et, quatenus expedire putent, approbare, at nonnisi pro privata atque extraliturgica recitatione.*

Quam **S.** ipsius Congregationis declarationem dum Amplitudini Tuae, pro mei muneris perfunctione communico, eidem diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Revmo Domino uti Fratri

EPISCOPO ARGENTINENSI.

Die **29** Octobris **1882.**

D. **C**ARD. BARTOLINITIS **S.** R. **C.** Praefectus.

LAURENTIUS **S**ALVATI **S.** R. **C.** Secretarius.

DECRETUM

Brugen. confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Carolo cognomento Bono XIII. Flandriae corniti.

Ad instantiam Rev. Patris Augusti Negroni sacerdotis e Societate Iesu Causae supradictae postulatoris constituti, quum Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta Causae ipsius ponens in ordinario sacrorum • Rituum Congregationis Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium proposuerit : *« An sententia lata a Rmo Episcopo Brugensi super Cultu ab immemorabili tempore praestito praefato servo Det, seu super casu excepto a Decretis sa. m. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur? »* Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati, sanctae Fidei promotore, rescribendum censuerunt : *u Sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo placuerit.* » Die **4** Februarii **1882.**

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die **9** iisdem mense et anno.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. **C. PRAEFECTUS**

Loco £9 Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius

MOTU PROPRIO

SS. D. N. LEONIS XIII; quo in Aedibus Vaticanis instituitur Tribunal ad dirimendas controversias, quae enasci possent, contractuum causa, cum administratione Aedium earumdem.

« Nella penosa e diffìcile situazione fatta alla Santa Sede in seguito alla spogliazione di Roma e dei suoi Stati, abbiamo creduto necessario di provvedere con speciale *motu proprio* all'andamento regolare delle Nostre amministrazioni, dando alcune disposizioni straordinarie, che meglio rispondano alle esigenze del periodo eccezionale che Noi traversiamo.

« Siccome, oltre i rapporti economici e disciplinari che reggono le diverse amministrazioni della Nostra Casa Pontificale, possono di fronte ad esse sorgere, in seguito di contrattazioni o altro, controversie e contestazioni fondate sui titoli di giustizia; e poiché non possiamo del resto, in siffatte quistioni d'ordine interno ammettere l'intromissione di autorità estranee, nè pure vogliamo in modo alcuno chiudere la via dell'esame giuridico di quelle controversie e contestazioni, così stimiamo necessario di provvedere al corso regolare della giustizia nella misura e nella forma che ci è consentito dalle difficoltà della Nostra situazione.

In per difficili aerumnisque plena, quae facta est Apostolicae Sedi conditione, capta Roma eiusque principatu civili, oportere arbitrati sumus, ut recto Administrationum Nostrarum ordini, peculiari Motu proprio consuleremus, nonnulla extra ordinem decernentes, quae temporum adiunctis aptiora visa sunt.

Quum praeter oeconomicas, et disciplinares relationes, quae Domus Nostrae Pontificalis Administrationes moderantur, enasci, relate ad easdem, queant, contractuum aliarumve rerum causa, controversiae et contestationes, iustitiae titulo innixae; et quoniam ceteroquin in huiusmodi quaestionibus ordinis interioris, admittere nequimus extranearum auctoritatum interpositionem, neque ullimode earumdem controversiarum et contestationum examen iuridicum praepedire volumus, sic opus esse censemus recto iustitiae cursui prospicere pro mensura et forma, quas conditionis Nostrae difficultates permittunt.

a Adunque, nella pienezza della nostra autorità, Noi istituiamo, col nostro presente *motti proprio,* due Commissioni, composte ognuna di tre prelati da nominarsi, alle quali potrà ricorrere in prima e in seconda istanza chiunque crederà di avere azioni e diritti a far valere contro le suddette amministrazioni.

u Le Commissioni, dopo avere maturamente esaminate le ragioni delle parti, pronunzieranno le relative sentenze. Nel caso che queste- siano difformi nelle loro conclusioni, si farà una sentenza in terza istanza riunendo le due Commissioni sotto la presidenza dell'Uditore generale della Rev. Camera apostolica.

u Queste disposizioni saranno esecutive ed avranno pieno effetto finché Noi non avremo diversamente disposto.

u II nostro Cardinale Segretario di Stato è incaricato di stabilire le regole pratiche per la loro esecuzione.

u Dato dal Nostro Palazzo Apostolico del Vaticano il 25 maggio 1882, quinto del nostro Pontificato.

a Leone XIII. Papa. »

De plenitudine ergo auctoritatis Nostrae per praesentem Motum proprium duplex instituimus iudicum collegium "tribus constans Praelatis nominandis,'- penes quod omnibus recursus pateat, in prima et secunda instantia, qui actiones et iura adversus praefatas Administrationes vindicanda habere putent.

Quum duo haec collegia rationum momenta, per partes exhibita, mature perpenderint, relativas proferent sententias. Casu autem quo hae sententiae haud fuerint conformes in suis conclusionibus, tunc altera reddetur sententia in tertia instantia per utrumque collegium in unum conveniens, Praeside Auditore Generali Rev. Camerae Apostolicae.

Dispositiones hae implebuntur, plenumque consequentur effectum, donec per Nos aliter disponatur.

Cardinali Nostro a Secretis Status, commissum est practicas constituendi normas pro earumdem executione.

Datum e Nostro Palatio Apostolico Vaticano die 25 Maii 1882 V. Pontificatus Nostri.

Leo XIII. Papa

EX 8. CONGREGATIO! CONCILI!

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 17 Decembris 1881.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Eliseus Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Maioris tribus ab hinc circiter annis e dextero corporis latere apoplexiae morbo correptus ita fuit, ut dexteri brachii usum prorsus amiserit. Quare irregularis effectus a s. Missae sacrificio litando per integrum triennium sese abstinere coactus fuit.

Cum huiusmodi morbi vis perduret adhuc, nec ulla spes affulgeat aliquem sensum dexteram manum aliquando fore recepturam, vertente mense Iulio labentis anni, supplici porrecto libello, Sacratissimum Principem, praedictus Canonicus adivit expostulans, ut facultatem ipsi largiri dignetur Sacrum denuo peragendi, eo quod ope sinistrae manus et alterius Sacerdotis, qui patenam super calicem regat, singulas Missae coeremonias perficere valeat.

Episcopus de inore rogatus retulit: causam huius petitionis esse pium desiderium offerendi divinum sacrificium, et vitandi dispendium pro adimplemento onerum, quibus gravantur praebenda canonicalis et capellanía oratoris. Quod detrimentum, ait Episcopus, forsan in se grave non foret ; sed uti tale habendum est, quatenus prae oculis habeantur dispendia, adversae valetudinis causa perferendam Ut autem dignosceretur quomodo sacrae caeremoniae Missae impleri possent Episcopus commisit Vicario foraneo, ut super oratore, simulacrum Missae peragente, experimentum sumeret. Qui, omnibus perpensis, retulit : dexteram per se solam ad quam-

cumque actionem aut caeremoniam prorsus imparem esse : pariter Oratorem, nemine opitulante, patenam abstergeré nullimode posse ; valere tamen, si patena super calicem ab aliquo Sacerdote adsistente rite regatur. Ceteras autem caeremonias perficere Oratorem valere, partim dextera per laevam mota atque deducta, ut signare seipsum et oblata, atque in fine missae populo benedicere : partim per Jaevam ipsam seorsim, ut signare seipsum cum patena et cum calice, crucis signa cum hostia super calicem exequi, et hostiam frangere.

Hisce nonobstantibus Episcopus oratorem commendavit pro gratia, ne afflicto presbytero afflictio adderetur. Orator gratiam obtinere" confidit innixus resolutioni datae a s. C. C. in *Goritien, dispensationis ab irregularitate,* relata Vol. VII, pag. **80** ; aliisque resolutionibus quamplurimis ibi notatis.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die **17** Decembris **1881** respondit :

Pro gratia in privato oratorio cum adsistentia alterius Sacerdotis, donec morbus non ingravescat, facto verbo cum SSmo **(1).**

APPLICATIONIS MISSARUM

Die 20 Maii 1882.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM PACTI. In pago Archidioeceseos **C.** anno **1862** Petrus agricola per testamentum statuit : *Reliqua bona mea lego Ecclesiae parochiali ad erigendam fundationem missae matutinalis pro diebus Dominicis et festivis, cum obligatione in dicta missa dicendi tria Pater noster pro benefactoribus huius Ecclesiae.* Fundus iste pretio aequat quin-

ti) **Aliquando a disceptatione referenda abstinemus, quia eadem redeunt, quae alias in huiusmodi quaestionibus referendis animadversa fuere.**

que millibus et quinquaginta quatuor marcis. Uxor dicti testatoris Petri ad dies vitae habuit usumfructum. Quae quum mense Ianuarii anni praeteriti mortua sit, nunc oritur quaestio, utrum parochus obligandus sit, hanc missam fundatam applicare ad mentem fundatoris, nec ne.

Disceptatio synoptipa

VIDETUR MISSA NON ESSE APPLICANDA. Parochum non teneri Missam pro diebus dominicis et festivis a pio testatore fundatam, ad ipsius mentem applicare sequentibus rationibus videtur sustineri posse, quia: I° In dicta parochia, quae quadringentos et septuaginta parochianos habet, praeter parochum, non invenitur Sacerdos. Si parochus obligatus esset, dictam missam fundatam applicare ad intentionem fundatoris diebus Dominicis et festivis , quibus vi officii parochialis pro parochia applicare tenetur, hanc obligationem persolvere non posset, quum per missam matutinalem, quam vi facultatis Apostolicae, per Ordinarium obtentae, binando celebrat, fundationi satisfacere non posset : *2.* Intentio fundatoris erat, pro commoditate parochiae, cuius incolarum magna pars habitat longe ab Ecclesia parochiali, diebus Dominicis et festivis missam secundam fundare. Nam cum Parochus auctoritate Apostolica per aliquod temporis binas celebraret missas, diebus Dominicis et festivis, hoc fundatori vivo ita placebat, ut diceret se velle hanc missam fundare, quod postea etiam fecit: **3.** Parochus hucusque habebat reditus vix sufficientes.

Huc usque adductis adde, non levis ponderis , circumstantiam , quae vehementem praesumptionem inducit, fundatorem noluisse hoc onus imponere ut missa pro anima sua applicaretur. Sane testator huiusmodi Missae festivae legatum instituens, probe noverat Paroeciam nullum alium sacerdotem praeter Parochum habere, qui ut Parochianorum necessitatibus occurreret, in diebus festis bis sacrum faciendi facultatem obtinuerat. Hoc posito, nisi dicere velis testatorem

rem impossibilem instituisse, admitías oportet, ipsum noluisse Parocho onus imponere, ut Missam pro testatoris anima celebraret.

VIDETUR MISSA ESSE APPLICANDA. Verumtamen rationes superius allatae tanti ponderis haud esse videntur, ut in praedicta clausula testamentaria solam fundationem Missarum, absque onere eas applicandi, ad mentem tesíaíoris, contineri dicendum sit. Receptum enim est in iure in interpretandis ultimis voluntatibus, maxime prae oculis habendam esse regulam 45 *de Reg. iuris ino.* - ibi - « *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius.* » Porro verisimilius est, ait Benedictus XIV in *op. de Sac. Miss. c. 9.num. 2,* eum qui beneficium seu Capellaniam fundaverit, et onus celebrandi Missam imposuerit, de applicatione vero eiusdem pro anima sua ne verbum quidem adiecerit, voluisse eamr dem etiam sibi applicari. Et haec verisimilitudo talis est, iuxta ea quae tradit de Angelis *in lib. 3 tit. 41 num. 4,* ut destrui non possit, nisi in contrarium habeantur gravissimae praesumptiones, quod scilicet fundator praecipiendo Missarum celebrationem, liberam reliquerit applicationem earumdem.

Hanc regulam interpretandi huiusmodi fundationes constantissime sequuta est S. C. C. ut videre est apud Benedictum XIV loco citato, ubi plures affert resolutiones, praesertim notissimam in causa Finen. *Applicationis Sacrificii die 18 Augusti 1.668,* in qua haec habentur : « Ex dispo-
» sitione testamentaria, antiquitus facta, a pio testatore re-
» peritur fundata quaedam Capellania cum onere Capellano
» pro tempore, Sacrum faciendi singulis Dominicis aliisque
> festivis diebus, nulla adiecta declaratione, ad cuius suffra-
» gium applicandum esset Sacrificium.» Ideo Episcopus Finen, supplicat per S. Congregationem declarari, an eiusmodi Sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum Capellani, uti hactenus factum esse comperit. Die 18 Augusti 1668 S. Cong. Concilii respondit: *Applicandum esse Sacrificium pro anima testatoris.*

Iamvero in fundatione de qua est sermo, nulla adest praesumptio gravissima in contrarium, quae suadeat scilicet, testatorem liberam reliquisse applicationem Missae : nihil enim ad rem facit onus in ea recitandi tria Pater noster pro benefactoribus Ecclesiae Parochialis ; quia hoc minime -excludit applicationem Missae pro anima testatoris ; immo eam praesupponit, ut docent PignatelL *tom. 3 consult. 61 -num. 9 et 15,* Matheucc *offic. Eccl Cap. 10 num. 63.* Aldanus *de vai. appi. Sacrif. lib.2c.3.* Faust. *I. 2 de euchar.* -et alii. Nec magis obstat, testatorem fundatione illa consulere voluisse commoditati Parochianorum. Nam haec circumstantia non exprimitur in praedicta clausula testamentaria, ac proinde non est attendenda, cum per eam intendatur restringere voluntatem testatoris in praeiudicium ipsius. Nec si esset expressa aliquid valeret, nisi ulterius probaretur *ob solam commoditatem* Parochianorum fundationem fuisse erectam « In beneficiis, enim, ait Card. de Lugo *Disp. 21 sect. 1 num. 23 de Sac. Euch.,* vel aliis in quibus obligatur Sacerdos ad celebrandum *solum* ob commoditatem eorum qui tali hora audituri sunt Missam, facilius potest existimari quod non exigatur applicatio sacrificii, sed circa hoc relinquatur Sacerdoti libertas, ut possit cui voluerit applicare. » Et S. C. C. numquam declaravit liberam applicationem Missae ob commoditatem audientium institutae, nisi quando tales aderant circumstantiae , ut merito praesumi posset fundatorem commodum illud exclusive respexisse, ut videre est in *Collen. Applicationis Sacrif. anno 1689,* et in *Forcastinen. anno 1711* apud Benedictum XIV *Quaest, can. q. 7.* Porro cum eae circumstantiae in themate deficiant, concludendum esse videtur, Parochum teneri Missam pro fundatoris anima celebrare.

Hisce hinc inde animadversis, remissum fuit prudentiae EE. PP. enucleare

filiab.um.

An Parochus obstringendus sit ad applicandam hanc missam fundatam.

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii, re ponderata, sub die **20** Maii **1882** respondere censuit :

Affirmative: deficiente cutem alio Sacerdote, applicatio Missae fundatae transfertur ad primam diem non impeditam infra hebdomadam, facto verbo cum SSmo.

EX **QUIBUS COLLIGES**

I. Regulam esse generalem, quamplurimis confirmata S. C. C. resolutionibus, eum qui beneficium fundavit, Missaeque celebrationem iussit, voluisse quoque eamdem sibi applicari **(1).**

II. Nam ex regula *114 ff. de reg. iur. « In obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. »*

III. Huiusmodi verisimilitudinem eiusmodi esse, quae ad nihilum redigi nequeat, nisi gravissimae adfuerint praesumptiones in contrarium ; quod scilicet fundator missarum praecipiens celebrationem, liberam reliquerit applicationem.

IURISDICTIONIS PAROCHIALIS

Die 20 Maii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Cum ab immemorabili tempore paroeciae Dioecesis C. certis delimitarentur finibus, iurisdictioni parochiae s. Agathae suberant, nedum excoenobium s. Laurentii et suburbium s. Iuliani cum domibus respectivis inibi existentibus et dictum suburbium efformantibus, sed et latissimus ager conterminus. Attamen anno **1788** imperiali decreto actum fuit, ut quaedam ex paroeciis supprimerentur, et penitus evanescerent, quibusdam autem novi fines circumscriberentur.

(1) Regula haec firmatur per quaestiones relatas Vol. III. pag. 525 et Vol. V. pag. 577.

Ex quo factum est ut nonnullae domus, excoenobium s. Laurentii et suburbium s. Iuliani constituentes, quae-antea ad s. Agathae parochiam pertinebant, s. Augustini parochiae adsignatae sint, quin tamen mentio ulla facta fuerit de latissimo agro, qui prope reperiebatur.

Res pacifice processerunt usque ad annum 1879; hoc-vero vertente tempore , in hoc latissimo agro erectum fuit aedificium pro Monialibus quae ad sublevandas hominum miserias charitati Dei se se devoverunt; hinc statim quaestio exorta fuit utrum illud aedificium ad iurisdictionem parochi s. Augustini, vel ad illam parochi s. Agathae pertineret. Ordinarius, cui res delata fuit, prius alteri Sacerdoti commisit exercitiums iurisdictionis parochialis super illo beneficio, dum lis penderet; deinde, rituali expleto processu, definivit: iurisdictionem supra controversam domum pertinere ad Parochum s. Augustini. A qua sententia utili tempore appellatum fuit ad S. O. Congregationem.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI S. AUGUSTINI. Suam demonstratione!» aggrediens orator, illud initio affirmavit quod, civitas, oppidum, vicus data cuiusque proportione, non modo semper aedificiis constant, sed etiam *territorio* semper adiecto. Amplior porro vel angustior adiectis erit, iuxta regionis ordinem et qualitatem, sed cum districtus dicitur, dicitur adiectum territorium, teste *Gregor. X in cap. ubi periculum 3 de elect. in 6° Card.* De Luca *in disc. 21 de benef. num. 11:* Cuiac. *tom. 7 edit. Prati col. 1689: Card.* Mantica *de coniect. lib. 7 tit. 2 num. 35 seq.*

Praeter iuris significationem, obvia ex facto accedit interpretatio. Ecclesiae enim illius Provinciae saepe multum distant a domibus, eisdem Ecclesiis addictis. Inter domos ipsas eiusdem Paroeciae saepe longum interiicitur spatium. Quum tamen dictum decretum veluti unum corpus easdem habeat domos, ideo comprehendere videtur aedificia, terri-

toriumque interpositum. Neque illud praetereundum ait quod ex Tridentina Synodo *cap.* 13 *sess.* 25 *de Ref.* populus in certas propriasque paroecias distinctus esse debeat, unde fit ut si quando incerti fines et loci vacui sint, propriae paroeciae qualitas et natura admitti nequeant *Ferraris voc. Parochus num. 12.* Neque alia esse potuit tum Praesidis provinciae, tum Episcopi intentio, quum animum applicuerunt, collatis consiliis, ad definiendam certam paroeciarum circumscriptionem.

At si agros posthabuissent, nihil aliud quam infinita litium germina ac rerum confusionem comparassent, potius quam certam ac promissam totius territorii definitionem. Nam quisque parochus in domibus tantum certam possessionem invenisset, maxima vero territorii pars, agris constans, nullius paroeciae fuisset, ita ut ubicumque nova domunculá consurgeret, quaestio de finibus conflagraret. Hisce accedit consuetudo longaeva aliarum Dioecesium: nam in istis, posita cuiusque vici vel oppidi iurisdictione, haec non modo oppidi seu vici domos, sed territorium etiam complectitur. Atque idipsum per saeculum hactenus usuvenisse affirmavit in paroeciis s. Agathae et s. Augustini, quia duplo, post decretum, habitationes auctae sunt, et nihilominus quisque parochus in agris, qui ad suum territorium pertinent, absque aliorum contradictione ubi aedificia accesserunt, sacramenta ministravit.

Deinde de saeculari consuetudine disserit, qua nihil gravius et evidentius in hisce controversiis requiri potest. Quippe ex ichonographo typo patet quod, post antiquas domus s. Augustini paroeciae adscriptas, plura deinceps aedificia procul ab iis extructa sunt, usque ad medium ferme agrum, de quo disputatur, atque in iis iurisdictionem semper exercuit atque exercet parochus[1] s. Augustini. Duo igitur ex saeculari agnitione evinci affirmavit: primo iurisdictionem ex decreto non in domibus tantum contineri, sed territorium adnexum habere: secundo s. Augustini paroeciae territorium pertinere in qm controversa domus fuit aedificata.

Neque luculentissimam territorii figuram praetereundum ait et naturales illius fines. Quippe universa huius ampli quadrilateris agri species huiusmodi est: ex tribus lateribus tota planities partim muro cingitur, partim eodem muro ac torrente qui illi circumfluit, et clausa haec latera illa sunt quae s. Agatae paroeciam attingunt. Unum latus patet, atque hoc aliunde aditum non habet, quam a paroecia s. Augustini. Murus igitur non unum ab altero dominium distinguit, sed territorium s. Iuliani a ditione Sanctagatensi. Rursus quaerit : cur tota haec agri planities ex tribus lateribus quae alienos vicos et paroecias respiciunt , undique clausa aditum non habet , atque uno tantum latere libere patet, ex parte scilicet paroeciae s. Augustini? Ut haec iurisdictio in toto illo spatio defenderetur , aliena prohiberetur.

Haec omnia dioecesana auctoritate confirmata tradit, quae etsi reliqua testimonia deficerent ceteris omnibus praevalere deberet; *Rota decis. 69 coram Ratto n.* Nec *16.* Nec secus de Curia censendum ait quae iudicium tulit, teste *Rota decis. 368 coram Crispo n. 16.*

Ex mente igitur ac litera decreti, ex dioeceseos et loci usu, ex necessitate et regionis facie, ex Episcopi et Curiae testimonio, cuique vico in paroeciam erecto territorium adhaeret, et ager de quo disputatur continetur in vico s. Iuliani, sive in Paroecia s. Augustini.

Idem autem defensor ut occurreret adversarii difficultatibus ait: Suburbium s. Iuliani annexum fuisse Paroeciae s. Augustini, minime ex. dismembratione Paroeciae s. Agatae, sed ex suppressione multarum paroeciarum, et ex nova earumdem circumscriptione. Et ideo nulla nova paroecia erecta est; sed ex veteribus sex per suppressionem interierunt: *unio* igitur facta fuit non dismembratio. Qua de re ex nova hac circumscriptione Paroecia s. Agatae aliaeque omnes lucrum acceperunt, nihil aliunde amittendo. Ast subiungit s. Agatae parochus, ait defensor, ad suam paraeciam pertinuisse, exacto saeculo, domos ac territorium de quo disputatur: domos amisisse, anno 1788; de agris nihil exprès-

sum fuisse; ideoque locum neutrum efformare dicendi sunt. Cui obiectioni sic respondit : quod ad possessionem attinet , novae circumscriptionis decretum omnibus pariter paroeciis- nihil aliud quam domos adscripsit ; omnia suppressit, ac possessiones omnes obliteravit, novo rerum ordine constituto. Ambo igitur parochi in pari conditione versantur, quia utrique nominatim domus tantum adscriptae sunt.

Quoad vero parochi conclusionem de agris qui locum efforment neutrum, id in primis censeri non posse ait, quia disponentes anno 1788, omnia definire voluerunt neque illud fìngi potest quod *maiorem suburbiorum partem,* quae agris constat indefinitam reliquerint. Si autem hodie ecclesiastica auctoritas dubium solvere deberet, quaenam haec esset? profecto» episcopalis, quia *Episcopi* est paroecias erigere atque dividere *S. C. Trident, cap. 13 sess. 24 de Ref.* Ferraris *voc. Parochus art. 2 num. 10.* Haec autem definitio iam per sententiam accessit, ac paroeciae s. Augustini agros adscripsit. Neque appellatio ab huiusmodi iudicio posset admitti quia, posita *neutri* territorii qualitate, atque Episcopi iure, nihil Sanctagatensis parochus ex iudicio amisit, ac nihil proprium vindicare potest.

Adde quod solus Episcopus ex tralatitia iurisprudentia parochus est in iis regionibus, in quibus certi fines paroeciis constituti non sunt, ac per idoneos sacerdotes animarum curam gerit: *Annot. ad Buratt. decis. 402 n. 6,* Deluca. *de Regular, disc.* 1 §. *3 num.* 43, *ac disc. 12 n. IO.* In casu igitur Episcopus per Archipresbyterum s. Augustini?, curam exerceret, nec aliis fas esset alienam iurisdictionem invadere.

DEFENSIO PAROCHI S. AGATAE. Huius orator contendit, Imperatoren! pecreto suo nequivisse subtrahere a iurisdictione parochi s. Agathae, nec excoenobium s. Laurentii, nec suburbium s. Iuliani, nec latissimum conterminum agrum. Ista omnia certum est pertinuisse a remotissimis temporibus ad iurisdictionem parochiae s. Agathae.

Cum autem in huiusmodi agro nuper aedificium erectum;

fuerit, iu quo moniales degunt, hinc sponte veluti sua fluit iurisdictionem super illud aedificium ad parochum s. Agathae competere. Neque obiicere iuvat per decretum imperiale, iurisdictionem parochialem super latissimum agrum translatam fuisse in Parochum s. Augustini; quoniam id legitime fieri nequivit. Nam Imperator nonnisi dismembrationem Ecclesiae s. Agatae peregit; ast Ecclesiarum dismembratio solius ecclesiasticae auctoritatis est.

Etsi autem Praeses provinciae id perfecerit, consentiente Episcopo, tamen , deficiente Apostolico beneplacito, frustra actum est; guia dismembratio paroeciarum, comparatur alienationi rerum ecclesiasticarum; et quia Episcopus nequit lubitu suo id peragere, sed tantum in casibus a iure expressis; Pignatelli *tom. 4 cons. 23 n. 6* Bouix *tract, de Paroch. p. 2 cap. 4 prop. 1. - ibi - Aliunde certum est, et Doctoribus unanimiter receptum principium, licitum non esse Episcopis parochias dividere, aut dismembrare, nisi in casibus a iure permissis,* quos in themate haud verificatos fuisse notavit. Intercessisse in themate Apostolicum beneplacitum adhuc e vincendum manet.

Praeterea orationem prosequutus defensor contendit, Imperatorem decreto suo, etsi potuerit, noluisse tamen subtrahere a iurisdictione parochiali s. Agathae latissimum conterminum agrum. Statuit enim, tum quoad Ecclesias, in paroecias constitutas, tum quoad districtus qui ad unamquamque paroeciam in futurum pertinere deberent, adiunctam distributionem fuisse sequendam. Atqui huiusmodi adiuncta distributio non aliud designat, uti districtus cuilibet ecclesiae uniendos, nisi domus, numeris distinctas, vicos, plateas, et cursus, quin mentionem ullam fecerit, de latissimo finitimo agro; hinc sponte veluti sua fluere concludit, Imperatorem •decreto suo noluisse subtrahere a iurisdictione paroeciae s. Agathae latissimum controversum agrum.

Quamobrem neque *in facto,* neque *in iure* consistit id quod protulit adversa sententia; quod nempe, si paroeciae s. Augustini adnexum fuit suburbium s. Iuliani, contermi-

num territorium adnexum intelligi debeat. Difficultas haec non consistit *in facto,* quia decreto Imperiali non aliud avulsum, et dismembratum fuisse dicit ah iurisdictione paroeciali s. Agathae, nisi domus numeratas, vicos, plateas, et cursus constituentes excaenobium s. Laurentii, et suburbium s. Iuliani, quod certis, ac definitis finibus circumscriptum exhibent veteres tabulae censuariae,anno 1757 confectae, quin mentio aliqua facta fuerit de latissimo agro finitimo. Quapropter in themate ad rem facit forense adagium « *quod voluit expressit, quod noluit non expressit.* »

Non consistit autem *in iure,* prosequitur Orator, quia dismembratio territorii paroeciarum, seu circumscriptio finium parochialium sunt res *odiosissimae,* hinc non *large,* sed *stricte* interpretatio est facienda, iuxta celeberrimam illam regulam - *odia restringi, et favores convenit ampliare* - et iuxta apertissimum textum *Extravag. de conces. praebend. cap. 22.*

Tandem praedictam interpretationem ad absurda perducere contendit. Incertos enim atque indefinitos redderet fines paroeciarum , qui ex mente ss. Canonum et S. Concilii Tridentini nonnisi certi ac definiti esse debent, *ne lites et confusiones iurisdictionum oriantur,* ut ait Maschat *lib.* 3 *tit.* 29 *n. 2.* Hinc legitime statuta semel iurisdictio, nonnisi expresse ac legitime auferri potest.

Huc re perducta, causam pro parocho s. Agathae oratami esse dicit; quandoquidem ex hactenus expositis evidentissimum esse putat, Imperatorem decreto suo noluisse latissimum agrum subtrahere a iurisdictione parochiali s. Agathae. Verumtamen etsi tantisper fingeretur praefatum aedificium situm esse in confinio tum parochiae s. Agathae, tum s. Augustini, nihilominus adversarii causam haud proficere subsumit, siquidem porta principalis, et aditus magis frequentatus in territorio est paroeciae s. Agathae, uti ipsius controversae domus moderator, et ipsae moniales fatentur; hinc iuxta clarissimis iuris regulas ei iurisdictionem parochialem competere arguit. Ita Rice, in sua *Praxi forensi*

resolut. 510. Pignatelli *consult, can. tom. 8 cons. 5,* Barbosa *de officio , et potest, parodi, p. 2 allegat. 23 n. 71.* R,eifFenstuel *addit, de Parodi, n. 20,* Giraldi *in additionibus Inst. canon. Maschat.* S. Cong. EE. et RR. *die 6 Maii 1870 in Veliterna Associationis, et Emolumentorum.*

Quod si admitteretur parumper, vi citati decreti 1788, latissimum agrum parochiae s. Augustini annexum fuisse; tamen controversa domus foret ab illa paroecia dismembranda, quia multum distat ab Ecclesia s. Augustini, et grave sentiunt incommodum qui paroeciam illam adire coguntur; Fagnan. *cap. ad audientiam n. 14.* Hisce expositis concludendum inclamat, praefatum monialium aedificium iurisdictioni subiici parochiae s. Agathae, ideoque sententiam curiae Ecclesiasticae omnino esse infirmandam.

Hisce expositis EE. PP. indicio propositum fuit definiendum sequens

EÍ 56 b j «2 289

AM sententia Curiae Ecclesiasticae C. sit confirman da, vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio sub die 20 Maii 1882, re discussa, censuit respondendum:

Sententiam esse confirmandam.

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Validitatem et iustitiam unionis paroeciarum pendere ex rationibus ipsam unionem suadentibus atque ex auctoritate Superioris eamdem decernentis.

II. Qua de re prudenti arbitrio Episcoporum, utplurimum remittendum esse videtur unionis negotium, cuius iustitia ox singulorum casuum adiunctis pensitanda est.

.11!.. Ex Tridentino *Sess. 7 cap. 6 de Ref.* competere

Episcopis, etiam tamquam Apostolicae Sedis legatis, uniones paroeciarum peragere in casibus a iure concessis.

IV. In themate paroeciarum uniones ab auctoritate civili factas fuisse, de consensu tamen Episcopi- et ideo de earumdem validitate ambigi nequit.

V. Pariter haud ambigendum esse videri, utramque auctoritatem non posthabuisse agros aut territorium domibus annexum, cum certes paroeciarum limites définirent, nisi dici velit aperire voluisse litium et iurgiorum fomitem inier parochos.

CANONICI MAGISTRALIS

Die 17 Iunii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus P. vacato canonicatu Magistrali suae Cathedralis, concursum indixit, praescribens novo canonico, ut praeter onera communia ceteris canonicis, gratis in Seminario traderet lectiones quoad materiam et horam , quas Ordinarius ipse constitueret, iuxta Cathedralis statuta et consuetudinem.

Stata die habito experimento, Sacerdos Carral praelationem meruit; qui ad tramitem iuris in canonicatus possessionem immissus, per 4 annos nedum sacram Theologiam Seminarii alumnis tradidit, verum etiam historiam ecclesiasticam in diebus, quibus schola *s. Theologiae* vacabat per tres annos illos docuit, quin aliud emolumentum perceperit quam quotidianas chori distributiones. Verum facti poenitens, die 15 Iulii 1881 ab Episcopo aliquod emolumentum pro huiusmodi munere petiit, asserens se in vim statutorum Ecclesiae P. obligatione *gratis* docendi non teneri.

Hisce precibus Episcopus respondit, quod in posterum dispensantur Canonicus magistralis ab onere docendi *gratis*

îiistoriam ecclesiasticam, et aliquid ei rependeretur **pro** T}us annis, quibus docuit, etsi iuxta Statuta, censeri poss illum ad id quoque teneri. Nihil autem esse eidem Canónico rependendum pro institutionibus theologicis tradendis; neque eumdem esse suhlevandum ab onere isto, quod subiit statim ac de praebenda magistrali provisus fuit ait Episcopus. Responsum Antistitis haud arridens magistrali Canonico ad S. C. C. recursum habuit.

Disceptatio Synoptiea

DEFENSIO CANONICI MAGISTRALIS. Canonicus magistralis contendit se nullo modo teneri ad *gratis* docendum in Seminario; idque duplici argumento tum a statutis Ecclesiae, tum a consuetudine deducto, evincere studuit. Quoad statuta ait: ad praefìniendas Canonici magistralis obligationes, literae statutorum inhaerendum ita esse, ut nonnisi onera -quae in his expressa reperiuntur, eidem tribui debeant. Iam vero articulus 22 statutorum, qui agit de hoc munere, ne verbum quidem facit de onere *gratis* docendi; ideo sponte -sua sequitur quod orator nullimode obstringatur docere gratis in Seminario.

Neque dicas quod si haec obligatio ex statutis non arguitur, nihilominus ex uteris edictalibus concursus, cui orator se subiecit, dubio procul appareat. Hanc siquidem offensionem ipse penitus refellere confidit, animadvertendo : quod edictum Episcopi, Statutis haud conforme, invocari nequit ceu regula iuris. Etsi autem adverbium *gratis* reperiatur in Edicto Episcopi, nullam exerit vim, quia relatum non fuit in Statutis : nam ius contra ius non datur. Hinc mirum non •est, subdit orator, quod S. C. pluries declaraverit praebendis iam erectis nova onera auctoritate Ordinarii imponi non posse, ceu refert Fagnanus in *Cap. Significatum de Praeb, num. 3 et seq.*

Quin regerere valeret in casu onus gratis docendi per literas edictales ab Episcopo, Canonico magistrali imposi—

tum si non ex litera, saltem ex. statutorum spiritu deduci posse. Scitum enim in iure est, Statutum ita interpretari debere, ut minus quam fieri possit laedat ius commune; Surd. *decis. 36 num. 18 cum seq., et decis. 49 num. 8, et decis. 56 num. 4.* Imo ut animadvertit Barbosa semper interpretari debet secundum ius commune, quod statuit, ut beneficia sine diminutione conferantur *Cap. Si quis praebendas I. in fine, quaest. 3;* Fagnanus *lib. 2 decret. Cap. Non esset n. 47 et 49.*

kge vero nedum ex statutis, verum etiam ex consuetudine mirum in modum suum ius, sustineri propugnavit orator. Sane ipse ait: decessor meus qui per vigintiduos annos cathedram habuit, iugem obtinuit retributionem. Porro consuetudinem esse optimam legum interpretem, amico foedere omnia iura clamant *I. Si de interpretatione ff. de legibus Cap. Cum dilectis;* eamque semper servandam esse, ubi viget, nemo est qui dubitet. Consuetudinem particularis alicuius Ecclesiae, praesertim si uti in casu, iuri communi conformis inveniatur, omnino servari debere docet Scarfantonius in *addit. 37 num. 25; Rota coram Seraph, decis. 1025, coram Lancetta,* in *Frisigen. Decanatus 29 Februarii 1712.*

Neque regeras in Statutis satis provisum esse oratori distributionibus quae ipsi conceduntur pro tempore quo docet in Seminario. Orator siquidem respondit, talem provisionem tolerari non posse, tum quia patulis Concil. Tridentini dispositionibus refragetur, tum quia oratorem in peiori conditione, quam ceteros Canonicos constituit.

Perperam vero obiici videtur iuramentum a Canonico magistali de statutis Ecclesiae Cathedralis servandis praestitum, quia iusiurandum de re iniusta non tenet. In themate vero agi de re iniusta nullo pacto dubitari potest, quandoquidem orator ad rem ait: « Et hinc iniustitia au-
« getur, quia onus, quod Auctoritate apostolica carebat,
< imponebatur. Quo conscripto in edicto convocationis et ah
« illustri Episcopo et Capitulo approbato super onus quoti-

» die docendi gratis, homini prudenti dubitare non licebat » hoc fieri contra ius, seu inconsulto Pontifice. Cognita au- » tem re a magistrali Canonico contra hanc obligationem » clamat, neque ad eam ob iusiurandum teneri putat. » Idque optimo sane iure asseri posse videtur, cum notum in iure sit, quod iuramentum vinculum iniquitatis esse non debet; Fagnanus *in cap. Sicut de prob. n. 19.* Si itaque ex hactenus disputatis dubitari nequit, Canonicum magistratui adstringi non posse onere sacram Theologiam gratis docendi, si pariter indubium esse videtur distributiones quotidianas, pro' tempore quo docet percipere iure non posse, ex eo quod favore praesentium a ss. Canonibus constitutae fuerunt: concludi posse videtur, loco distributionum quotidianarum mercedem, de communi Episcopi et oratoris consensu constituendam, pro labore tam impenso quam deinceps impendendo ipsi rependendam esse. Distributiones vero in antecessum contra Conc. Tridentini sanctiones perceptas restituendas esse, ut inter Canonicos qui in choro praesentes fuerunt, distribuantur.

DEFENSIO EPISCOPI. EX altera vero parte Episcopus evincere sategit, Canonicum magistralem teneri ad s. Theologiam in Seminario gratis docendum; idque ex eo deduci asserit, quod huiusmodi onus Canonicatui ita impositum fuit, ut proprie constituat officium Canonici magistralis. Nam iuxta Statuta hoc docendi onus canonicatui annexum est, eiusque officii partem constituit.

Posito autem quod munus docendi in Seminario Canonico magistrali impositum, praebendae adhaereat, et veluti partem officii constituat, prono veluti alveo fluit Canonicatum magistralem naturam et indolem praebendae sive Theologalis sive Poenitentiariae induere. Quemadmodum igitur Canonici theologus, et poenitentiarius pro satisfactione muneris, propriae praebendae inhaerentis, praeter distributiones quotidianas *eoe sess. 22 cap. 3.* Conc. Tridentini, nullum aliud emolumentum percipere valent, uti declaravit S. C. C. in *Anagnina 23 Iulii 1674;* ita pariter Canonicus magis-

tralis, eo tempore quo sacram Theologiam in Seminario tradit, nihil aliud quam quotidianas distributiones praetendere posse videtur.

Neque ex eo quod statuta, ceu in **uteris** edictalibus legitur, expresse non praescribant, ut Canonicus magistralis gratis doceat, orator arguere posse videtur pro sacrae Theologiae lectione mercedem sibi attribuendam esse, vulgatae iuris regulae innixus *odia- restrìngi, favores convenit ampliari:* nam a silentio Statutorum consequentia contraria facilius descenderet. Et re quidem vera in articulo 22 Statutorum agitur de exemptionibus et praerogativis, quibus Praebendati *de officio* frui debent pro novo onere docendi, ut laevius fìat implementum oneris eiusdem. Quum vero de retributione omnino silentium servetur, ergo a praerogativis excluditur, et nullomodo inter easdem recenseri nequit. Nam si mens erat ut retributio dictis canonicis concederetur, prae aliis praerogativis notanda fuisset utpote, quae aliis maiora afferret praebendatis commoda. Ex silentio ergo colligenda videtur mens huic retributioni adversa.

Verumtamen, subdit Episcopus, necesse haud est ad adminicula et ad coniecturas confugere ut ostendatur silentium Statutorum nihil oratori proficere. Quandoquidem nedum ipse Episcopus, sed etiam omnes qui partem habuerunt in confectione Statutorum, semper pro certo habuerunt Canonicum magistralem, vi novae impositionis, teneri ad gratuitum oneris docendi implementum.

Quin aliquid relevet aliud ab oratore obiectum, quod scilicet oratoris antecessor per spatium 22 annorum emolumentum receperit, pro onere ipsi imposito docendi theologiam dogmaticam in Seminario. Exploratum siquidem in facto est, quod eo tempore, quo ille sacram theologiam seminarii Alumnos docuit, hoc onus Praebendae magistrali impositum, ceu in praesentiarum contingit, haud erat.

Verumtamen nedum ex statutis, quibus Ecclesia Cathedralis P. regitur, sed etiam in vim Literarum edictalium concursus, orator *gratuito* docere tenetur, ex eo quod hanc

obligationem libere suscepit, eamque per integrum quatuor annorum spatium, nihil contra obmussitando, adimplevit. Re sane vera neminem ab,illius obligationis satisfactione sese eximere valere, cui sponte ac libere se subiecit, res in propatulo est.

Inutiliter tandem huiusmodi literas edictales, sub pretextu quod a iure communi hac super re difformes sint, in praesentiarum orator infirmare conatur, cum ex superius citatis, usque ad evidentiae fastigium probatum fuisse videatur, praedictas literas sacrorum Canonum censurae atque praxi quammaxime conformes esse: S. C C . quae in *Anagnina Theologalis diei 23 Iulii 1674* tradidit; Canonicos de officio pro adimplemento munerum suis praebendis inhaerentium nullum stipendium particulare, praeter quotidianas distributiones, sibi vindicare posse. Res cum ita se habeant, quisque ingenio suo facile percipit, Canonicum magistralem ad tramites tum Statutorum Ecclesiae P. tum Literarum edictalium, solis distributionibus quotidianis, canonicis quoque fictione iuris in choro praesentibus assignari consuetis, contentum esse debere, pro eo quod sacram Theologiam in seminario alumnis tradit. Qua de re Episcopus concludit, oratoris preces tam pro emolumento in substitutionem distributionum quotidianarum impetrando datas, quam pro distributionibus perceptis inter canonicos dividendis, qui choro revera interfuerunt, ab ipso iudicii limine reiiciendas esse.

Hisce aliisque praenotatis, dirimenda proposita fuere sequentia

I. *An Canonicus magistralis pro munere, quod in seminario exercet, ius habeat percipiendi emolumentum, ve potius distributiones quotidianas tantum lucrari debeat* ***in*** *casu.*

Et quatenus affirmative ad **1.** partem negative ad 2.

IL *An et quomodo providendum sit pro distributionibus, praeterito tempore perceptis, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die **17** Iunii **1882,** censuit respondere:

Ad I *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II *Provisum in praecedenti.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Inspecto iure communi, ius condendi statuta, respicientia statum Ecclesiae, divinum cultum, ordinationem chori, et servitium Cathedralis pertinere ad Episcopum et Capitulum; *Rota p. 4 t. 1 decis. 494 n. 6 recent.*

IL Qua de re statuta, veluti privata lex, religiose servanda sunt per quoscumque de gremio Capituli existentes, quia ad rectum conferunt Capituli regimen.

III. Quum in themate Canonicus magistralis per Cathedralis statuta teneatur s. docere Theologiam in Seminario, hinc onus huiusmodi veluti Praebendae adhaerens, partem officii eiusdem praebendae constituit; et praebendato, dum s. docet Theologiam, debentur tantum quotidianae distributiones, ceu debentur Poenitentiario et Theologo, proprio munere fu ngen t ib us.

S YR ACUS ANA SEU CATANEN.
MATRIMONII

Die 15 Iulii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Anno **1867** nuptiae initae fuerunt Messanae inter Iosephum Ducem, et Vincentiam filiam Baroni* D. coram Rectore oeconomo D. Ioanne Filocamo de

specialis mandato Archiepiscopi Messanen, expresse delegati ah Archiepiscopo Syracusarum, nec non ab Archiepiocopo Panormi, adstantibus Parocho Chirico, Ioanne Marcello Pettini, Ioanne La Farina, aliisque testibus.Celebratis nuptiis illico Dux, absque muliere, Parisiosabiit patrem invisurus, qui eum expectabat. Rediens autem vir rei uxoriae operam dedisse videtur, siquidem proles adnata fuit.

Tractu sed vero temporis orta inter coniuges acri discordia, anno 1878 coniux personalem separationem, dotis administrationem, et filiarum curam a laico Tribunali expetivit, atque obtinuit. Vir autem anno 1881 die vero 8 Augusti ecclesiasticum iudicem Syracusanum, scilicet Rmum Archiepiscopum, oblato libello, adivit expostulans, ut matrimonii nullitatem declararet ex defectu iurisdictionis in parocho, qui matrimonio adstitit, reservato sibi altero capite nullitatis ex defectu consensus. Huiusmodi causam communem mulier sibi facere curavit; eademque rogante muliere, avocata fuit causa per S. Pontificis rescriptum ad S. Congregationem Concilii.

BltscegítíatU» $yisog»tie&

DEFENSIO MULIERIS. Baronissae defensor, ex capite in libello citationis allegato, matrimonii nullitatem propugnavit; ac primo agens de domicilio praemisit, ex censura Concilii Tridentini *Sess. 24 Cap. 1 de Reform,* nullum esse matrimonium, quod coram contrahentium parocho initum non fuerit. Hoc posito ait, matrimonium in themate nullum esse, utpote celebratum coram Parocho Messanensi, qui nec Ducis, nec Baronissae proprius Parochus erat, siquidem ambo, tempore nuptiarum, Catanae fixos habebant lares. Sane quod uxor a pueritia Catanae domicilium iugiter habuerit, in primis patere edicit a iurata ipsius mulieris declaratione. Ipsa enim retulit: sese cum propria familia, derelinquendo Syracusam, proprium domicilium constituisse Catanae ab anno 1861; anno vero 1867 sese Messanam contulisse ubi post «ex aut septem dies ab adventu matrimonium cum Duce initum Art.

Hanc autem perspicuam et formalem declarationem totam vim suam exerere debere contendit. I° quia ab-honesta, et religiosa femina emissa fuit; 2° quia iurisiurandi sacramento illam munivit; 3° quia innumeri fere testes unanimi choro id confirmant.

Subdit inde quod a testibus mira concordia relata omnem de Baronissae absoluto Catanae domicilio dubietatem adimunt, et firmantur etiam ab iis, quae ipsaemet Catanae Ecclesiasticae auctoritates declarant propriis attestationibus tempore insuspecto, idest ante nuptias editis. Post haec concludit neminem cordatum hominem vel minimum ambigere posse, tempore matrimonii, Baronissam Catanae domicilium habuisse.

Quod autem dux quoque deseruerit nativum domicilium, illudque Catanae constituerit, et tempore nuptiarum ibi habuerit, illud pariter indubium esse contendit ex iurata ipsius-Ducis declaratione, atque unisonis proborum hominum depositionibus vallata.

Monuit insuper defensor, Syracusanum vinculi defensorem operam dedisse, ut a sponsis quasi domicilium Messanae acquisitum ostenderet, et ideo si non in vim delegationis, saltem *iure proprio* Parochum valide consensum recepisse concluderet; quamobrem testes adduxit, ut illud quasi domicilium probaret. Sed hic quoque eius conatus in auras abivisse edicit,, siquidem ex hoc testium examine, Messanae confecto, Catanae sponsorum domicilium firmari substinuit. Praeterea contra praefatum vinculi defensorem iudicium et adiuncta proferri dicit a tabellione, apud quem nuptiales tabulae biduo ante matrimonium exaratae sunt.

Huc re perventa animadvertit Orator, quod Syracusanus; vinculi .defensor hisce de causis ad incitas redactus, omnes vires in eo intendit, ut probare posset, Ducem Catanae quasi, domicilium, Panormi vero praecipuum ac reale retinuisse, et hunc ad finem probationes a Curia Panormitana collectas-fuisse. Frustra sed vero, siquidem ex collectis ab eo probationibus apparet, Ducem anno 1867, relicto Panormo, stabi-

lem Catanae sedem transtulisse, animo Panormnm amplius-non redeundi.

Ipse Dux conditioni nuptiis adiectae stetisse monet in nuptialibus tabulis biduo ante ritum adstipulatis, ubi se profitetur, domicilium habere Catanae. Idipsum confirmant, prosequitur Orator, tum bonorum administratio a Duce Catanae, patre mandante, gesta, tum donatio ope instrumenti *6 Iulii 1876* apud acta *De Marco,* ei ab avia collata, quae Ducem aviae animum, posita Catanae sede, explevisse luculenter evincit. Dein ad probationis fastigium accedit depositio Teatinorum Praepositi; qui ait ducem impendisse libellas 60,000 in restauranda domo apud Catanam et libellas 30,000 in reficiendo Palatio principis Patris, Catanae extructo. Ex quibus ingentibus sumptibus ad aedes tam in urbe, quam in villa apparandas non precario et interdum, sed stabiliter habitandi animum deprehendi proclamavit.

Quid plura? Haec omnia tanta veritate fulgere inclamavit, ut his nedum civiles, sed et Ecclesiastici officiales, acta publica et documenta pleraque, ab ipso Syracusano vinculi defensore producta, fidem concorditer addant de Panormitani domicilii desertione, et Catanensis electione. Id solemniter testantur Syndicus Panormi et Catanae, et Archivarius Curiae catanensis. Cum itaque ex huc usque expositis luce meridiana clarius appareat Iosephum Ducem et Vincentiam, relictis nativis domiciliis, Catanae fixos habuisse lares, sponte veluti sua fluere concludit, Messanae parochum, coram quo matrimonium in themate initum fuit, proprium contrahentium parochum haud fuisse, ideoque ex censura s. Concilii Tridentini *Sess. 24 Cap. 1 de Re for mat. matrim,* praedictum matrimonium irritum, cassum, ac nullum existere.

Nec delegationes Archiepiscoporum tum Syracusarum, tum Panormi aliquid roboris, atque efficaciae huiusmodi nullitati matrimonii suppeditare posse subsumit. Cum enim probatum fuerit, praetensus coniuges Catanae domicilium statuisse, et tempore nuptiarum ibi habuisse, prono alveo consequi, eas tota mole sua in praeceps ruere, quin aliquo

modo praefatam matrimonii nullitatem fulciri, ac substen-"tare valeant. Ordinarii enim Catanensis delegationem in thémate necessariam fuisse monet, ut praedicti matrimonii validitas in vado poneretur.

Syracusanum vero vinculi defensorem stulto consumptum fuisse labore contendit, tum cum probare pro viribus adlaboravit, Ducem originario suo domicilio Panormitano haud valedixisse. Quandoquidem aut ipse loqui intelligit de originario habitationis domicilio, et certi facti esse edicit,, omissis publicis documentis suprarelatis, tum testes ab eo ad rem accitos atque examini subiectos, tum ceteros testes in summario descriptos contrarium retulisse, ceu superius notatum fuisse monet, aut loqui intelligit de originis tantum -domicilio et tunc licet huic haud valedixisset, certum tamen esse subdit illud numquam amitti, sed una cum ipso habitationis domicilio retineri, verumtamen matrimonium coram Parocho originis initum haud posse consistere explorati iuris esse. Ita Reiffenstuel *ius Canon, univer. lib. IV Decret. Ut. 3 §. 2 de clandestin, despons. n. 58 et 59.*

Neque hic subsumi posse putat non de domicilio originis tantum intelligi , sed de domicilio originis, et habitationis, quia quando Dux ab Archiepiscopo Panormitano delegationem expostulavit, ut Messanae nuptias celebrare valeret, tacite declaravit ipsum Panormi etiam habitationis domicilium habere. Praeter enim quam quod huiusmodi simplex, et tacita declaratio contra factum ab altera iurata, et solemni declaratione destruitur, quae ab ipso Duce iudicialiter emissa fuit, illud maximopere animadvertendum esse instat, huiusmodi confessionem emissam fuisse a Duce in errorem prolapso, qui praedictae delegationis petitionem etiam ab Ordinario domicilii tantum originis necessariam esse putavit. Porro quanti confessio haec sit facienda tradit Angel. *de confess. lib. 2 quaest. 14 n. 24* et saepissime docuit Rota *coram Durano Decis. 314 n. 11, coram Celso Decis. 273 num. 1, coram Emerix, Decis. 1347 n. IO.* Idque eo vel magis in themate admittendum esse tenuit, quia

non agitur de expressa, ac deliberata declaratione Panormi domicilium retinendi, sed de pura praesumptione, quae ex Ducis instantia Panormi Ordinario porrecta deduci vellet.

Nec ei aliquid roboris adiici posse existimavit ab altera declaratione emissa ab ipso Duce, cum matrimonio civili operam dedit. Praeter enim quam quod haec emissa fuit post circiter octo menses a matrimonio celebrato, obvia est huic difficultati responsio. Etsi enim Dux facto domicilium Catanam transtulisset, nihilominus legis civilis voto nondum satisfecerat, nempe binas declarationes a vigenti Codice in artic. 16 et 17 praescriptas ad acta status civilis non detulerat.

Dux facto et animo, prosequitur Orator, Panormi domicilium deseruerat, quia ibi nihil ei, quod interesset, supererat. At cum binas declarationes ad tramites legis non edidisset, Panormi degens coram Statu Civili apparere perrexit. Ideo nil mirum esse ait, si cum de civilibus nuptiis ageretur, facultates a Panormi Municipio expetiverit; secus enim Catanensis magistratus nuptiarum ritum sub poena nullitatis explere nequivisset. Et hinc sequitur Ducem, apud acta Catanae necessario sese declarasse domicilium habere Panormi, ut nempe delegationis actui cohaereret, aliter sibi evidenter contradixisset. Qui de re pro nihilo habenda est attestatio testis illius qui asseruit Ducem Panormum remeare voluisse, id eruens tum ex cura sibi commissa ibi servandi equos et currus, et sala ri um famulis solvendi, tum ex cura conducendi quasdam aedes.

Nam quod Dux pristinum domicilium deseruerit, illud in primis urgere edicit praesumptionem, qua monemur eum, qui secundum domicilium eligit, primo valedicere, praesertim si nec bona, nec opes, nec negocia, nec aliquid, quod ei interest, ibi relinquit, fortius autem si nec domum apertam deserit, quandoquidem retentionis pristini domicilii validissimum indicium esse ait retentionem domus, ad tradita per Rotam passim, et praecise in *decis.* 244 *num.* 3 *coram Buratto* - ibi - *Domus autem est 'praecipuum signum retentionis domici!ii.*

Hac de re commentum de duobus domiciliis a Duce retentis procul esse amandandum subiungit I° quia haec domicilii duplicatio difficilis admodum est in iure, ceu fatetur iurisconsultus *Ulpianus in leg. 27 ff. ad Municip. §. Cel~ sus,* 2° quia in difficili huiusmodi hypothesi comprobare oporteret in quo de duobus istis locis domum, et familiam constituerit, ibique aequaliter morari ad tradita per Canonistas et praecipue per Reiifenstuel *ius Canon, univers, lib. 2 Decr. tit. de for. consuet.* §. *3.* Van-Bspen. *tit. 2' de Spons., et Matrim. Cap. 5 num. 8.*

Atqui Dux cum Pater eius a Panormo discessit, sibi separatam domum haud instruxit, non bona, non opes, non negocia, nihil quod eius interesset, Panormi reliquit, abivit, Catanam migravit, ibi domicilium constituit a Ianuario 1867 usque ad nuptiarum epocham, quin unquam Panormum redi verit. Perdite idcirco ex adverso contendi ait, Ducem praeter Catanae domicilium, et aliud Panormi habuisse.

Frustra autem ad domum in palatio Genuardi recurrere ait, ut ulterius commento duorum domiciliorum insistant. Siquidem domum illam, quae clausa remansit, et adhuc remanet, non ad Ducem, sed ad eius Patrem spectasse edisserit, de quo Dux ipse non indubiam fidem praebuisse subdit eloquentissimo facto subsequentis conductionis aliarum aedium. Has enim sibi ad quamlibet Panormum visendi opportunitatem comparare coactus non fuisset, si praefata domus ipsi spectasset, eamque habitandi copiam habuisset. Concipi enim nullo modo posse urget, ut qui in aliqua urbe promptam, et apertam domum habeat, aliam velit sibi comparare, ut illuc pergens in ea se recipiat.

Post haec ad alteram difficultatem ex adverso oppositam diluendam transiit Orator, contendens, Syracusanum vinculi defensorem inutiliter adstruere studuisse praetensum coniuges Messanae quasi domicilium adeptos fuisse, et ideo matrimonium Messanae celebratum coram Parocho *Filocamo,* si non virtute delegationis, saltem iure proprio valere. Praeter enim quamquod hac exceptione Panormi domicilium implicite ex-

ciudi ait, si enim Panormi domicilium habuisset, supervacaneum esse putat praefatae exceptioni incumbere; illud animadvertendum subdit Messanae quasi domicilium in auras abire I° quia ex actibus comprobatur sponsorum Messanae moram quindecim ad summum dies perdurasse : dum ad quasi domicilium constituendum habitationem in loco per maiorem anni partem requiri unanimiter Canonistae tradunt, vel saltem unius mensis spatium. 2° Quia probatum non est sponsos eo fuisse animo, ut diu Messanae degerent, quo animo substantialiter opus esse ad quasi domicilium constituendum «ertissimi iuris est. Porro de huiusmodi animo nedum nullum testem fidem facere inquit, sed imo immediatus sponsorum post nuptias, discessus, morbo publico nondum cessante, contrarium satis aperte revelare subsumit. Neque relevat, quod Pater sponsae Messanae domum conduxerat, quia hoc fecit ex eo quod in publicum diversorium, in quo ipse cum familia degebat, supervenerat Dux sponsus filiae, et ipse religionis causa noluit, ut filia degeret sub eodem tecto cum sponso.

Verum dato etiam, at nunquam concesso, quod sponsi hoc quasi domicilium Messanae acquisivissent, nullum tamen, atque irritum matrimonium in themate iugiter permanere certavit, quandoquidem sponsi non in paroecia, cui *Filocamo* parochus praeerat, sed in ambitu alterius paroeciae, in qua Parochus *Chirico* iurisdictionem exercebat, tempore matrimonii habitabant, ceu ex actis manifestum erumpit.

Nec oggerere prodesset, quod licet matrimonium coram parocho *Filocamo* celebratum fuerit, attamen alter porochus *Chirico* illi intervenerit, ideoque matrimonium tamquam coram proprio Parocho initum valeat. Ex causae enim actibus in probatis esse edisserit, parochum *Filocamo* uti proprium contrahentium parochum ab ipsis adhibitum fuisse, eorumque consensum formaliter recepisse, parochum vero *Chirico* non aliter quam spectatorem et testem nuptiis interfuisse. Quo posito cum proprii parochi praesentia sub eo

charactere requiratur, ut qua talis formaliter consensum sponsorum recipiat, et illis benedicat, sequitur alterius parochi praesentiam qui actui simpliciter et uti persona privata scilicet uti testis adstitit, nullos gignere effectus posse, ideoque matrimonium in themate, etiam ex hoc capite, nullum atque irritum declarandum esse proclamavit. Quaquaversus igitur huiusmodi matrimonium spectetur, undique eius nullitatem illucescere atque in omnium oculos insilire conclusit.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Defensor duo in capita orationem suam dispescit: quorum in primo, praemissa domicilii theoria, nedum ex testibus qui in quatuor Curiis auditi sunt, sed et ex variis factis comprobare sategit, Ducem panormitanum domicilium haud amisisse; in secundo vero quasi domicilium Messanae acquisitum fuisse demonstrare studuit.

Ad primum itaque caput descendens, in propatulo esse ostendit, quemlibet duplex habere posse domicilium ex ipsa S. O. in Causa *Romana* seu *Tudert.* diei 28 *Ianuarii 1769 § Non controvertitur* - ibi - Vulgatum est « quemlibet non » duo tantum, sed etiam plura habere posse domicilia in » dioecesis oppidis, vel civitatibus, sicque singulorum iuri- » bus et praerogativis frui. » Idem tradit Rota in *Terracinen. successionis* 23 Ianuar. 1725 § 15, coram Cilicio; et in alia *Romana* seu *Tudert. 14 Martii 1772* § *Certum,* - ibi - « Nihil repugnat quominus in diversis locis ac civi- » tatibus quis domicilium acquirat, ac eodem tempore reti- » neat. » Exploratum pariter in iure esse tradit, utrumque domicilium ad matrimonium contrahendum valere, adeo ut quis unum prae altero seligere possit; et domicilium non amittit, qui licet ad longum tempus absit, animum tamen deserendi non habet, ad tradita per Clericatum in Diseurs. 39 p. 5, n. 3 « Mutatio consilii seu accidentalis, absque animo » deserendi domum paternam, et absque voluntate perpetuo » manendi in hoc novo loco, non facit cessare iurisdictionem > parochi prioris domicilii. »

Post haec ad perpendendas testium depositiones accedit,

quas quatuor in classes dispescit, prout quatuor in Curiis, in quibus fuit processus confectus habitae sunt; ex quibus autem omnibus conclusit matrimonii vindex, minime probari Ducem panormitanam domicilium amisisse.

Quoad testes septimae manus ex parte viri, haec adnotavit : quinque ipsorum Ducis intentionem ignorant, unus dubitanter asserit videri Panormum reliquisse cum animo amplius non redeundi, ultimus omnia ignorat. Ex parte vero mulieris testes adducti in Curia Syracusana tres nil sciunt, duo potius contrarium asserunt : sextus minus congrue respondit, ultimus nimis probat cum asserat se credere etiam ante nuptiarum tempus Ducem Catanae commoratum fuisse: unde nihil probat. Neque ullum robur accedere contrariae defensioni umquam posse, ait vinculi assertor, ex novem aliis testibus a Syracusano vinculi defensore delectis et in iudicium vocatis: quandoquidem eiusdem sunt ponderis eorum testimonia ac illa superius allata. Nec minori in pretio haben videntur quindecim testium depositiones in Curia catanensi habitae eo praesertim quia non de propria scientia, sed de relatu deponunt. Et risum movere ait, tabellionis tesimonium , qui ex inductione panormitanum domicilium excludit , ex eo quod in tabulis nuptialibus Dux Catanae commorari fassus sit; et hoc comprobari argumento putat, desumpto ex voluntate Patris puellae, ipsum minime permissurum filiam nupturam Duci, nisi Catanae domicilium fixisset. Sed de hac voluntate in pactum deducta, neque vola neque vestigium reperitur.

Postea transgreditur ad testium depositiones perpendendas Curiae panormitanae, quorum septem a iudice, alii tres a patrono Ducissae excitati fuerunt ad eam, quae dicitur, contrariam probationem constituendam. Quos testes praestantiores ceteris vocat si non probitate, saltem scientia, cum sint nobiles Panormitani et amicitia et affinitate cum Duce coniuncti. Ast vero quoad eorum testimonia, sex a iudice electi explicite asserunt, nescire voluntatem Ducis domicilium originis dimittendi; unus audisse refert a Patre puellae

non nupturam filiam Duci, nisi ex conditione Catanae commorandi. Ultimus aperte testatur se suasum esse, Ducem nolle Panormum relinquere. Testium yero a Ducissa inductorum duo asserunt se nil scire : unus aperte profitetur esse immediatae suae cognitionis Ducem Catanam petiisse.

Contra hunc testem nonnulla disquirit vinculi defensor, ut evincerei manifestatam Patris Ducis, dum Parisiis moraretur, voluntatem eam non esse ut perpetuo filius Panormo valediceret. Quoad Praepositum Theatinorum ait : illum gratis asseruisse, ducem dereliquisse Panormi domicilium ex quo graves peregerit expensas ad instaurandos alibi quosdam fundos.

Plura denique disserit super testem Sacerdotem, cuius testimonium valde esse censuit; utpote qui Ducis praeceptor fuit, plurimisque in negotiis eidem operam praebuit; ita ut utrique coniugi magna in aestimatione fuerit, et ut bonus sacerdos si posset, utique medicinam, aegro Duci afferret e coeno peccatorum eumdem retrahens; quod profecto utique potuisset, si voluisset, matrimonium nullum proclamans ob defectum domicilii : ast vero veritatis amore et conscientia ductus coram iudice vera professus est. Gravitatem vero huius testimonii bene ex eo eruit defensor, quia infelix mulier omnem movit lapidem, ne in iudicium Sacerdos ille raperetur, omnibus profligatis rationibus quas in medium coram Vicario generali adduxerat.

Hac testium analysi ad finem perducta, facile conclusit matrimonii vindex ex innumeris testibus , plerosque nihil contra rem adserere, quosdam posse solummodo inservire si quaeratur utrum Dux Catanae domicilium habuerit : fere autem omnes ignorare utrum Dux Panormi domicilium retinuerit, et tandem unum vel alterum pro utraque sententia stare; ita ut hac in rerum conditione habendam esse prae oculis regulam a sacra Rota traditam *Decis. 431 p. 18 Recent, num. 6 et seqq.* ibi « propterea ubi probationes
» circa hanc habitationem hinc inde deductae ad invicem
» contrariari videntur ad veram concordiam reducun-

» tur sumendo habitationem, non uti sumebat *Labbeo* apud
» Bartolum consil. 234, qui in hac re potius sensui quam
» rationi, quam etiam refert *Mascabrun Censura Consilii 69*
» *n. 62.* sed illam intelligendo cum ratione et in sensu
> compatibilitatis plurium dómiciliorum et habitationum
» quae in diversis locis potest quis retinere per textum i *n*
» *leg. Eius §. Celsus ff. ad municipium lib. X,* utendo
» frequentius uno, quam altero. »

Hisce expositis ad refutanda motiva accessit, quae Dux habere potuit Catanae commorandi, relicto panormitano domicilio. Haec autem motiva ad duo reduxit matrimonii adsertor : primum quia Catanae bona Patris, quorum administrator renuntiatus fuerat, extabant : secundo, quia sponsae pater conditionem nuptiarum apposuerat sponsis Catanae commorandi.

Ad primum, quod attinet facile cum duplici domicilio conciliari autumavit, et hoc praeter theorias, ex ipsis quae adversarius exponit, evincere nisus est. Quandoquidem ex tribus publicis instrumentis, locationis et emptionis Catanae confectis, dicitur Dux Panormi commorans, bonorum paternorum Catanae administrator fuisse, licet ea confecta sint annis 1862 et 1865; hinc evinci posse ait: si Dux potuerit tunc temporis Panormi degens, Catanae bona patri administrare, a fortiori id poterit efficere post annum 1867 Catanae degens, quin Panormum deserere cogeretur. Conditionem vero a patre sponsis adiectam Catanae commorandi perpendens , praeter quamquod ea non fuit conditio *sine qua non,* de ea tamen nuptialibus in tabulis nulla mentio habetur : quin imo post matrimonium sponsi modo Catanae, modo Panormi commorati sunt.

Quin oggerere valeant duo specialia testimonia, quae cum officialem characterem praeseferant, concludentissima proclamantur: habetur siquidem attestatio Syndici Catanensis, qua asseritur, Ducem ibi commorari, ast vero minime ex ipsa excludi aliud domicilium Panormi : altera Syndici Panormitano quam merito reiiciendam putavit, utpote non confecta

ex anagraphicis resultantibus, sed ex duabus meris quorumdam testium assertionibus, quae nullam vim habere possunt.

Aliud grave argumentum vinculi defensor desumit ex matrimonio civili, quod post reditum a Parisiis mense Decembri 1868, coram Magistratu Oatanensi celebratum fuit, ex delegatione tamen officialis Municipii panormitani, ut videre est in. relatione Archiepiscopi syracusam ad S. C. transmissa. Ex quibus omnibus concludere datum est, adhuc anno 1868 Ducem Panormitanum domicilium non deseruisse. Quod insuper evincitur etiam ex eo quod Panormi plura Ducem haberet, quae vendi et alio ..transferri merito potuissent ex assertione testium: namque et famulos et equos et currus Panormi habebat et amico P. commisit, ut famulis salarium solveret, et ut omnia diligenter asservarentur, invigilaret. Haec non poterunt conciliari nisi cum animo Panormum redeundi.

In perdita etiam hypothesi, qua Panormitanum domicilium haud valeret, subsisteret semper matrimonii validitas, contracti coram Parocho quasi domicilii, quod sponsi et praesertim mulier Messanae contraxerant. Tralatitio quandoquidem iure docemur per notabilem anni partem in aliquo loco quempiam commorantem contrahere quasi domicilium : namque domum conduxerat sponsae pater, per tres menses, uti patet ex locatoris testimonio licet mora brevior fuerit uno mense. Animus vero sponsorum Messanae permanendi erat donec timor pestis alio grassantis cessaret, quod etiam ad annum protrahi poterat. Hac de causa quasi domicilium contrahi docent DD. et praesertim Schmalzgrueber part. 2. tit. 3. §. 149 et seq. ubi eos solummodo excludit qui recreationis vel ruris colendi gratia habitant, quia huiusmodi causa non est longioris temporis.

Quin oggeratur Benedicti XIV doctrina mensis moram requirens, ad quasi domicilium contrahendum : is loquitur de eo qui in fraudem legis hoc faciat ad evitandum proprium Parochum; et mensis quem Pontifex requirit praesumptionem constituit quoad eos, quorum animus ignoratur. Unde recte tradit Scavini lib. III, tract. XII, « mensis adii-

» citur praesumptione non ad terminum. Ideo unius men-
» sis habitatio ad quasi domicilium non est semper neces-
» saria, nec semper sufficit. » Et hodiedum post plures decisiones S. O. quas refert, in causa Matr. 20 Feb. 1723 et votum 01. Card. Tarquini ita interpretatur Benedictina Constitutio (1).

Cum igitur Messanae sponsi, ob pestis timorem manerent, coram Parocho s. Iuliani, sponsae proprio, legitime matrimonium contraxerunt. Licet enim iste Parochus matrimonium non benedixerit, cum per delegationem Archiepiscopi panormitani Parochus Filocamo interfuerit, tamen et ille quoque celebrationi interfuit, et uti testis matrimonii fidem subscripsit. Quin ullum super hoc moveatur dubium de vera nempe Parochi adsistentia, clara enim sunt verba Tridentini: *Si quis alias quam praesente Parocho matrimonium iniit,* etc. ex quibus deducitur necessariam esse praesentiam parochi physicam et moralem.

Ad quaestionem vero utrum ea sit necessaria praesentia, ut coram Parocho, uti tali, et consensus exprimatur et uti talem sponsi agnoverint, respondit vinculi Defensor tradens doctrinam Bened XIV *De Synod. Dioec. libr. 13 Cap. 23 n. 5* haustam ex *Paulo De Matr. lib. V cap. 21 et ex Schmalzgrueber De Cland. despons. §. 5 n. 234 reform.* qui referunt resolutionem S. C. ita expressam: « An sit
» matrimonium si duo contrahunt per verba de praesenti,
» proprio Parocho praesente, et aliis requisitis non omissis,
» cui contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit, sed
» dum forte convivii, vel confabulationis vel aliud tractandi
» causa adesset, audit huiusmodi contractum geri et postea
» alter contrahentium velit ab huiusmodi contractu ratione
» defectus resilire ? Sacra Congregatio respondit , posse ,
» nisi alia intervenerint, quae Parochum a contrahentibus
» adhibitum fuisse arguant. » Atqui, ait Matrimonii defensor, in themate dubium haud est et Parochum uti talem voluisse Matrimonio adsistere, et contrahentes uti talem eum

(1) Huiusmodi votum re\atum fuit Vol. XI. pag. 567.

non reiecisse: licet ille partem testis expleverit. Sive enim consideretur uti testis autorizabilis, qualis est parochus, sive uti simplex testis, istiusmodi qualitatem semper ex officio parocho inhaerere affirmavit.

Quaquaversus igitur res spectetur , aut panormitanum domicilium consideretur, aut quae in celebratione matrimonii Messanae occurrerunt, semper validitatem matrimonii defensor conclusit.

Quibus aliisque animadversis, propositum fuit dirimendum sequens

Uubiuni

An constet de nullitate matrimonii in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re die **15** Iulii **1882** discussa, censuit esse respondendum:

*Ex hactenus deductis non constare**

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Vulgatum esse, quemlibet habere posse non duo tantum, sed etiam plura domicilia, singulorumque iuribus et praerogativis frui.

II. Iuxta DD. videri ex mutatione accidentali, absque animo deserendi domum paternam, et absque voluntate alibi perpetuo manendi, non cessare iurisdictionem Parochi primi domicilii.

III. Ex Benedicto XIV *de Synod. Dioec. lib. 13 cap. 23 n. 5.* dubitari non posse de validitate matrimonii contracti coram Parocho, qui etsi alio nomine accersitus, tamen a contrahentibus uti Parochus adhibitus fuerit.

IV. In themate, ut nuptiae irritae renuntiari possent, testium depositionibus, aliisque argumentis evincendum fuisse , domicilio et quasi domicilio sponsos carere; quo in casu omnis iurisdictio ordinaria, aut delegata deficeret : ast iuridicam huiusmodi probationem defuisse Emis Patribus visum est ex his quae deducta fuere.

INSTITUTIONIS (1)

Die 17 Iunii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Antonius R. anno **1712** per suum testamentum simplex beneficium iuripatronatus obnoxium instituit, onere adiecto, ut tres Missae ad altare maius, vel eo impedito, ad quodvis aliud altare in Ecclesia s. Mariae Plebis Revodi qualibet hebdomada celebrarentur. Huius beneficii iuspatronatus reliquit filiae suae Mariae; cui facultatem fecit praesentandi proprios filios nasciturus cum octo attigissent annos ; quatenus iidem sacrae militiae nomen dare voluissent. Et hoc in casu testatoris filia oneri Missarum facere satis debuisset donec eius filii sacro decoraren tur Sacerdotio. In casu autem quo vel Maria filios haud gigneret, aut ab ea 6nati sacram militiam sequi renuerent, substituit testator in iuspatronatus filios fratris sui Aliprandi in linea masculina, in perpetuum. Hisque eodem modo et ratione substituit filios fratrum suorum Bartholomei, et Thomae. Voluit autem ut ordo et ratio praescripta servarentur quoad omnes descendentes ex lineis vocatis, qui habiles ad beneficium consequendum reperirentur.

Ad tramites memoratae dispositionis res usque ad diem **5** Octobris **1878** pacifice processerunt. Quo vertente tempore Petrus Rossi descendens ab Aliprando per testatorem in prima linea vocato, ad vacans beneficium nominavit filium suum Maximum die **16** Iunii anni **1871** natum, eique substituit alium filium Camillum natu maiorem, in casu quo Maximus Episcopo haud placeret.

Curia episcopalis responsum oratori dedit: praesentationem Maximi haud excipi posse ob aetatis defectum; praesentationem Camilli pariter excipi non posse , quia nondum studia

{]) Confer. Vol. XIV pag. 243.

gymnasii inchoaverit, quae solummodo ad statum ducunt ecclesiasticum. Exclusis tali modo ambobus Petri filiis, Ordinarius patrono concessit spatium sex hebdomadarum ad praesentandum Bartholomaeum Rossi, qui utpote descendens in secunda linea a Bartholomaeo, unice habilis reperiebatur ad beneficium obtinendum, quique iam cum laude priorem gymnasii classem perfecerat. Verum Petrus arbitratus filium suum ex tabulis fundationis dignum esse, ut ad vacans beneficium nominaretur, sub die 25 Octobris penes Curiam Ecclesiasticam instetit, declarans se nolle Bartholomaeum nominari tum quia extantibus in prima linea vocatis, huic nullum ius ad huiusmodi beneficium assequendum competebat, tum quia non constabat, ipsum revera ex secunda vocatorum linea descendere. Neque his contentus concludebat: quod si adhuc aliquod dubium superesset, rem remittebat ad competens tribunal, suspensa beneficii collatione usque ad iudicii exitum. Verumtamen Curia episcopalis huiusmodi Petri protestationes! nihili faciendam esse duxit atque elapsis terminis ad nominandum ipsi praefixis die 6 Iulii Beneficium Bartholomaeo contulit. Ex hac Curiae agendi ratione se gravatum existimans Petrus Rossi, ad S. C. C. illico convolavit humillime petens ut, beneficii collatione, favore Bartholomaei a Curia peracta, nulla atque irrita declarata, beneficium filio suo Maximo, in decimo iam aetatis anno constituto, concederetur.

£> acceptatio synoptica

DEFENSIO PATRONI. Orator ad probandum Maximum esse habilem ad beneficium assequendum, duo ait sufficere demonstrare **1.** « quod Petrus vere est de linea Aliprandi Rossi in prima sede substitutionis a Testatore vocata et quod praesentatus reapse praefert conditiones a fundatore volitas. De primo requisito ut quis sibi persuadeat satis est, inquit, oculos coniicere in schema genealogicum ex quo apparet, ab Aliprando, Testatoris fratre, descendere Thomam, a Thoma alterum Aliprandum, ab Aliprando Thomam iuniorem, a quo

tandem originem trahere urget Doctorem Aliprandum iam defunctum qui fuit pater viventis Petri. Hanc arborem genealogicam maxime esse attendendam eo quod, uti ait Parrochus, desumpta fuit ex regestris Archivii paroecialis documentisque authenticis aliarum paroeciarum. Hinc nedum omnem fidem meretur iuxta Canonistarum doctrinam et Tribunalium praxim, sed etiam plenam facit probationem, Mascard, *de probat, vol. 2 conc. 672.*

Nec minus constare, subdit Orator, de conditione habilitatis a fundationis lege requisitae. Sane Testator casu quo Anna filia masculos haberet, cavit ut hi beneficium assequi valerent, dummodo octennes essent, et voluntatem sacram militiam amplectendi praeferrent. At deinde praevidens alterum casum, quo nempe Anna vel filios non habuisset, vel hi clericalem tonsuram recusarent, eamdem methodum et ordinem servari iubet in lineis substitutionis quoad vocatos, sive active sive passive. Binas igitur imposuit conditiones, ut praesentati habiles ad beneficium essent, nempe ut aetatem octo annorum attigissent, et sequi vellent clericalem militiam.

Nec aliquid facessere ait Tridentini dispositionem praescribentis, ut pro assecutione beneficii requiratur aetas 14 annorum. Nam fundatori licitum esse in institutione beneficii quaslibet conditiones honestas apponere tradit Reiffenst. *lib. 3 Decret, lib. V. n. 10o;* et leges in limine fundationis appositas etiamsi iuri communi contrarias servandas esse docet Card. De Luca *disc. 26 n. 8 de iurisd.* dummodo tamen hae non percutiant beneficii essentiam, idem auctor *Disc. 93 n. 8 de Benef.* Conditionem autem aetatis non afficere substantiam beneficii pronum est ex eo deducere, quod ante Trid. aetas 7 annorum erat sufficiens ut, fuse docet cit. De Luca *disc. 95 n. 6 de Benef,* atque in *adnot. ad Trid. disc. 14 n. 26.*

Iamvero in iuvene Maximo aetatem et vocationem ad ecclesiasticum statum reperiri, ait orator. Sane ad requisitum aetatis quod attinet, facilis et obvia est resolutio, dum

enim Maximus, inspecta arbore genealogica, natus apparet die 16 Iulii 1871, a legitimo Patrono nonnisi mense Octobris an. 1878 praesentatus fuit, proinde iam octavum annum attigerat; vel si ratio habeatur temporis collationis beneficii, favore Bartholomaei factae die 6 Iulii 1881, iam decimum annum expleverat. Quod autem Maximus voluntatem habuerit clericalem statum amplectendi, ipsum Episcopum testem invocat, cui non semel petitio pro tonsura facta fuit.. Insuper Maximus sacramentum Confirmationis receperat, optime legere et scribere callebat, et iam idoneus ad gymnasialem cursum suscipiendum inveniebatur. Cum itaque omnia requisita praeferat a testatore praescripta, evidenti ipsius iuri Curiae agendi rationem nullum detrimentum afferre potuisse orator contendit.

Huc perventus Orator ad observantiam appellat, quae edocet beneficium in themate continuo apud lineam Aliprandi fuisse, quae beneficii bona vacationis tempore iugiter administravit.

Quod si defectus aetatis impedimento fuisset quominus Maximus istud beneficium consequi valeret, profecto animadvertit Orator quod Curia episcopalis ignorare non poterat hoc impedimentum removeri potuisse ope dispensationis, quam S. C. C. etiam in durioribus casibus elargiri consuevit, ceu videre est in *Asculana Cappellaniae 25 Aug. 1750,* in *Neritonen. Abbatiae 22 Nov. 1760,* in *Lucana Beneficii 17 Maii 1740* et novissime in *Tridentina Indulti 26 Iulii 1879* dilationem concessit beneficii Curati ad septennium, ut adulescens passive vocatus aetatem requisitam assequeretur (1).

Verumtamen dato, sed non concesso quod Maximus fuisset inhabilis ad beneficium obtinendum, Orator adurget non potuisse reiici alterum filium clientis Camillum, cumulative praesentatum, utpote habilem etiam ex Iure Tridentini, ex quo manifestum apparet, Patronos laicos variare posse vel cumulare in praesentando. Idipsum confirmavi testimonio Card. De Luca *disc. 59 **n.** 19* et *disc, 43 n. 7 de Iurep-*

(1) Habes quaestionem hanc Vol. XIII, 201.

Verum nedum ex parte praesentantis, sed neque etiam ex parte praesentati aderat inhabilitas: Camillüs enim iuspatronatus passivo fruebatur uti descendens a linea Aliprandi, iam septimum aetatis annum iuxta fundationis, imo etiam decimum quartum aetatis annum iuxta Tridentini decretum superaverat, Confirmationis Sacramentum susceperat, rudimenta fidei callebat, iam legere et scribere sciebat.

Praeterea orator ait, nullius esse valoris Episcopi causam, qua respuit Camilli praesentationem, eo quod nondum iste inchoavisset studia Gymnasii. Sacri enim Canones nullibi decernunt, ut linguam latinam sciant, qui ad beneficium assequendum praesentari debent. Quod si Conc. Tridentinum *Sess. 23 cap. 11 de Ref.* aliqualem scientiam latini idiomatis praescribit, hanc ab iis requirit, qui minores ordines, non qui primam tonsuram suscipere cupiunt. Neque urgeat Curia quod cum Bartholomaeus ex secunda linea descendens esset tonsuratus, non poterat tonsuram Camillo conferre ne praeiudicium Bartholomaeo inferret. Episcopus siquidem conferendo primam tonsuram, non directe intendebat praeiudicium alterius; sed primario et unice intendebat ad habilitandos eos, qui *iure* habilitan cupiebant; De Luca *disc. 70. n. 18. de Iurep.* Imo adnotat cum citato De Luca *Disc. 88. n. 4,* quod quando praesentatus concurrit cum idoneo, aequali iure pollenti, non ideo est reputandus minus idoneus, si aliqua indigeat dispensatione, *quum dispensatus praeferendus veniat alteri non indigenti dispensatione, quando suum ius sit potent ius.* In themate autem ius Camilli et Maximi, utpote descendentium a priori linea Aliprandi, praevalere iuri adversarii, qui ad summum a secunda linea descenderet , extra omnem dubitationis aleam positum esse propugnavit.

Tandem patronus contendit Bartholomaeum ad familiam fundatoris beneficii haud pertinere; idque probare sategit depositione trium testium, tam aetate, quam probitate morum omni exceptione maiorum. Attamen admissa etiam paullisper absurda hypothesi quod Bartholomaeus ad secundam

lineam pertineret, quodque ipsius linea illam Petri excluderet, tamen collationem ab Episcopo factam nullo pacto sustineri posse affirmavit, quia elapso iam tempore utili, beneficii collatio ad s. Sedem devoluta erat. Tandem huiusmodi collationem uti invalidam recensendam esse edisserit, quia beneficium litigiosum evaserat eo temporis momento, quo patronus coram Curia declaraverat, causam decidendam esse a tribunali contentioso, si casu accidisset quod praesentationem ab ipso patrono factam Episcopus flocci faceret. Quaquaversus igitur quaestio inspiciatur, orator concludit beneficii collationem a Curia episcopali favore Bartholomaei peractam sustineri non posse.

DEFENSIO EPISCOPI. EX altera vero parte Episcopus evincere studuit, collationem beneficii utpote ad tramites iuris factam sustineri oportere. Quod ut demonstraret, praehabito quod fundator in animo habuerit verum beneficium ecclesiasticum instituere, testamentariam dispositionem allegavit, ex qua patere affirmavit quod fundator, nedum ordinem praefinivit, qui in praesentationis actu servari iugiter debebat, sed insuper statuit ut beneficium illi conferretur qui ad illud possidendum, praesentationis tempore, habilis inveniretur. Iussit enim testator, quoad praesentationem peragendam, methodum et ordinem eumdem fuisse tenendum erga illos qui habiles forent ad beneficium, quique a supranominatis geniti essent. Ex quibus verbis, ait Episcopus clarum fit, testatorem iussisse, praesentandos *habiles* esse debere; ita ut si in linea Aliprandi habiles deficerent, praesentari deberet descendens ex linea Bartholomaei. Iamvero, ait Episcopus, filios Petri Rossi, licet ab Aliprandi linea descendant, inhabiles esse ad beneficium possidendum meridiana luce patet. Neuter siquidem clericali tonsura ornatus existit, neuter linguam latinam callet, neuter dispositionem ad clericalem statum exhibet, neuter demum decimum quartum aetatis suae annum attingit. Porro explorati iuris est, beneficii cuiuscumque capacem neminem esse, qui actu clericus non sit; etenim ex lege ecclesiastica cautum est ut

laici beneficiis frui nequeant *Cap. 6 de transad, et Cap. 2 de instit. et Cap. causam quae de praesent.* Gonzalez *p. 1 c. 2. n. 28.* Quibus iuris principiis innixus Episcopus animadvertit, hoc beneficio frui non posse laicos, etiam testatoris descendentes, quia nulla in testamenti parte reperitur, ipsum hanc fecisse facultatem suis descendentibus. Insuper nec possidere posse beneficium, quiaetetem 14 annorum non attigit tradit Conc. Trid. *sess. 23 cap. Vl.de Reform,* ubi decernit, ibi : « nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordi-» nibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium » possit obtinere, » Garcías *de benef. p. 7 a. 4 n. 14,* Giraldi *Iuris Pontif. p. 2 sect. 92.* Quo vero ad scientiam, qua praeditus esse debeat, qui beneficium obtinere in votis habet, Garcias haec tradit - *P. 7 cap. 7 n. 4. «* Licet ad pri-» mam tonsuram solum requiratur quod quis sciat legere, » et scribere *Conc. Trid. sess. 23 c. 4. de Ref.* tamen ad » beneficium etiam simplex, maior sufficientia requiritur, » quod sciant nempe legere, construere. *Gloss, in Clem. 1 » de conces. praeb. v. reputamus,* quam ibi sequuntur *Imola, » Card. et Abbas. num.* i. » Ad normam itaque iuris, neque Camillus, neque Maximus, ambo Petri filii, habiles erant ad beneficium hoc consequendum. Non quidem Camillus, quia, ut perpendit Episcopus, studiis haud incumbebat; non vero Maximus quia iuvenis decennis, inhabilis pro sua aetate ad beneficium ecclesiasticum, scholis adhuc elementaribus addictus, quique nullam exhiberet voluntatem erga ecclesiasticam militiam.

Cum igitur filii Petri descendentes a linea Aliprandi inhabiles sint ad beneficium possidendum, ex eo quod requisitis a iure praescriptis praediti haud essent, prono alveo fluere, urget Episcopus, beneficium Bartholomaeo, utpote qui a secunda linea descendit, rite collatum fuisse. Quandoquidem, ut Episcopus advertit, iuvenis hic omnes exhibeat qualitates a testatore volitas. Ipse enim descendit a Bartholomaeo Rossi, altero testatoris fratre, in aetate viginti annorum nunc reperitur, et vere vocari ostendens ad sacram militiam, ad «idimam tonsuram iam promotus fuit.

Neque obiiciendum, quod testator pro filiis Annae Mariae requisiverit aetatem octo annorum pro beneficio obtinendo a se instituto. Huic obiectioni enim Episcopus respondit : testatorem relate ad patronatum passivum exceptionem fecisse favore filiorum filiae suae Annae Mariae ; quibus frui beneficio sinebat, quando pervenissent ad aetatem octo annorum; sed descendentes ex quatuor fratribus voluit ut essent habiles ad beneficium consequendum. Quae cum ita sint, privilegium quod testator concedere voluit filiis Annae, ad alios transferri nullimode posse videtur : etenim *ubi lex non distinguit, neqtie nos distinguere debemus,* canon iuris est, quo non vulgatior alter. Idque eo vel magis in themate tenendum esse videtur, cum agatur de dispositione iuri communi contraria, quae proinde strictam recipit interpretationem.

Quamobrem Curia Episcopalis collationem beneficii suspendere nequi vit, usque ad diem, quo alter ex Petri filiis capax fieret ad beneficium consequendum, eo quod beneficium hoc relinqui vacuum non potuit ; dum aliunde Clericus Bartholomaeus et ius ad hoc haberet, et spem ingereret futurum Sacerdotem omnino commendabilem.

Hisce aequa lance libratis, EE. PP. iudicio dirimendum propositum fuit resolvendum

llubium

An collatio Beneficii facta a Curia episcopali die **6** *Iulii 1881) favore Bartholomaei Rossi sustineatur in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re perpensa, sub die **17** Iunii **1882,** resolvere censuit:

Negative, et institutionem dandam esse Camillo.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Iuspatronatus tum passivum, tum activum in aliam personam, *secundo loco* vocatam, transire non posse donec ali-

quis extiterit *primo loco* vocatus, qui claris argumentis evincere valeat propriam successionem, propriamque vocationem.

II. Qua de re censeri nominatos ab ipso fundatore, illi qui iure passivo fruuntur, posseque eosdem nominationi personae cuiuslibet iure proprio obsistere.

III. Ex Doctoribus licere beneficii institutori, in ipso fundationis limine, quaslibet apponere honestas conditiones, etiam iuri communi contrarias, dummodo non laedant beneficiorum essentiam.

IV. In themate mirum non esse quod institutor beneficii potuerit conditionem apponere, qua passive vocatos in aetate octo annorum frui hoc beneficio valerent, dum aetatis conditio non afficiat beneficii substantiam.

EX SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

BEATISSIMO PADRE

4 Marzo 1882.

L'Arcivescovo di Modena prostrato innanzi al trono della S.V.. supplica affine di ottenere dall'Apostolica benignità un'indulgenza (applicabile anche alle anime ss. del Purgatorio) a chiunque reciterà le seguente preghiera al Patriarca s. Giuseppe, sposo di Maria SSma.

« Potentissimo Patriarca s.Giuseppe, Patrono della Chiesa universale che vi ha invocato ognora nelle sue ansietà e tribolazioni,

BEATISSIME PATER

Die 4 Martii 1882. *(Versio)*

Archiepiscopus Mutinensis coram S. V. Solio provolutus, supplex exposcit ab Apostolica clementia aliquam indulgentiam (ss. Purgatorii animabus applicabilem) pro persona qualibet, quae sequentem recitaverit orationem Patriarchae sancto Ioseph, SSmae Virginis Mariae sponso.

« Moerentissime Patriarcha s. Ioseph, patrone catholicae Ecclesiae, quae incessanter in suis anxietatibus et curis Te invoca-

dal seggio eccelso della vostra gloria volgete amorevole lo sguardo sull' orbe cattolico. Si commuova il vostro cuore paterno al vedere la mistica Sposa ed il Vicario di Cristo affranti dal dolore e perseguitati da poderosi nemici. Deb! per le angustie amarissime che provaste in terra, tergete benigno le lagrime del venerato Pontefice , difendetelo, liberatelo, ed intercedete presso il donatore della pace e della carità, affinchè distrutta ogni avversità, dissipato ogni errore, tutta la Chiesa possa servire a Dio benedetto in perfetta libertà; *Ut destructis adversitatibus et erroribus Ecclesia secura Deo serviat libertate. Amen.* »

vit; ab excelso gloriae tuae solio piis orbem catholicum oculis respice. Excitetur clemens cor tuum, mysticam prospiciens Sponsam , Christique Vicarium dolore percitos, validisque divexatos hostibus. Per angustias, quaeso, quas in terris passus es amarissimas, lacrimas venerati Pontificis clementer deterge; eumque defende atque tuer e; et apud pacis caritatisque datorem intercede, ut qualibet destructa adversitate, omnique profiigato errore, Ecclesia tota Deo benedicto, perfecta libertate inservire valeat , ut destructis adversitatibus et erroribus universis , Ecclesia secura Deo serviat libertate. Amen. »

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita die 4 Martii 1882, ab infrascripto secretario sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui corde saltem contrito supra exhibitam precem in honorem s. Ioseph devote recitaverint, Indulgentiam *centum dierum,* semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex secretaria eiusdem Congregationis die 4 Martii 1882.

AL. **CARD**. OREGLIA A. S. **STEPHANO** Praef.
Pius **DELICATI** Secretarius.

BEATISSIME PATER

Die 18 Martii 1882.

Antonius Espinosa Vicarius Generalis Bonearensis Sanctitatis Tuae pedibus in spiritu provolutus ad specialem impetrandam Indulgentiam in favorem Societatis a S. Iosepho haec supplex exponit.

Societas a S. Iosepho in Urbe Bonearensi Meridionalis Americae canonice instituta, S. Petri obolo corrogando praeest, et quovis mense conciones catholicae veritati declarandae tuendaeque aptas in Aede Metropolitana aliisque Templis habendas curat, tum sacras expeditiones inter indígenas fovet, praesertim in Patagonia, scholas catholicas in Patagonia ipsa, in Urbe, in pagis omni ope auget, piorum librorum evulgatione, Christianae Catechesi , spiritualibus

exercitationibus, publica Sacramenti Augusti quadraginta Horarum adoratione, ipsisque etiam sacris aedibus reficiendis, ornandis, religionem amplificare, pietatem fovere, procurandae proximorum saluti, pro viribus adlaborare studet.

Huius piae Societatis omnibus in universum et singulis speciatim sociis nuper Sanctitas Tua Apostolicam Benedictionem impertire dignata est: nunc vero Societas eadem Sanctitatis Tuae pedibus fidenter provoluta, aliquam Indulgentiam expostulat pro recitatione sequentis invocationis in honorem s. Iosephi.

Fac nos innocuam, Ioseph, decurrere vitam, sitque Tuo semper tuta Patrocinio.

Pro qua gratia etc

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. in Audientia habita die 18 Martii 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito praefatam invocationem in honorem S. Iosephi devote recitaverint, Indulgentiam tercentum dierum semel tantum in die lucrandam benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 18 Martii 1882.

AL. CARD. OREGLIA. A S. STEPH. *Praef.*
P. Delicati Secretarius

BEATISSIME PATER

Leo Marin Sacerdos e Congregatione s. Sulpitii, Vicarius Generalis Dioeceseos Aquensis et Moderator magni Seminarii eiusdem Dioeceseos, supplex adit Sanctitatem Vestram, ut approbare dignetur exhibitas sequentes orationes, propositas Sacerdotibus recitandas ante et post eorum Confessionem sacramentalem, eisque aliquam Indulgentiam adnectere.

Oratio ante Confessionem sacramentalem.

Suscipe Confessionem meam piissime ac clementissime Domine-Iesu Christe, unica spes salutis animae meae, et da mihi, obsecro, contritionem cordis, et lacrymas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate et puritate cordis. Domine Deus meus suscipe preces meas. Salvator mundi, Iesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem invocantem, nomen tuum, et noli sic attendere malum meum ut obliviscaris bonum tuum; et si commisi

unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Parce ergo mihi qui es Salvator meus, et miserere peccatrici animae meae. Solve vincula eius , sana vulnera. Emitte igitur, piissime Domine meritis purissimae et immaculatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae, et Sanctorum tuorum, lucem tuam, veritatem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, de quibus confiteri me oportet, atque iuvet et doceat ipsos plene et contrito corde explicare. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio post Confessionem.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis Beatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficentia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis et regnas Deus pei omnia saecula saeculorum. Amen.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita die 19 Augusti 1882, ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus Sacerdotibus qui propositas Orationes ante et post sacramentalem Confessionem peccatorum suorum, corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam biscentum dierum benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 19 Augusti 1882.

AL. CARD. OREGLIA A S. STEPHANO *Praef.*

Franciscus della Volpe Secretarius

Epistola Encyclica SS. D. N. LEONIS PAPAE XIII ad venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos universos in regione Hispana.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII SALUTEM
ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum multa sint, in quibus excellit generosa ac nobilis Hispanorum natio, tum illud est in prima commendatione ponendum, quod, post varios rerum et hominum interitus, pristinum illud ac prope haereditarium retineat fidei catholicae studium, quocum semper vis est Hispani generis salus et magnitudo coniuncta. — Quod quidem studium plura argumenta declarant: praecipue vero eximia in hanc Sedem Apostolicam pietas, quam omni significationum genere, litteris, liberalitate, susceptis religionis caussa peregrinationibus Hispani homines saepe et praeclare testantur. Neque interitum est paulo superioris temporis memoria, quo tempore ipsorum animum fortem aeque ac pium Europa spectavit, cum Sedem Apostolicam adversorum eventuum calamitas attigisset. — In his rebus omnibus, praeter singulare quoddam Dei beneficium, agnoscimus, Dilecti Eilii Nostri, Venerabiles Fratres, vigilantiae vestrae fructum: itemque laudabile ipsius populi propositum, qui per haec tam infensa catholico nomini tempora religioni avitae studiose adhaerescit, neque dubitat magnitudini periculorum parem constantiae magnitudinem opponere. Profecto nihil est, quin de Hispania sperari iure queat, si modo talem animorum affectionem caritas aluerit, et stabilis voluniatum concordia roboraverit. — Verum quod ad hanc partem, non enim dissimulabimus id quod est, cum cogitamus agendi rationem, quam aliquot ex Hispania catholici homines ineundam putant, dolor quidam obiicitur animo cum nonnulla similitudine anxiae sollicitudinis, quam Paulus Apostolus olim, Corinthiorum caussa, susceperat. Tuta et tranquilla catholicorum cum inter se tum maxime cum Episcopis suis istic concordia permanserat: eoque nomine Gregorius XVI Decessor Noster iure laudavit Hispanam gentem, quod eius pars *longe maxima in veteri sua erga Episcopos et inferiores pastores canonice constitutos reverentia* perseveraret. (1) Nunc tamen, interiectis partium studiis, vestigia apparent dissensionum, quae in varias velut acies distrahunt animos, ipsasque societates, religionis gratia constitutas, non parum perturbant. Incidit saepe,

(1) Alloc. *Afflicta!* Kal. Mart. 1841.

ut apud disquirentes, qua potissimum ratione expediat rem catholicam tueri, minus quam aequum est, Episcoporum valeat auctoritas. Quin immo interdum si quid Episcopus suaserit, si quid etiam pro potestate decreverit, non desunt qui moleste ferant, aut aperte reprehendant, sic accipientes, ut voluisse illum existiment alteris gratificar!, alteros offendere. — Iamvero plane perspicitur quanti referat, incolumem esse animorum coniunctionem, eo vel magis quod in tanta ubique pravarum opinionum licentia, in tam acri insidiosaque Ecclesiae catholicae oppugnatione, omnino necesse est, christianos universos, collatis in unum viribus maximaque voluntatum conspiratione resistere, ne calliditate atque impetu adversariorum separatim oppressi succumbant. Igitur huiusmodi incommodorum cogitatione permoti, Vos, his litteris. Dilecti Filii Nostri, Venerabiles-Fratres, appellamus, vehementerque petimus, ut salutarium monitorum Nostrorum interpretes in firmanda concordia prudentiam auctoritatemque vestram adhibeatis.

Erit autem opportunum primo loco rei sacrae reique civilis meminisse rationes mutuas, quia multi contrario errore falluntur. Solent enim nonnulli rem politicam a religione non distinguere solum, sed penitus seiungere ac separare, nihil ut esse utrique commune velint, nec quicquam ad alteram ab altera innuere putent oportere. Hi profecto non multum ab iis distant, qui civitatem constitui administrarique malunt, amoto cunctarum procreatore dominoque rerum Deo : ac tanto deterius errant, quod rempublicam uberrimo utilitatem fonte temere prohibent. Nam ubi religio tollatur, vacillare necesse est illorum stabilitatem principiorum, in quibus salus publica maxime nititur quaeque vim a religione capiunt plurimam,, cuiusmodi potissimum sunt, iuste moderateque imperare, propter conscientiam officii subesse, domitas habere virtute cupiditates, suunx cuique reddere, aliena non tangere.

Verum sicut iste tam impius declinandus est error, sic etiam fugienda illorum opinio praepostera, qui religionem cum aliqua parte civili permiscent ac velut in unum confundunt, usque adeo, ut eos, qui sint ex altera parte, prope descivisse a catholico nomine decernant. Hòc quidem est factiones politicas in angustum religionis campum perperam compellere: fraternam concordiam velle dirimere, funestaeque incommodorum multitudini aditum ianuamque patefacere. — Igitur oportet rem sacram remque civilem, quae sunt genere naturaque distincta, etiam opinione iudicioque secernere. Nam hoc genus de rebus civilibus, quantumvis honestum et grave, si

spectetur in se, vitae huius, quae in terris degitur, fines nequaquam praetergreditur. Contra vero religio, nata Deo et ad Deum referens omnia, altius se pandit caelumque contingit. Hoc enim illa vult, hoc petit, animum, quae pars est hominis praestantissima, notitia et amore Dei imbuere, totumque genus humanum ad futuram civitatem, quam inquirimus, tuto perducere. Quapropter religionem, et quidquid est singulari quodam vinculo cum religione colligatum, rectum est superioris ordinis esse ducere. Ex quo consequitur, eam, ut est summum bonum, in varietate rerum humanarum atque in ipsis commutationibus civitatum debere integram permanere : omnia enim et temporum et locorum intervalla complectitur. Fautoresque contrariarum partium, cetera dissentientes, in hoc oportet universi conveniant, rem catholicam in civilitate salvam esse oportere. Et ad istud nobile necessariumque propositum, quotquot amant catholicum nomen debent velut foedere icto studiose incumbere, silere paulisper iussis diversis de caussa politica sententiis, quas tamen suo loco honeste legitimeque tueri licet. Huius enim generis studia, modo ne religioni vel iustitiae répugnent, Ecclesia minime damnat; sed procul omni concertationum strepitu, pergit operam suam in communem afferre utilitatem, hominesque cunctos materna caritate diligere, eos tamen praecipue, quorum fides pietasque constiterit maior.

Concordiae vero quam diximus, idem est in re christiana, atque in omni bene constituta republica fandamentum ; nimirum obtemperatio legitimae potestati, quae iubendo, vetando, regendo, varios hominum animos concordes et congruentes efficit. Quam ad rem nota omnibus atque explorata commemoramus : verumtamen talia, ut non cogitatione solum tenenda, sed moribus et usu quotidiano, tamquam officii regula, servanda sint. — Scilicet sicut Pontifex Romanus totius est Ecclesiae magister et princeps, ita Episcopi rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum acceperunt. Eos in sua quemque ditione ius est praeesse, corrigere, generatimque de iis, quae e re christiana esse videantur, decernere. Participes enim sunt sacrae potestatis, quam Christus Dominus a Patre acceptam. Ecclesiae suae reliquit: eamque ob caussam Gregorius IX Decebor Noster: Episcopos inquit « *in partem sollicitudinis vocatos » vices Dei gerere minime dubitamus* ». (1) Atque huiusmodi potestas Episcopis est summa cum utilitate eorum, in quos exercetur, data: spectat enim natura sua ad *aedificationem corporis Christi,* perficitque ut Episcopus quisque, 'cuiusdam instar vinculi, christia-

(1) Einst. 18« liis.

nos, quibus praeest, et inter se et cum Pontifice maximo, tamquam cum capite membra, fidei caritatisque communione consociet. In quo genere gravis est ea sancti Cypriani sententia : *a Illi sunt Ecclesia, u plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens* » : (1) et gravior altera : *u Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et u Ecclesiam in Episcopo, et siquis cum Episcopo non sit, in Ec- u desia non esse* ». (2) Talis est christianae reipublicae constitutio, eaque immutabilis, ac perpetua: quae nisi sancte servetur summa iurium et officiorum perturbatio consequatur necesse est, discissa compositione membrorum apte cohaerentium in corpore Ecclesiae; ** quod per nexus et coniunctiones subministratum et constructum u crescit in augmentum Dei* ». (3) Ex quibus apparet, adhibendam esse adversus Episcopos reverentiam praestantiae muneris consentaneam, in iisque rebus, quae ipsorum potestatis sunt, obtemperari oportere.

Perspectis autem studiis, quibus multorum animi istic hoc tempore permoventur, Hispanos omnes non hortamur solum, sed plane obsecramus, ut sese huius tanti officii memores impertiant. — Ac nominatim vehementer studeant modestiam atque obedientiam tenere qui sunt ex ordine Cleri, quorum dicta factaque utique ad exemplum in omnes partes valent plurimum. Quod in muneribus suis insumunt operae, tum sciant maxime fructuosum sibi, proximisque salubre futurum, si se ad imperium eius nutumque finierint, qui Dioecesis gubernacula tenet. Profecto sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana, quam caelestia curare videantur, non est secundum officium. Cavendum igitur sibi esse intelligant, ne prodeant extra gravitatem et modum. Hac adhibita vigilantia, pro certo habemus, Clerum Hispanum non minus.animorum saluti quam rei publicae incremento virtute, doctrina laboribus, magis magisque in dies profuturum.

Ad eius adiuvandam operam eas societates non parum iudicamus opportunas, quae sunt tamquam auxiliariae cohortes catholico nomini protegendo. Itaque illarum probamus institutum et industriam, ac valde cupimus, ut aucto et numero et studio maiores edant quotidie fructus. — Verum cum sibi proposita sit rei catholicae tutela et amplificatio, resque catholica in Dioecesibus singulis ab Episcopo geratur, sponte consequitur, eas Episcopis subesse et ipsorum auctoritati auspiciisque tribuere plurimum oportere. — Neque minus elaborandum ipsis est in coniunctione animorum retinenda: primo enim hoc est cuivis hominum coetui commune, ut omnis eorum vis

(1) Epipt. 69 *ad Pupianum.* — (2) Ibid. — (3) *Coloss.* II, 19.

et efficientia a voluntatum conspiratione proflciscatur : deinde maxime decet in huiusmodi sodalitatibus elucere caritatem mutuam, quae debet esse ad omnia rectefacta comes, disciplinaeque christianae alumnos velut signum et nota distinguere. Quapropter cum sodales facile possint de re publica diversi diversa sentire, idcirco ne concordia animorum contrariis partium studiis dirimatur, meminisse oportet, quorsum spectent societates, quae a re catholica nominantur, et in consiliis capiundis ita habere animos in uno illo proposito defixos, ut nullius partis esse videantur, memores divinae Pauli Apostoli sententiae: *u Quicumque in Christo baptizati estis, Chri-K stum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus u neque liber. . . . . omnes enim vos unum estis in Christo* » **(1).** «— Qua ratione illud capietur commodi, ut non modo socii singuli, sed variae etiam eiusdem generis societates, quod est diligentissime providendum, amice ac benevole consentiant. Sepositis quippe, ut diximus, partium studiis , infensarum aemulationum praecipuae erunt occasiones sublatae; eritque consequens, ut ad se una omnes caussa convertat, eademque maxima et nobilissima, de qua inter catholicos hoc nomine dignos nullus potest esse dissensus.

Denique magni refert, sese ad hanc ipsam disciplinam accomodare, qui scriptis, praesertim quotidianis, pro religionis incolumitate dimicant. — Compertum quidem Nobis est, quid studeant, qua voluntate contendant; neque facere possumus, quin de catholico nomine méritos iusta laude prosequamur. Verum suscepta ipsis caussa tam excellens est tamque praestans, ut multa requirat, in quibus labi iustitiae veritatisque patronos minime decet : neque enim debent, dum unam partem officii curant, reliquas deserere. Quod igitur societates monuimus, idem scriptores monemus, ut amotis lenitate et mansuetudine dissidiis, coniunctionem animorum cum ipsi inter se, tum in multitudine tueantur: quia multum pollet scriptorum opera in utramque partem. Concordiae vero cum nihil tam sit contrarium, quam dictorum acerbitas, suspicionum temeritas, insimulationum iniquitas, quidquid est huiusmodi summa animi provisione fugere et odisse necesse est. Pro sacris Ecclesiae iuribus; pro catholicis doctrinis non litigiosa disputatio sit, sed moderata et temperans, quae potius rationum pondere, quam stilo nimis vehementi et aspero victorem certaminis scriptorem efficiat.

Istas igitur agendi normas plurimum arbitramur posse ad eas caussas, quae perfectam animorum concordiam impediunt, prohibendam. Vestrum erit, Dilecti Eilii Nostri, Venerabiles Fratres,

mentem Nostram populo interpretari, et quantum potestis contendere, ut ad ea, quae diximus, vitam quotidianam universi exigant. — Quod sane Hispanos homines ultro effecturos confidimus cum ob spectatam erga hanc Apostolicam Sedem voluntatem, tum ob speranda concordiae beneficia. Domesticorum exemplorum memoriam renovent: cogitent, maiores suos, si multa fortiter multa praeclare domi iurisque gesserunt, plane non dissipatis dissentiendo viribus, sed una velut mente, unoque animo gerere potuisse. Etenim fraterna caritate animati et *id ipsum invicem sentientes,* de praepotenti Maurorum dominatu, de haeresi, de schismate triumpharunt. Igitur quorum accepere fidem et gloriam, eorum vestigiis insistant, imitandoque perficiant, ut illi non solum nominis, sed etiam virtutum suarum superstites reliquisse videantur.

Ceterum expedire vobis, Dilecti Eilii Nostri, Venerabiles Fratres, ad coniunctionem animorum similitudinemque disciplinae existimamus, qui in eadem estis provincia et inter vos et cum Archiepiscopo consilia identidem conferre, de rebus communibus una consulturos: ubi vero res postulaverit, hanc adire Sedem Apostolicam, unde fidei integritas et disciplinae virtus cum veritatis lumine proficiscitur. — Cuius rei percommodam allaturae sunt opportunitatem peregrinationes, quae passim ex Hispania suscipiuntur. Nam ad componenda dissidia dirimendasque controversias nihil est aptius, quam Eius vox, quem Christus Dominus princeps pacis vicarium constituit potestatis suae: itemque caelestium charismatum copia, quae ex Apostolorum sepulcris large dimanat.

Verumtamen quoniam *omnis sufficientia nostra ex Deo est,* Deum enixe Nobiscum una adprecamini, ut monitis Nostris virtutem efficiendi impertiat, animosque populorum promptos ad parendum efficiat. — Communibus adnuat coeptis augusta Dei parens Maria Virgo Immaculata, Hispaniarum patrona: adsit Iacobus Apostolus, adsit Theresia a Iesu, virgo legifera, magnum Hispaniarum lumen, in qua concordiae amor, patria caritas, obedientia christiana mirabiliter in exemplum eluxere.

Interim caelestium munerum auspicem et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis omnibus, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, cunctaeque genti Hispanorum Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae aquds. Petrum die VIII decem. A. MDCCCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LEO PP. XIII.

Ea s congregatione CONCILII

ORDINATIONIS SEU EXCARDINATIONIS

Die 20 Maii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Vincentius e Dioecesi T. a tribus vix retro annis Seminarii B. alumnus, die 17 Novembris, anni mox elapsi, supplici oblato libello Sacratissimo Principi, exposuit: sese cupere militiam sequi ecclesiasticam in Dioecesi R. et ideo exposcere dispensationem a decennali domicilio; eoquod proxime impleretur triennium ex quo orator coepit esse familiaris Episcopi illius. (1) Episcopus B. commendavit oratorem, ceu bona indole, bonisque moribus praeditum. Episcopus T. contrarium precibus Vincentii se declaravit aiens : illum a prima aetate fuisse difficilem, volubilem, neque dicto audientem, ita ut videretur non vocari in sortem Domini. Nam adhuc iuvenis, a parentibus actus, importune efflagitabat ut sinerem vestem induere clericalem; et quia ad annuendum cunctabar, seminarium ingressus est, moribus et principiis politicis parum commendabile.

disceptatio Synoptica

PRECES VIDENTUR RESPUENDAE. Precibus ab oratore porrectis haud assentiendum esse patula iuris principia suadere videntur. Sane Concilium Tridentinum *Sess. 14 Cap. 2 de Reform*, diserte prohibens quominus Episcopus ordines sibi non subditis conferat sine expresso proprii praelati consen-

(1) Familiaritas est una ex quatuor causis, a quibus gignitur subiectio erga Episcopos relate ad ordines suscipiendos; integrum tamen requiritur triennium a Constit. *Speculatores.*

su, haec decernit - ibi - « Nemo Episcoporum qui titulares-
« vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exeni-
« pto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint aut
« moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de pro-
« movendo quoscumque ad se venientes pro tempore con-
« cessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis con-
« tinuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati
€ expresso consensu aut Uteris dimissoriis ad aliquos sacros,
« aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu
« ordinare valeat. » Cum igitur in themate expressus proprii praelati consensus plene deficiat, imo cum in facto consistat expressum ipsius dissensum adesse , sponte sua sequitur preces a Vincentio porrectas ab ipso iudicii limine reiiciendas esse.

Quin. regerere proficiat optimum testinionium oratoris favóre, a Curia B. prolatum: Episcopus T. urget huiusmodi testimonium flocci faciendum esse, ex eo quod tam rectores-Seminarii, in quo orator ultra duos annos deget, quam magistri in eo docentes sunt non boni odoris. Expetenda esset informatio ab Archiepiscopo B. ut innotesceret qua veste contecti sint officiales huiusmodi et iudicium compleri posset. Pariter neque in pretio habenda esse videtur altera ratio ad gratiam impetrandam adducta, quod scilicet orator habendus sit ut praeditus qualitate familiaris Episcopi. Quandoquidem ad effectum ordinationis illi familiares Episcopi dicuntur, qui intra ipsius aedes per triennium expletum degunt, atque ipsius sumptibus aluntur. Porro in casu haec concurrere haud videntur, cum explorati facti sit, quod orator non in Episcopi aedibus, sed in Seminario vitam agit. Verum dato etiam quod inter Episcopi familiares recensendus sit, tamen neque ad ordines neque ad primam tonsuram ab Episcopo B. promoveri potest, quia nedum Concilium Tridentinum in loco citato, sed etiam Innocent. XII in Constit. ***Speculatores domus Israel diei 4 Novembris 1694,*** pro Episcopi quoque familiaribus ordinandis, expressum proprii Episcopi consensum seu testimoniales literas requirunt.

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. Verumtamen licet explorati iuris sit neminem ab alio Episcopo ordinari posse, nisi expressum consensum, seu testimoniales proprii Episcopi literas praeseferat; tamen certum atque indubium est, quibusdam concurrentibus legitimis causis, Summum Pontificem ex potestatis, qua fruitur, plenitudine concedere solere ut quis renuente proprio Episcopo, ex una in alteram Dioecesim se transferre valeat ad effectum sive primam tonsuram sive sacros ordines suscipiendi. Scatet id ex innumeris resolutionibus a S. C. O. editis, praesertim vero ex *Neapolitana excardinationis 15 Iulii 1848, Burgi s. Sepulcri Irregularitatis ex defectu, scientiae 23 Februarii 1875, Anicien. Ordinationis 23 Martii 1878, Vercellen. Ordinationis seu Excardinationis 9 Iulii 1881.* Iam vero legitimae causae quae oratorem dignum faciunt, ut a decennali domicilio dispensetur in casu haud exulare videntur. Adsunt praeprimis oratoris boni optimique mores, quos in huiusmodi gratiis indulgendis S. C. O. magno in pretio habere solet. Sane Episcopus B. de eo asserit, quum sit iuvenis bonae indolis bonisque moribus praeditus,quod in Episcopali domo fungitur munere Clerici *camerae.* Adest factum, quod idem orator contraxit in civitate B. legale domicilium. Adest sacerdotum inopia, qua dioecesis illa laborat. Expressit insuper desiderium incardinari in hac dioecesi, quae Sacerdotibus indiget. Adest peculiaris circumstantia quod tribus ab hinc annis inter Episcopi familiares annumeratur. Adest tandem favorabile Episcopi B. votum, qui imploratam gratiam a S. C. C. praestolatur. Porro praeclarum Episcopi testimonium eiusque favorabile votum in hisce ac similibus casibus magno in pretio a S. C. C. haberi solere, nemo est qui ambigere valeat.

Rebus sic stantibus EE. PP. prudentiae remissum fuit decernere quo modo oratoris preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re ponderata sub die **20** Maii **1882** censuit respondere:

Pro gratia, emisso ab oratore iuramento de animo permanendi; facto verbo cum SSmo (1).

(1) Eecole App. IV. relatam Vol. XIV. pag. 398, in qua multa collegimus quoad litteras testimoniales et dimissorias, et quoad causas quibus Episcopus fit proprius relate ad sacros ordines conferendos.

EX S. CM EPTORÜM ET REGULARIUM

ROMANA SEU VENETIARUM

FF. MINOR. CAPUCCINORUM S. FRANCISCI SUPER OBLIGATIONE RECITANDI DIVINUM OFFICIUM.

Die 24 Martii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Pater Pacificus a Conegliano, Provincialis PP. Capuccinorum Venetae Provinciae, Beatissimo Patri humiliter exposuit quae sequuntur. Summus Pontifex Pius IX in audientia habita a Secretario s. Congregationis super statu Regularium die 6 Augusti 1858, duobus dubiis a Magistro generali Ordinis Praedicatorum (1) propositis, nempe : I° « *An professi votorum simplicium, quae pro-*

(1) Aliquid praemittendum opportunum censemus ad maiorem rei perspicuitatem. Per Litteras Encyclicas s. Congregationis super statu Regularium diei 19 Martii 1857 quoad vota simplicia constitutum fuit : « Peracta probatione et aovitiatu ad praescriptum s. Concilii "Tridentini , Constitutionum Apostolicarum, et Statutorum Ordinis a s. Sede approbatorum , novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem -annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii ordinis a s. Sede approbatis requiratur: et quoad laicos et conversos , postquam ad eam pervenerint aetatem , quae in Constit. Clementis VIII incipien. *In Suprema* praefinita est. Professi post triennium a die quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est,

fessioni potorum solemnium, iuxta Litteras Encyclicas diei 19 Martii 1857 praemitti debent, teneantur ad officium divinum? 2°. An teneantur ad observantiam Regulae Ordinis, prout solemniter pro f essi? Respondendum mandavit: Ad primum non teneri ad privatam recitationem divini officii, debere tamen choro interesse, ut solemniter professi. Ad secundum affirmative, firma declaratione, iam data quoad votum paupertatis. »

Hinc non parva inter Theologos praedictae Capuccinorum provinciae dissensio orta est super onere divini officii recitandi pro clericis professis votorum simplicium, in Ordine Fr. Minorum. Quidam enim absolute inhaerentes declarationi Pii Papae IX in responsione ad primum dicunt, praedictos clericos non teneri ad officii privatam recitationem, quia praedicta declaratio, utpote generalis, omnes professos votorum simplicium, cuiusque ordinis afficit. Plurimi autem contrariam sententiam tenent. Isti distinguentes inter varias Regularium regulas, non loquendo de institutis quae vota solemnia non habent, observant quod fere in omnium Ordidinum regulis non fit speciale praeceptum divinum officium recitandi, sicuti habetur in regula Fr. Minorum s. Francisci. Pro omnibus Regularibus votorum solemnium obligatio divini officii recitandi tum in choro, tum privatim extra oritur ex antiquissima consuetudine, quae uti aiunt Theologi vim habet legis graviter obligantis. Et haec obligatio pro

proiessio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. » Decreta a Summo Pontifice per has litteras quoad vota simplicia, praemittenda in cursu trium annorum votis solemnibus occasionem dederunt duobus dubiis a Generali PP. Praedicatorum concinnatis, et supra relatis. Necessitas praemittendi tria vota simplicia talis est, ut irritam faciat professionem solemnem, iuxta Constit. ***Ad universalis Ecclesiae*** **Pii IX. « Nos** *v* **igitur cupientes in. re tanti momenti » omnem ambigendi causam in posterum » removere, motu proprio et certa scien- » tia , deque Apostolicae Nostrae po- » testatxs plenitudine, quoad religiosas** *n* **virorum familias cuiuscumque Ordinis,** *v* **Congregationis et Instituti, in quibus » solemnia vota non emittuntur, sta-** *y>* **tuimus ac decernimus nullam omnino,** •*n* **irritam et nullius roboris fore profes- » sionem votorum salemnium. . . factam » a novitiis quibuscumque. . . qui. . . » non emittant prius professionem voto- » rum simplicium , et in ea per trien-** *n* **nium integrum non permanserin-t. »**

singulis praedictorum regularium incipit a die, quo quis statui regulari perpetuo et solemniter se dedit, idest ab eius solemni professione.

Non idem autem dicendum de Fr. Minoribus. Pro istis obligatio divini officii recitandi, non tantum ex antiquissima consuetudine oritur quantum ex gravi praecepto regulae; quod praeceptum aperte declaratum est a Clemente V. *cap. Exivi:* « declaramus quod clerici faciant divinum officium iuxta ritum s. Romanae Ecclesiae sit obligatorium. » Hinc concludendum est quod ex vi regulae omnes professi in Ordine Fr. Minorum s. Francisci tenentur ad officium divinum, Et haec obligatio divini officii recitandi sive in choro, sive privatim pro Fr. Minoribus tunc incipit, quum incipit obligatio regulam observandi; sed et haec obligatio incipit et ab ipsa votorum simplicium professione, uti declaravit Pius IX in responsione ad secundum. Ergo et omnes professi votorum simplicium in Ordine Fr. Minorum tenentur ad recitationem divini officii sive privatam, sive publicam in choro, uti solemniter professi. Hanc sententiam certam habet Minister generalis de Observantia: ait enim de responsione Pii Papae IX ad primum : haec generalis resolutio applicari non potest illis Ordinibus, in quibus forte recitatio divini officii de praecepto iniungitur a regula, uti ex. gr. in Ordine Minorum. Si enim professi votorum simplicium tenentur ad observantiam regulae Ordinis uti solemniter professi, et regula praecipit divini Officii recitationem, evidenter sequitur, simpliciter professos ad illam teneri.

His non obstantibus cum fautores contrariae sententiae in suo sensu persistant, orator obsecrat S. Vestram, ut ad rectam et certam normam agendi praebendam, declarare dignetur dubium in calce expositum.

Pater Minister Generalis rogatus, ut suam sententiam aperiret, audito Definitorio sui Ordinis, retulit: se suosque Definitores quorum audivit votum, s. Sedis responsis acquieturos, cum eidem placeat, professos votorum simplicium ab recitatione privata divini officii dispensare.

Disceptatio syitoptiea

ANIMADVERSIONES P. PROCURATORIS GENERALIS. Retulit hic ahfuisse quando Definitorium generale sui Ordinis controversiam propositam agitavit, sed sibi onus incumbere nonnulla subiiciendi EE. PP. prudentiae ad pro tuendam in sua integritate et vi, regulam s. Francisci. Hinc ait : responsum a sa. me. Pio IX die 6 Augusti 1858 ad primum dubium, nempe : *Non teneri* (professos votorum simplicium) *ad privatam recitationem divini officii* generaliter habitum fuisse ceu authenticam declarationem quoad onus in genere recitandi divinum officium tum in privato, tum in publico, quod inest religiosis Ordinibus, vi perantiquae consuetudinis, quae vim legis obtinuit : non autem ceu declarationem quoad obligationem recitandi divini officii, quae ex. gr. enascitur a receptione ss. Ordinum, vel a lege speciali alicuius Regulae vel Instituti. Quod si dictum responsum haud limitaretur ad obligationem recitandi divinum officium pro Regularibus in genere, quae ex consuetudine enascitur, sed absolutum foret, absurdum pareret ; quia in clerico professo votorum simplicium omnem destrueret legem quoad obligationem officii divini, et quamvis subdiaconus, non obstringeretur ad officium divinum recitandum.

Ex variis responsis ab Apostolica Sede datis, ante responsionem Pii IX, quoad obligationem recitandi divinum officium pro Religiosis Galliarum, eruitur semper servatas fuisse obligationes enatas a Constitutionibus propriis cuiuslibet societatis religiosae. Quomodo ergo dici poterit voluisse Apostolicam Sedem per hoc responsum quasi ad nihilum redigere obligationes promanantes a regulis ipsis particularibus Ordinum Religiosorum, et praecipue ordinis s. Francisci?

Dubium propositum est generale pro omnibus Ordinibus Regularibus, relate ad obligationem divini officii. Sed obligatio divini officii incumbit omnibus Ordinibus religiosis, eo quod descendat ab antiqua consuetudine, quae vim legis ob-

tinuit. Ergo responsum diei 6 Augusti 1858 respexit tantum obligationem recitandi divinum officium, uti generalem pro omnibus Regularibus, vi consuetudinis ; haud respiciens obligationes quoad officium quae inveniri possent apud unum vel alterum Ordinem.

Neque dici potest responsum illud induere caracterem dispensationis, uti aliquis putavit: eoquod deest forma concessionis, quam nemo expetivit, per supplicem libellum. In Ordine Franciscano apud omnes pro certo habetur, quod professi votorum simplicium tenentur ad recitationem divini officii vi solummodo legis peculiaris, seu regulae s. Francisci cap. 3 « *Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae.* » Et ideo Minister observantium in litteris circularibus ad suos religiosos, loquens de responso Pii IX ait: « haec generalis resolutio applicari » non potest illis Ordinibus, in quibus forte recitatio divini » officii de praecepto iniungitur a regula, uti ex. gr. in Or- » dine Minorum. Si enim professi Votorum simplicium te- » nentur ad observantiam regulae Ordinis, prout solemniter » professi, et regula praecipit divini officii recitationem, evi- » denter sequitur, simpliciter professos ad illam teneri. »

In Ordine Conventualium communis generalisque est opinio, responsum diei 6 Augusti haud substulisse, neque infirmasse grave regulae praeceptum, quod omnes obstringit professores ad recitandum divinum officium, tum publice, tum in privato. Eamdem esse sententiam apud Capuccinos in cunctis provinciis, una vel altera excepta. His fretus rationum momentis censuit Procurator iam probatum, quod professi votorum simplicium in Ordine Fr. Minorum obligantur, vi regulae, ad recitationem privatam officii divini, non obstante responso diei 6 Augusti 1858. Quoad eosdem manet in suo robore praeceptum regulae: « *Clerici faciunt divinum officium, iuxta ordinem sanctae Romanae Ecclesiae^ cap. 3.* »

VOTUM CONSULTORIS. (1) Haud comprehendere valeo, ait

(1) Quum res maximi momenti esset resolvenda, eius resolutio commissa fuit pertractanda plenario Auditorio s. Congreg, Ep. et Reg. cum voto Consultoris.

ille, quomodo P. Provincialis venetae Provinciae dubium movere possit, post resolutionem S. C. diei 6 Augusti 1858, qua decisum fuit, professos votorum simplicium, ad quemlibet pertineant ordinem « *non teneri ad, privatam recitationem divini officii: debere tamen choro interesse ut solemniter professi.* » Potissima et unica ratio adducta pro affirmativa eruitur ab onere imposito a regula s. Francisci, quae obligat *sub gravi* religiosum quemlibet ad officium divinum recitandum, dum iuxta responsum S. C. etiam professi votorum semplicium tenentur ad observantiam regulae. Attamen post dictum responsum videri nullam habere vim huiusmodi rationem. Nam non solum religiosi Minores per regulam obligantur ad divini officii recitationem, sed omnes religiosi Ordines sive Monastici sive Mendicantes. Quae obligatio iuxta Theologos et Canonistas descendit ab antiquissima universali que consuetudine vim universalis et generalis "egis obligantis habente: vi cuius sancti fundatores in suis regulis imposuerunt, vel ad memoriam revocarunt huiusmodi onus, iam praeexistens. Et re quidem vera nedum regula s. Francisci, sed etiam regulae s. Augustini et s. Dominici hanc imponunt obligationem. Et ideo omnes religiosi huic subiiciuntur obligationi, vi- professionis solemnis, haud exclusis monialibus, ceu declaratum fuit in una *Cenomanen diei 19 Aprilis 1844.* Proposito enim dubio: « An Moniales in genere stricte teneantur sub gravi, vi professionis earumdem ad recitationem divini officii. » Emi Patres, referente Emo Polidori, rescripserunt: *«.Affirmative quoad moniales,vota* ***So-*** *lemnia professas, iuxta regulam ab Apostolica Sede approbatam, in qua huiusmodi onus imponitur.* »

Hisce praenotatis, ait Consultor, haud videre mihi est quomodo Patres Capuccini, qui eunt in affirmativam sententiam, asserere valeant *non idem dicendum est de fratribus Minoribus;* quasi ipsi soli regulam haberent, aut obligatio quae inest omnibus professis aliorum ordinum, minoris sit ponderis et gravitatis **illa,** quam Minores habent sub gravi in vim professionis religiosae.

Quamobrem dico, ait Consultor, quod s. Congregatio cum resolverit, approbante Summo Pontifice, professos votorum simplicium non teneri ad privatam recitationem divini officii, probe noverat quidquid relate ad hoc praescriberent diversorum Institutorum regulae ; et consequenter quando emisit istam generalem et praecisam resolutionem *non teneri, saltem implicite, et quatenus opus fuisset,* dispensavit quoque a Regula; ceu quoque dispensavit Pius IX quum emanavit notas reformationes, ab aliis Regulae partibus, quae admissionem et professionem religiosorum tangunt.

Praeterea opportunum animadvertere mihi videtur, quod si Regula s. Francisci obligationem imponat sub gravi recitandi divinum officium, nulla in hoc praecepto adest differentia ab aliis fratribus, quoniam religiosi omnes absque distinctione, *in vim* solemnis professionis, multique etiam in vim propriae regulae graviter obligantis, obstringuntur ad recitandum divinum officium sub lethali. Cum ergo pro omnibus et in genere declaratum fuerit, huiusmodi obligationem haud tangere professos votorum simplicium, ita dici debet, eamdem obligationem non tangere neque fratres Franciscales; quod si obligatio haec relinquenda esset pro istis, a pari extendi deberet etiam pro aliis omnibus.

Neque abs re est animadvertere quod si obligatio, imposita a Regula, habenda esset plene distincta a lege universali obligatoria, grave enasceretur monstrum : nempe professus, ad ordines *sacros inde promotus, omittendo divini officii recitationem, duobus oneraretur lethalibus. Quia duplex violaret praeceptum, si non materialiter, tamen formaliter distinctum ; ceu moralistae autumant quoad ieiunii violationem pro Franciscalibus in die ieiunii, per legem ecclesiasticam constituti. Praeterea nullus ex ordinibus monasticis, aut mendicantibus, quod sciam, dubium habuit circa clarissimam decisionem s. Congregationis, cunctique eamdem habuerunt pro reali exceptione, favore solummodo Professorum votorum simplicium, peracta.

Idemque P. Generalis Capuccinorum cum suo definitorio

impere videtur, in suo voto, ut professi votorum ' simplicium sui Ordinis dispensarentur ab obligatione privata divinum recitandi officium. Atqui SSmus Pater, ceu dictum est, dispensando professos votorum simplicium a privata recitatione officii divini, *saltem implicite* dispensavit a diversis regulis, hoc onus'habentibus. Quapropter, conclusit consultor, **nihil** aliud exposcendum esse videtur, tutoque standum generali resolutioni. Hinc proposi!um dubium dimittendum fuisse censuit hoc responso: « etiam professi votorum simplicium in Ordine fr. Minorum, non obstante propria regula, stent resolutioni huius sacrae Congregationis diei 6 Augusti 1858, nempe non teneri ad privatam recitationem divini officii.*

Quibus aliisque praenotatis, sequens propositum fuit dirimendum

BÎ u ii Sum

An Professi votorum simplicium in Ordine Minorum ex vi regulae teneantur ad privatam recitationem divini officii, ut solemniter professi.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. re discussa, suh die 24 Martii 1882 censuit esse respondendum.

Non teneri, ad normam rescripti diei 6 Augusti anni 1858.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Professos votorum simplicium cuiuscumque ordinis, haud exceptis Minoribus, non teneri ad recitationem privatam divini officii.

II. Nam FF. Minores, obligantur ad recitationem divini officii ceu obligantur Dominicam, Benedictini, Augustiniani; hinc si alii ab onere divini officii liberantur, etiam Capuccini dispensati fuerunt cum aliis a Summo Pontifice per resolutionem anni 1858.

MELITEN.

FUNERUM SUPER INTERPRETATIONE RESOLUTIONIS.

Die 22 Septembris 1882.

COMPENDIUM FACTI. In una *Caven et. Sarnen. Funerum et emolumentorum,* diei **17** Septembris **1880,** quatuor resoluta fuere dubia, a Revmo Patre Provinciali Minorum Observantium proposita huic S. Congregationi **(1).** In lectorum commodum heic escribimus dubia ista et resolutiones tunc editas :

I. *An et cui ius competat comitandi cadavera ab Ecclesiis Regularium, quo collata fuere ad explenda funebria, ad commune coemeterium, ubi sepeliri debent.*

II. *An parochi ius habeant- percipiendi emolumenta quae ab haeredibus dantur Sacerdoti ista Gomitanti cadavera ad coemeterium.*

III. *An Religiosi in associatione cadaverum, de quibus agitur, accersere debeant Parochum pro comitandis defunctis ad coemeterium.*

IV. *An Regulares incedere possint cum stola et cruce conventuali usque ad sepulchrum, sive autem utrumque Signum, deponere debeant in transitu per paroecias, resumendum postea in coemeterio?*

Sacra Congr. Ep. et Reg. sub die **17** Septembris **1880'** censuit respondere :

Ad I. *Affirmative favore Regularium*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, sine pompa et recto tramite.*

Quum haec dubia et resolutiones nonnullis innotuerint Parochis melitensibus , recursum habuerunt apud eamdem.

(I) Quaestio haec, quam recolere adprecor, relata fuit Vol. XIII, 416.

s. Congregationem Ep. et Reg. ut certiores fierent an resolutiones praedictae sibi quoque applicari deberent, nonnulla exhibentes, ut évincèrent easdem resolutiones illos non pertingere. Et primo attulerunt dispositionem Gubernii civilis, diei 10 Maii 1869, quae sic se habet: cuilibet personae, aut Congregationi Romanae Ecclesiae, unam aut plures possidentibus sepulturas, gratis concedetur locus, si expetatur, in coemeterio extra civitatem extracto. Hinc asseruerunt parochi iidem, cadaverum elationem, de consensu ecclesiasticae auctoritatis, a loco mortis ad ecclesiam pro funeribus explendis designatam, et ab hac ecclesia ad coemeterium, vel ad alium sepulturae locum, fieri solitam fuisse a proprio Parocho vel ab alio sacerdote delegato usque ad ultimum tempus.

Commune enim dictum coemeterium semper habitum est ceu iurisdictioni parochorum obnoxium ; aiente Episcopo, parochos posse inibi exercere actus iurisdictionis veluti in paroecia. Ius hoc praeterea ipsum recognovit gubernium civile, a quo aliquid rependitur Parochis, pro qualibet associatione ad coemeterium, absque exceptione quoad laicos aut saeculares. Et quamvis PP. Capuccinis concredita sit coemeterii custodia, tamen Ordinarii iussu, emolumenta a funeribus provenientia parocho cedere debent; ex quo inferunt quod parochus ipse cadavera resumens ab Ecclesia Funerum, ut ad coemeterium comitetur, resumit ut eadem ducat ad locum, qui fictione iuris habetur veluti pars districtus paroecialis, et in quo absurdum iuridice foret, alios exercere iurisdictionem. Animadvertunt insuper parochi iidem, huiusmodi iure perfruitos fuisse, etiam ante novi coemeterii erectionem.

Quum quaestio haec pertractari deberet plenis comitiis, iter ad iuridicam disceptationem paratum fuit per duos consultores, ad id deputatos.

5iiscej»t»tá© sinóptica

VOTUM PRIMI CONSULTORIS. Notiones quasdam canonicae iurisprudentiae praemisit ille, ut applicationem casui inde perageret. Imprimis ait: ex iure certum est quod unusquisque sit sepeliendus ubi sacramenta debet percipere : quia utrumque est ius parochiae, scilicet et sacramenta administrare et mortuos sepelire; *caio, ex parte* et *cap. in nostra de sepulturis.* Bonifacius VIII. autem in *cap. 1 de sepulturis in 6.* « Si religiosi, vel clerici parochianos alienos prae- » sumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum cor- » porum, si petantur, quam etiam omnium quae occasione » sepulturae illorum pervenerint, quomodolibet ad ee?»lem » infra decendium integraliter faciendam ipsos obligatos esse » censemus. »

Et S. Congr. Con. in *Derthonen. Spolii, manutentionis ac reintegrationis die 24 Martii 1821,* et in *Camerinen.* Funerum 23 Iunii 1821 constituit: *consonum constanti S. C. Concilii doctrinae, post excitatas coemeteriorum constructiones, parochorum ius, circa emolumentorum perceptionem, sartum tectumque servandum esse.*

Ex eo autem quod Ecclesia Regularium ius habeat explendi funus, haud descendit, quod iidem Regulares frui debeant etiam iure tumulandi; S. C. C. in *Ariminen.* Funerum diei 16 Iunii 1827 admisit *quod latum intercedit discrimen inter ius funerandi et ius sepeliendi; nec unum est alterius accessorium.* Haud obliviscendum est, adiecit Consultor, in materia funerum magni ponderis esse consuetudinem pacificam, et optimae observantiae: et sacras Congregationes passim innuere multum esse deferendum consuetudini in materia funerum. Notandum etiam venit, familias religiosas aliquando privilegiis frui pontificibus, vi quorum excipiuntur a iurisdictione parochiali quoad funera confratrum, et quoad sepulturas in ecclesiis suorum ordinum.

Ex quibus praenotatis collegit consultor, ius absolutum

pro parochis manet quoad associationem, funera, et tumulationem cadaveris, quoties invocari nequeat privilegium, consuetudo, vel peculiaris petitio. In casu autem, praeter ius, pro parochis existens, adest consuetudo, observantia roborata, et ideo favore parochorum concludo, ait Consultor, ut manuteneantur in suo iure, donec regulares privilegia aut consuetudinem contrariam adducant; nihil obstans resolutio s. Congregationis diei **17** Septembris **1880,** quae respicit tantum casum peculiarem examini subiectum **(1).**

VOTUM SECUNDI CONSULTORIS. Animadvertit hic contra, quod etsi resolutiones sacrae Congregationis diei **17** Septembris **1880,** de quibus sermo est, emissae fuerint in casu particulari, tamen vim exerunt etiam in aliis similibus casibus; ita ut normam constituant generalem. Sunt enim declarationes communium regularum, seu dispositionum iuris canonici quoad ius Regularibus inhaerens sepeliendi fidelium cadavera; quatenus in ipsis religiosorum Ecclesiis sepulturam sibi iidem fideles elegerint. Quod ius sepeliendi in coemeterio exercetur, si ecclesiae suffectum fuerit coemeterium publicum; ceu pluries haec et Concilii S. Congregatio declararunt « Ecclesia quae ius habebat tumulandi in pro- » priis sepulturis, nunc ius istud exercet in publico coeme- » terio; erectione coemeteriorum locus sepulturae materialiter » tantum mutatus est, ius vero sepeliendi integrum mansit. » Omnia haec, et alia quae omittimns, innuunt, resolutiones redditas ab hac S. Congregatione sub die **17** Septembris **1880,** normam constituere generalem, etiam Melitae applicabilem.

Duo, ait Consultor, esse rationum momenta, quibus innixi parochi autumant, resolutiones praefatas applicari non posse Melitae:

(1) Confer, quaeso, Appendicem III relatam Vol. X pag. 492; in qua loquuti sumus de vi obligandi, quam exerunt resolutiones S. C. Concilii. In ea, innixi saniori DD. sententiae, tenuimus resolutiones illius Congregationis vim legis generalis habere. Pro certo habemus idem dici posse de omnibus Romanis Congregationibus, quae de mandato et nomine R. Pontificis agunt leges dubias interpretando. Et ideo quod enucleatur pro casu proposito applicari debet, ceu lex generalispmnibus casibus similibus; quod non tenuit primus Consultor.

1. Publicum coemeterium semper habitum fuit uti subiectum parochorum iurisdictioni; et *fictione iuris* ceu pars districtus parochialis: hinc absurdum foret, alios inibi exercere actus iurisdictionis. Respondit Consultor ita argumentum retorquendo : relate ad sepulturas Ecclesiarum Regularium publicum coemeterium, iuxta ss. Congregationum resolutiones, *fictione iuris* considerari debet veluti obnoxium Regularium iurisdictioni, et ceu pars districtus exempti. Igitur iuridice absurdum foret, quod parochi ibidem exercerent iurisdictionis actus. .Dispositiones vero tum gubernii civilis, tum Episcopi nil in themate prosunt, eoquod cedere debeant dispositionibus Apostolicae Sedis. Praeterea si probe expendantur dispositiones gubernii civilis, et Ordinarii haud excludunt hoc ius, sed includunt.

2. Ratio adducta a Parochis melitensibus est quod ius comitandi cadavera ab Ecclesiis Regularium ad coemeterium, nunquam anteacto tempore in dubium revocatum fuit. Hanc, respondit Consultor, esse eamdem rationem adductam a Parochis Cavensibus: nam isti excipiebant cadavera ad portas Ecclesiarum, ut ad coemeterium ducerent: et ius hoc recognitum fuit a Guardianis pro tempore, usque ad annum anteactum. Hisce non obstantibus, Emi Patres die **17** Septembris **1880** rescripserunt favore Regularium. Sic eadem deductio haud obstat quod resolutio ipsa applicari possit etiam Melitae, postquam certum est, parochos sibi tribuisse ius proprium Regularium.

Hisce praenotatis EE. Patrum iudicio submissum fuit enodandum sequens

An resolutiones huius s. Congregationis in Caven, et Sarnen, seu Ordinis Minorum Observantium> Funerum et emolumentorum diei 17 Septembris 1880 applicari possint Melitae Ì

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. re perpensa, sub die **22** Septembris **1882,** censuit respondere :

Affirmative.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Sacras Congregationes de mandato et nomine R. Pon-ieficis agentes enucleare, et determinare quodnam sit ius pro omni casu consimili, quando iudicant de postulatione aut de facto particulari.

II. Quamobrem, iuxta saniorem DD. sententiam, resolutiones ss. Congregationum, etsi redditas pro casibus singularibus, vim legis generalis habere, et pro casibus consimilibus obligare.

III. Huiusmodi sententiam firmari per resolutionem in casu datam; nam decernitur resolutionem redditam in *Caven.* et *Sarnen,* applicari debere casui Parochorum melitensium, primo consimili.

IV. Proinde coemeterium publicum considerari, *fictione iuris,* posse ceu partem districtus paroecialis quoad illos, qui propriam sepulturam non habent; non vero quoad sepulturam habentes in Ecclesiis exemptis: nam etiam pro istis coemeterium, publicum fit, fictione iuris, pars districtus Ecclesiae exemptae; et Regulares solummodo ius habent concitandi cadavera ab eorum Ecclesiis ad coemeterium publicum, absque parocho.

APPENDIX IV.

IN QUA REFERUNTUR OFFICIA ET MISSAE SANCTORUM, QUORUM FESTA EXTENSA FUERUNT AD UNIVERSALEM ECCLESIAM A SSMO. D. N. LEONE PAPA XIII»

Officia Sanctorum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per Breve diei XXVIII Julii MDCCCIiXXXII ad universalem Ecclesiam extensa

DIE ix FEBRUARII

S. CYRILLI EP. ALEXANDRINI

CONFESSORIS ET ECCLESIA DOCTORIS

DUPLEX

Omnia de Communi Confess. Ponti f., praeter seq.

In hymno Iste Confessor *mutatur tertius versus.*

In utrisque Vesperis ad Magnificat Antiphona O Doctor.

Oratio

Deus, qui beatum Cyrillum Confessóreni tuum atque Pontificem divinae maternitatis beatissimae Virginis Mariae assertórem invictum effedsti: concede, ipso intercedente; ut qui vere eam Genitricem I»ei credimus, materna eiusdem protectione sal» vémur. Per eumden Dominum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente: in Quadragesima Sapientiam, *pro Doctoribus.*

IN IL NOCTURNO.

Lectio iv.

Cyrillus Alexandrinus , cuius: praecónia non unius tantum vel alterius sunt comprobata testimonio, sed etiam oecumenicorum Conciliorum Ephesini et Chalcedonensis actis celenw*i, claris ortus parentibus, ac Theóphiii Episcopi Alexandrini nepos, adhuc adulescens praecellenti^ ingenii clara specimina dedit. Litteris ac scientiis egregie imbutus, ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum se contulit, ut in Christiana fide perficeretur. Alexandriam deinde cum rediísset, Theóphilo vita functo, ad illius sedem evectus est; quo in munere ita optimi pstóris formam ab Apóstolo definitam constanter praesétulit, ut sanctissimi praesulis gloriam merito sit adeptus.

Lectio **v.**

Salutis animarum zelo incensus curas omnes intendit, ut sibi commissum gregem in fidei et

morum integritate servaret, atque a venenátis infidelium et haereticorum pascuis defenderet. Hinc tum Nováti [asseclas e civitate expelli, tum iudaeos qui furore acti in caedem christianorum conspiraverant, iuxta leges puniri sategit. Singulare vero Cyrilli pro catholicae fidei incolumitate enituit studium contra NestóriumConstantinopolitánum Episcopum, asseréntem Iesum Christum ex Maria Virgine hominem tantum et non Deum natum, eique divinitatem pro meritis esse collatam ; cuius emendationem cum frustra tentasse!,eum sancto Celestino Pontifici Máximo denuntiavit.

Lectio vi.

Celestini delegata auctoritate, Concilio Ephesino praefuit, in quo haeresis Nestoriána penitus proscripta est, damnatus Nestórius et a sua sede deiectus, ac dogma catholicum de una in Christo , eaque divina persona, et divina gloriósoeVírginis Mariae maternitate assertum; plaudente pópulo universo, qui incredibili gaudio géstiens , colllucéntibus facibus domum deduxit Episcopos. Sed hac de causa Cyrillus calumniis, iniuriis et persecutionibus plurimis a Nestório eiusque fautoribus impetitus fuit ; quas ipse patientissime tulit, ita ut de sola fide sollicitus, quidquid i>(!\orsus emi eiïutiébant ac moliebántur haeretici, pro nihilo haberet. Tandem pro Ecclesia Dei maximis perfunctus laboribus, plurimisque scriptis editis tum ad ethnicos et haereticos corífutándos, tum ad sacras Scripturas et catholica explananda dogmata, sancto fine quievit anno quadringentésimo quadragesimo quarto, episcopatus trigésimo secundo. Leo decimus tertius Pontifex Maximus Officium et Missam praeclarissimi huius fidei catholicae propugna tóris et Orientalis Ecclesiae luminis, ad Ecclesiam universam extendit.

In iii. Nocturno. Lectiones de Homilia S. Augustini Episcopi Ostendit Dominus *inEvangelium* Vos estis sal terrae, *pro Doctoribus, eum viii. Resp.* In medio.

DIE XVIII MARTII.

S. CYRILLI EP. HIEROSOLYMIS

CONFESSORIS ET ECCLESIAE DOCTORIS.

DUPLEX

Omnia de Communi Conf .Pont., praeter sequentia. *

In utrisque Vesperis ad Magnificat Antiph. O Doctor.

Oratio

Da nobis,quaesumus omnipotens Deus, beato Cyríllo Pontífice intercedente, Te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum ita cognoscere; ut in-

ter oves, quae vocem eius audiunt, perpetuo connumeran mereámur. Per eumdem Dominum.

In I. Nocturno.Lectiones Fidelis «ermo *de Comm. I. loco: extra Quadragesimam de Scriptura 4)ccurr.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Cyrillus Hierosolymitanus, a teneris annis divinarum scripturarum studio summopere deditus, adeo in earum scientia profecit, ut orthodoxae fidei strenuus assértor evaserit. Monasticis institutis imbutus, perpetuae continentiae, omnique severióri vivendi rationi se addictum voluit. Postquam a sancto Máximo Hierosolymae Episcopo presbyter ordinatus fuit, munus verbi divini fidelibus praedicandi et catechumenos edocendi summa cum laude implevit, atque illas vere mirandas conscripsit catecheses, quibus totam ecclesiasticam doctrinam dilucide et copióse complexus, singula religionis dogmata contra fidei hostes" solide propugnavit. Ita vero in his enucleate et distincte disseruit, ut non solum iam exortas haereses, sed futuras etiam quasipraeságiens evérterit,quemádmodum praestitit asserendo Corporis et Sanguinis Christi realem praesentiam in mirabili Eucharistiae sacramento. Vita autem functo sancto Máximo, a provinciae episcopis in illius locum suffectus est.

Lectio v.

In Episcopatu iniurias multas et calamitátes, non secus ac beatus Athanasius, cui coaevus erat, ab Arianórum factionibus fidei causa perpessus fuit. Hi enim aegre ferentes Cynllum vehementer haerésibus obsistere, ipsum calumniis aggrediuntur, et in conciliábulo depositum e sua sede detúrbant. Quorum furóri ut se subtrahere!, Tarsum Ciliciae aufugit, et quoad vixit Constantius, exilii rigorem pertulit. Post illius mortem, Iuliano Apostata ad imperium evecto, Hierosólyman redire potuit, ubi ardenti zelo gregi suo ab erroribus et a vitiis revocando operam navavit. Sed iterum, Valente Imperatóre, exuláre coactus est, donec, reddita Ecclesiae pace per Theodósium Magnum, et Arianórum crudelitáte audaciáque reprèssa , ab eodem Imperatóre tamquam fortissimus Christi athléta honoribus susceptus suae sedi restitutus fuit. Quam strènue et sancte sublimis officii sui munia impleverit, luculenter apparet ex fiorenti tunc temporis Hierosolymitanae ecclesiae statu, quem sanctus Basilius loca sancta veneraturus, ibi aliquándiu commoratus, describit.

Lectio vi.

Venerandi huius Praesulis sanctitatem caelestibus signis a Deo fuisse illustratam, memoriae traditum accepimus. Inter haec recensetur praeclara Crucis, solis radiis fulgentióris, apparilo, quae episcopatus eius initia decoravit. Huiusmodi prodiga ethnici et christiani testes oculares fuerunt cum ipso Cyríllo, qui gratiis primum in Ecclesia Deo redditis, illud per epistolam Constántio Imperatóri narravit. Nec minus admiratione dignum, quod Iudaeis templum a Tito eversum restaurare ex impio Imperatoris Iuliani iussu conántibus, evenit. Vehementi enim terraemotu obórto,et ingentibus flammárum globis e terra erumpéntibus, omnia ópera ignis consumpsit, ita ut Iudaei et Iulianus detérriti, ab incepto destiterit; prout scilicet indubitanter futurum Cyrillus praedixerat. Qui demum paulo ante obitum Concilio Constantinopolitano secundo interfuit, in quo Macedónii haeresis, et iterum Ariana condemnata est. Ac Ierusalem inde reversus, fere septuagenarii, trigesimo quinto sui episcopatus anno, sancto fine quievit. Eius Officium ac Missam Leo decimus tertius Pontifex Maximus ab universa Ecclesia celebrari mandavit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap. 10.*

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Et reliqua.

Homilia sancti Athanásii Episcopi.

In Apol. de fuga sua, ant. med.

In lege praeceptum erat ut constituerentur civitates refugerunt, ut qui, quomodocumque ad necem quaereréntur, servari possent. In consummatione porro saeculorum, cum advenisset illud ipsum Verbum Patris, quod Moysi antea locutum fuerat, rursus hoc praeceptum dedit: Cum vos, inquiens, persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Paulóque post subiicit: Cum videritis illam abominationem.desolationis, quae dicta est per Danielem prophetam, consisten tem in loco sancto (qui legit, intelligat), tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto est, ne descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.

*Lectio viii**

Haec cum scirent sancti, eiusmodi tenuerunt suaa conversationis institutum. Quae enim nunc praecepit Dominus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in sanctis: et hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus iusserit, id omnín© faciendum est. Ideoque et ipsum Verbum propter nos homo factum, non indignum putavit, cum quaereretur, quemadmodum et nos, abscondere se, et cum persecutionem pateretur, fugere, et insidias declinare : cum autem a se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultro seipsum tradidit insidiantibus.

In medio, *pro Doctoribus.*

Lectio ix.

At vero sancti homines cum hanc quoque formam a Salvatore didicissent, (ab ipso enim et antea et. semper omnes ducebantur) adversus persecutores ut legitime certárent, fugiebant, et ab illis quaesiti, se abscondébant. Cum enim praestitisti sibi a divina providentia temporis finem ignorarent , nolebant insidiantibus se temere tradere: sed contra, cum scirent quod scriptum est, in manibus Dei esse hominum sortes, et Dominum mortificare et vivificare, potius in finem usque perseverábant, circumeuntes, ut ait apostolus, in melotis et pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, et in speluncis et cavernis terrae latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel, qui tempus ipsum definierat, Deus cum eis loqueretur, et insidiantes cohibéret, aut certe persecutoribus eos traderet, utcumque illi placuisset.

DIE XIV APRILIS.

SANCTI IUSTINI

MARTYRIS

DUPLEX

Omnia de Comm. unius Mart., praeter seq.

Oratio

Deus, qui per stultitiam crucis, eminentem Iesu Christi scientiam beatum Iustinum Märtyrern mirabiliter docuisti: eius nobis intercessióne concede; ut, errorum circumventióne depülsa, fidei firmitatem consequamur. Per eumdem Dominum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Iustinus Prisci filius ex graeco genere Fláviae Neapolis in Syria

Palestina natus adolescéntiam in litterarum omnium studiis transégit. Vir factus adeo philosophiae amóre correptus est, ut ad veritatem assequendam, quotquot aderant, philosophorum sectis nomen dederit, eorumque praecepta scrutatus sit. Cum in his fallacem tantum sapientiam errorémque reperisset, superna illustratione per senem quemdam ignotum, aspectüque venerabilem edoctus, verae christianae fidei philosophiam amplexus est. Hinc sacrae Scripturae libros diu noctuque prae manibus habens, ita ex eorum meditatione divinus ignis in ánima eius exarsit, ut ea qua pollebat eruditionis vi, eminentem Iesu Christi scientiam adeptus, plurima conscripserit volumina ad Christianam fidem exponendam, magisque propagandam.

Lectio v.

Inter praeclarissima Iustini opera binae eminent Fidei Christianae Apologiae, quas cum coram Senatu Imperatóribus Antonino Pio, eiusque filiis, necnon Marco Antonino Vero, et Lucio Aurelio Cómmodo Christi asseclas savissime divexántibiis porrexísset , eamdemque iidem disputando strènue propugnásset, obtinuit ut a Christianorum caede público Principum edicto temperátum fuerit. Verum Iustino haud parei tum est.Nam Crescéntis Cynici, cuius vitam et mores nefarios redargüérat, insidiis accusatus, a satellitibus comprehensus est. Adductus autem ad Romae Praesidem nomine Rusticum, cum hic ab eo quaesivisset quaenam essent Christianorum praecepta, hanc bonam confessionem coram multis testibus confessus est.Reetum dogma, quod nos Christiani **ho**mines cum pietate servamus, hoc est : ut Deum unum existimamus factorem atque creatorum omnium quae videntur,quaeque corpóreis oculis non cernuntur; et Dominum Iesum Christum Dei Filium confiteamur olim a Prophetis praenunciátum, qui et humani generis iudex venturus est.

Lectio vi.

Quoniam Iustinus in prima sua pologia palam exposuerat quomodo Christiani convenirent ad sacra celebranda, et quaenam fuerint sacri huius conventus mysteria ad repelléndas ethnicórum calumnias, exquisivit ab eo Praeses in quonam loco conveniret ipse et ceteri huius Urbis Christifideles. Iustinus autem réticens conventuum loca ne sancta et fratres proderet canibus domicilium tantum suum indicavit, ubi manere, et discipulos excolere solebat penes celebrem titulum Pastoris in aedibus Pudéntis. Demum Praeses optionem ei dedit vel ut diis sacrificaret,

vel per totum corpus flagellis caedi perférret. Cum invictus fidei vindex asséreret se in votis semper habuisse cruciátuspérpeti propter Dominum Iesum Christum, a quo magnam in caelis mercedem consequi expectábat, Praeses in eum capitalem sententiam pronunciavit. Itaque mirabilis Philósophus Deum colláudans, post verbera, fuso pro Christo sanguine, glorioso martyrio coronatum est. Quidam vero fideles clam illius sustulerunt corpus , et in loco idoneo condiderunt. Leo decimustertius Pontifex Maximus eiusdem Officium et Missam ab universa Ecclesia celebrari praecepit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap. 12.*

In illo témpore:Dixit Jesus discipulis suis: Nihil opertum est quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chrysost.

Horn, in c. x. Matth. 26 seq.

-vrihil est opertum quod non revelábitur, nec occultum quod non scietur. Quod autem dicit huiusmodi est: sufficit quidem vobis ad consolationem si ego Magister et Dominus consors sim conviciorum. Si vero adhuc doleatis haec audientes, illud quoque ánimo reputate, vos non multum postea ab hac suspicióne liberatum iri. Cur enim id aegre fertis? Quia praestigiatóres et deceptores vos vocant? At paululum expectáte, et servatóres, benefactorésque orbis vos praedicabunt omnes. At enim tempus illa omnia, quae subobscura erant, revelabit, et illorum calumniam déteget, virtutémque vestram conspicuam reddet. Cum enim ex rebus ipsis comprobabimini salvatores esse et benefici, et omni virtute conspicui, illorum dictis homines non attendent, sed rei veritati: ac illi quidem sycophántae, mendaces , maledici, vos vero ipso sole splendidióres deprehendémini : multum quippe temporis spatium vos notos reddet, praedicabis et tuba clariorem emittet vocem, vestraeque virtutis testes universos homines exhibebit. Ne itaque ea, quae nunc dicuntur, vos deiiciant, sed spes futurorum bonorum erigat. Non possunt enim ea, quae ad vos spectant, occultare

Lectio viii.

Deinde postquam illos omni angore, timóre, et sollicitudine liberavit, et probris omnibus superiores reddidit, demum illos opportune de libertate praedicandi alloquitur; nam dicit: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine ; et quod in aure auditis,

praedicate super tecta. Quamquam non erant tenebrae cum haec diceret, neque ad aurem loquebatur: sed haec hyperbólice dicta sunt. Quia enim solos alloquebatur, et in parvo Palestinae ángulo, ideo dicit: in tenebris et in aure, hunc loquendi modum comparans cum loquendi fiducia, qua illos postea instructurus erat. Ne in una, duabus tribusque civitatibus, sed per totum orbem praedicate, terram máreque peragrantes , habitátam , non habitátam, ac tyrannis, populis, philósophis, rhetóribus cum magna fiducia omnia dicite. Ideo dixit super tecta et in lumine sine ullo subterfugio, et cum omni libertate.

Lectio ix.

In Quadragesima de Homilia Feriae: extra Quadragesimali de Sanctis Martyribus, ut in Breviario Romano.

Ubi alia die celebrandum sit, ix. Lectio erit sequens:

Deinde postquam illorum erexit ánimos, rursum pericula praedicit, illorum mentem erigens, omnibusque sublimióres reddens. Quid enim ait ? Nolite timere eos qui occidunt corpus , animam autem non possunt occidere. Viden? quomodo illos ómnibus superiores reddat, non curas modo, non maledicta, pericula, invidias, sed etiam mortem omnium terribilissimam contemnere docens? Neque simpliciter mortem , sed etiam violentam ? Neque dixit, occidémini, sed cum magnificentia congruente totum declaravit. Nolite timere, dicens, ab iis qui occidunt corpus , animam autem non possunt occidere: sed potius, Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam: in contrarium vertens sermonem, uti semper facit. Quid enim sibi vult? Timetis mortem, ideoque ad praedicandum segnióres estis? Sed hac de causa potius praedicate, quia mortem timetis. Illud enim vere vos a morte eripiet. Nam etiamsi vos interemptúri sunt, meliorem tamen partem non separabunt, etiamsi id totis viribus conentur. Ideo non dixit: Animam autem non occidunt; sed : Non possunt occidere. Nam etiamsi velint, non separabunt. Itaque si supplicium times, illud longe gravius time. Viden quomodo non promittat, se illos a morte liberatúrum esse, sed mori permittit, maiora largiturus quam si id non permitteret? Longe enim maius est suadere ut mors spernatur, quam a morte eruere.

DIE XXVIII MAII.

SANCTI AUGUSTINI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

DUPLEX

Omnia de Comm. Confess. Pontif., praeter seq.

In hymno Iste Confessor *mutatur tertius versus.*

Oratio

Deus, qui Anglorum gentes, praedicatione et miraculis beati Augustini Confessoris tui atque Pontificis, verae fidei luce illustrare dignatus es: concede; ut, ipso interveniente, errantium corda ad veritatis tuae redeant unitatem, et nos in tua simus voluntate concordes. Per Dominum.

In I. Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Augustinus Romae in Lateranensi coenobio monachus, a Gregorio Magno cum sociis monachis fere quadraginta in Angl iam missus est anno quingentésimo nonagésimo séptimo, ut gentes illas ad Christum converteret. Erat eo tempore rex Ethel-l\értus in Cántio potentissimus, qui, audita adventus Augustini causa, eum cum sociis Cantuáriam, sui regni metropolim, invitavit ibique manendi et Christum praedicandi facultatem eidem liberaliter concessit. Quare sanctus vir prope Cantuáriam oratorium exstruxit, ubi ipse aliquamdiu consedit, atque Apostolicam vivendi rationem cum suis aemulátus est.

Lectio v,

Caelestis doctrinae praedicatione plurimis firmata miraculis, ac vitae exemplo sic insulanos illos demúlsit, ut eorum plerosque ad Christianam fidem perdúxerit, ac demum regem ipsum, quem cum innúmero suorum comitatu sacro fonte lustravit,summa cum laetitia Berthae regiae uxoris, quae christiana erat. Olim in Natali Domini, cum decem millibus et amplius baptismum in álveo fluminis Eboráci contulisset , quotquot ex iis morbo aliquo affecti erant, cum animae salute, corporis quoque sanitatem recepisse memoriae próditum est. Iussu Gregorii ordinatus Episcopus, sedem Cantuáriae instituit in Ecclesia Salvatoris a se erecta, iniqua monachos operis sui subsidiarios collocavit ; et sancti Petri monasterium, quod postea et a suo nomine dictum est, in suburbanis construxit. Idem Gregorius usum Pálii cum facultate ecclesiasticae hierarchiae in Anglia instituendae ei concessit, quo novam etiam operario-

rum manum misit, nempe Melïitum, iustum, Paulinum, et Ruíiniánum.

Lectio vi.

y\ispósitis eius Ecclesiae rebus, *JJ*synodum habuit Augustinus cum Episcopis atque Doctoribus veterum Britónum, qui in Paschae celebratione aliisque ritibus ab Ecclesia Romana iamdudum dissidébant. Sed cum eos neque Apostolicae Sedis auctoritate, neque miraculis movere posset ut dissidio cessèrent, prophetico spiritu eis excidium praenunciávit. Dénique maximis pro Christo exantlatis laboribus, miraculis clarus, cum Mellitum Londinénsi Ecclesiae praefecisset, Iustum Roliensi, suae Laurentium, in caelum migravit septimo kalendas Iunias, Ethelbérto regnante, ac sepultus est in Monasterio sancti Petri, quod exinde Cantuariénsium Antistitum et aliquot Regum conditórium fuit. Eius cultum fervènti studio prosequuta sunt Anglorum gentes, ac Leo decimus tertius Pontifex Maximus eius Officium et Missam ad universam extendit Ecclesiam.

In H. Nocturno Lectiones de Homilia in Evang. Designavit Dominus, *de Comm. Evangelidarum.*

DIE XIV NOVEMBRIS.

SANCTI IOSAPHAT

EPISCOPI ET MARTYRIS

DUPLEX

Omnia de Comm. unius Martyris Pont. praeter seq.

Oratio.

Excita, quaesumus Domine, in Ecclesia tua Spiritum, quo repletus beatus Iosaphat Martyr et Pontifex tuus animam suam pro ovibus posuit: ut, eo intercedente, nos quoque eodem Spiritu moti ac roborati, animam nostram pro fratribus ponere non vereámur. Per Dominum ... in unitate eiusdem Spiritus.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Iosaphat Kuncewítius nobilibus et catholicis parentibus Vladimiriae in Volhinia natus, cum puérulus matrem de Christi passione loquentem audiret, iaculo a latere imaginis Iesu Crucifixi immisso, vulnus in corde suscepit. Dei amóre incensus, adeo orationi aliisque piis operibus instare coepit, ut provectioribus adolescentibus exemplo et admirationi esset. Vicénnis inter claustrales sancti Basilii alumnos **monasticam** regulam professus

mirum quos in evangélica perfectione progressus fecerit. Nudis pedibus frigidissima licet sae viente regionis hyeme, incedebat: carnes numquam, vinum nonnisi ex obedientia adhibuit, asperrimoque cilicio ad obitum usque corpus afflixit. Castitatis florem, quem ab adolescentia Virgini Deiparae voverat, inviolátum servavit. Virtutis doctrinaeque eius brevi sic fama percrebuit, ut quamvis iunior*. Byténii Monasterio praefectus sit; mox Vilnensis Archimandrita, ac demum Archiepiscopus Polocensis, invitus quidem, sed catholicis gestiéntibus, fuerit renuntiatus.

Lectio v.

Hac dignitate auctus, nihil de prióri vivendi ratione remittens,nonnisi divinum cultum et creditárum sibi ovium salutem cordi habuit. Catholicae unitatis ac veritatis strenuus propugnator, totis viribus adlaboravit ut schismaticus haereticósque ad communionem cum beati Petri sede reduceret. Summum Pontificem eiusque potestatis plenitudinem ab impudentissimis impiorum calumniis et erroribus, qua concionibus, qua scriptis pietate ac doctrina refértis defendere numquam destitit. Episcopalem iurisdictionem et Ecclesiae bona a laicis usurpata vindicavit. Incredibile dictu est quot haereticos in sinum matris Ecclesiae revocaverit. Unionis vero Graecae Ecclesiae cum Latina Iosaphátum promotorem extitisse praeclarissimum, etiam pontificia oracula disérte testantur. Ad haec, et templi Dei decori instaurando, et sacrarum virginum exstruendis aedibus, aliisque piis operibus iuvandis, mensae suae proventus ultro erogavit. In pauperes adeo effusus, ut cum olim inopiae cuiusdam viduae sublevándae nihil occurreret, episcopale pallium, seu Omophórion, oppignorári **ius**serit.

Lectio vi.

Tot catholicae fidei incrementa perditissimórum hominum adeo excitaverunt odia, ut, conspiratióne inita, Christi athlétam ad necem quaererent; quam sibi imminere ipse in suo ad populum sermóne pronunciavit. Cum itaque Vitépscum pastoralis visitationis gratia profectus esset, illi archiepiscopales invádunt aedes ; obvios quosque fériunt ac caedunt. Tum vir mitissimus quaerentibus sponte occurrit , eosque amice compéllaiis, Filioli, inquit, quare familiares meos caeditis? Si quid contra me habetis, ecce adsum. Hinc impetu facto, eum verberibus contùndimi, telis confódiunt, ac demum immani securi necátum, in flumen proficiunt ; die duodécima Novembris anni sexcentésimi

vicesimi tertii supra millesimum, aetatis eius quadragesimi tertii. Corpus mirabili luce circumfusum, ex imo fluminis álveo elatum est Sanguis Martyris parricidis ii -sis in primis profuit, qui fere omnes capitis damnati, eiuráto schismate suum scelus detestati sunt. Cum tantus Praesul plurimis post obitum coruscáret miraculis, eum Urbanus Octavus Pontifex Maximus Beatorum honoribus decoravit. Pius Nonus tertio kalendas Iulias anni millèsimi octingentésimi sexagésimi septimi, cum saecularia Apostolorum Principum solemnia celebrarentur, coram Patrum Cardinalium senatu , simulque adstantibus fere quingentis, Patriarchis, Metropolitis et Episcopis cuiuscumque ritus, qui ex toto terrarum orbe convenerant, hunc ecclesiasticae unitatis adsertorem, primum ex orientalibus, solemni ritu in Taticána Basilica Sanctorum órdini accensuit. Cuius Officium ac Missam Leo decimus tertius Summus Pontifex ad universam extendit Ecclesiam.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Ioannem.

Lectio vii. *Cap. 10.*

In illo tempore dixit Iesus Pharisaeis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia Sancti Ioannis Chrysostomi.

Hom. 59. in Ioannem.

Magnum quiddam, dilectissimi, magnum, inquam, est Ecclesiae praelatio; et qua) multa indiget sapientia et fortitudine, qualem Christus proposuit, ut animam pro ovibus ponamus, et numquam illas deseramus: ut lupo generóse insistamus. Haec enim inter pastorem et mercenárium est differentia. Alter propriae, contémptis ovibus, alter, sua contempta, ovium semper saluti invigilat. Pastoris ergo exemplo demonstrato,deceptóres duos meminit; furem «lactantem et rapientem oves, et mercenárinm permittentem, neque defendéntem commissas.

Lectio viii.

Quod superióri tempore Eze chiel his verbis insectátus es **i:** Vae pastoribus Israel: nonne pascebant semetipsos? nonne greges pascuntur a pastoribus? sed illi contrarium faciebant, quod maximae malitiae genus est, et plurimorum causa malorum ; idcirco, inquit, neque quod abiéctum erat, inducebant, neque quod perierat quaerebant: neque confractum alligábant : neque infirmum consolidábant : quoniam se, non gregem pascebant. Idem et Paulus aliis verbis significat: omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi.

Lectio ix.

Yerum ab utroque se dissidere ostendit Christus: ab illis quidem qui in aliorum perniciem veniunt, cum dicat se propterea venisse, ut vitam haberent: ab his autem, qui oves a lupis rapi negligébant, dicendo se propter eas animam ponere ne oves perirent. Nam cum Iudaei ipsum interimere vellent, non propterea **de**stitit a doctrinaeque credentes tradidit, sed pérstitit, et pertulit mortem: ideo frequenter inquit: Ego sum pastor bonus. Quae cum nullo niti testimonio viderentur (quod enim poneret animam suam non multo post re demonstratum est; quod autem vitam haberent et abundantius **habe**rent, eventurum erat in futuro saeculo) alterum ab altero confirmat.

Missae in honorem sanctorum quorum festa a Sanctissimo Domjhao Nostro LEOÏÎE PAPA XIII per Breve diei 28 Julii 1882 ad universalem ecclesiam extensa sunt.

DIE IX FEBRUARII

S. CYRILLI EP. ALEXANDRINI

Confessoris et Ecclesiae Doctoris

Missa In medio *de Communi Doctorum, praeter Orationes sequentes.*

Et dicitur Credo.

Oratio.

Deus, qui beatum Cyrillum Confessórem tuum atque Pontificem divinae maternitatis beatissimae Virginis Mariae assertórem invictum efFecisti : concede, ipso intercedente ; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus , materna eiusdem protectione salvémur. Per eumdem Dominum.

Secreta.

Munera nostra, omnipotens Deus, benignus réspice : et, intercedente beato Cyrillo, praesta; ut Unigenitum tuum Iesum Christum Dominum nostrum in tua tecum gloria coaeternum, in cordibus nostris digne suscipere mereámur : Qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio.

Divinis, Dómine, refecti mysteriis, Te supplices deprecamur: ut exemplis et meritis beati Cyrilli Pontificis adiuti, sanctissimae Genitrici Unigeniti tui digne famulári valeamus. Qui tecum.

DIE XVIII MARTII

SANCTI CYRILLI
EPISCOPI HIEROSOLYMITANI
Confessoris et Ecclesiae Doctoris

Introitus *Eceli. 15.*

In medio Ecclesiae aperuit os eius: et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus: stolam gloriae induit eum.

Ps. 91. Bonum est confiteri Domino et psallere nomini tuo, Altissime.

f. Gloria Patri.

Oratio.

Da nobis, quaesumus omnipotens Deus, beato Cyríllo Pontifice intercedente, Te solum verum Deum , et quem misisti Iesum Christum, ita cognoscere; ut inter oves, quae vocem eius audiunt, perpetuo connumeran mereámur. Per eumdem Dominum.

Lectio libri Sapientiae *Eccli 39.*

Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiae suae, et in oratione confitebitur Domino: et ipse diriget consilium eius, et disciplinam, et in absconditis suis eonsiliábitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae. et in lege testaménti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam eius, et usque in saeculum non delebitur. Non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes , et laudem eius enuntiabit ecclesia.

Graduale Ps. 36. Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.

f. Lex Dei eius in corde ipsius: et non supplantabúntur gressus eius.

Tractus Ps. 111. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis.

f. Potens in terra erit semen eius : generatio rectorum benedicetur.

f. Gloria et divitiae in domo eius : et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur:

Alleluia, alleluia.

f. Eccli. 45. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. Alleluia.

f. Osee. 14. Iustus germinabit sicut lilium : et florebit in aeternum ante Dominum. Alleluia.

Extra Tempus Paschale.

Graduale Ps. 36. Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.

f. Lex Dei eius in corde ipsius: et non supplantabúntur gressus eius.

Alleluia, alleluia.

f. Eccli. 45. Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriae induit eum. Alleluia.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. *Matth. 10.*

In illo tempore : Dixit Iesus discipulis suis: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius: et servo sicut **do**minus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt ; quanto magis domésticos eius ? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Credo.

Offertorium, Ps. 91. Iustus ut palma florebit : sicut cedrus , quae in Libano est, multiplicabitur.

Secreta.

Réspice , Dómine , immaculatam hostiam, quam Tibi offerimus: et praesta: ut meritis beati Pontificis et Confessoris tui Cyrilli, eam mundo corde suscipere studeamus. Per Dominum.

Communio. Luc. 12. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam ; ut det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

Sacramenta Corporis et Sanguinis tui, quae sumpsimus, Domine Iesu Christe, beati Cyrilli Pontificis precibus , mentes et corda nostra sanctificent: ut divinae consortes naturae effici mereámur: Qui vivis.

DIE XIV APRILIS

SANCTI IUSTINI

Martyris.

Introitus. Ps. 118.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes , sed non ut lex tua : ego autem loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundébar. Alleluia , alleluia.

Psal. ibid. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

f. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui per stultitiam crucis, eminentem Iesu Christi scientiam beatum Iusti num Märtyrem mirabiliter docuisti : eius

nobis intercessióne concede ; ut, errorum circumventióne depùlsa, iidei firmitatem consequamur. Per eumdem Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apóstoli ad Corinthios. *1. Cor A.*

Fratres : Verbum crucis , pereuntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum ; placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Quoniam et Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt: nos autem praedicamus Christum crucifixum , Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis , Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu , qui factus est 'nobis sapientia a Deo , et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.

Alleluia, alleluia.

f. 1. Cor. 3. Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum, ^••intum ^'t 'Miim: Dominus' novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt. Alleluia.

f. Ad Philipp. 3. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, Alleluia.

Extra tempus Paschale.

Graduale. 1. Cor. 3. Sapientiam huius mundi stultitia est apud Deum, scriptum est enim: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt.

f. Ibid. 1. Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.

Alleluia, alleluia.

f. Philipp. 3. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei. Alleluia*

Post septuagesimam, omissis Alleluia, *et versu sequenti, dicitur:*

Tractus. 1. Cor. 2. Non iudicavi me sciVe aliquid inter vos nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum.

f. Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram.

f. Quam nemo principum huius saeculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum **glo**riae crucifixissent.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 12.*

In illo tempore: Dixit Iesus

discipulis suis t Nihil opertum est quod non reveletur : neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur, et quod in aurem locuti estis in cubiculis , praedicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis : ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timéte-eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam ; ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeres veneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere ; multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis : omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.

Offertorium. 1. Cor. 2, Non enim iudicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum. Alleluia.

Secreta.

Munera nostra, Domine Deus, benignus suscipe : quorum mirabile mysterium sanctus Martyr Iustinus adversum impiorum calumnias strenue defendit. Per Dominum.

Communio. 2. Tim. 4. **Reposita** est mihi corona iustitiae , quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Alleluia.

Postcommunio.

Caelesti alimònia refecti supplices te, Domine, deprecamur: ut beati Iustini Martyris tui monitis, de acceptis donis semper in gratiarum actione maneamus. Per Dominum.

DIE XXVIII MAII

SANCTI AUGUSTINI

Episcopi et Confessoris.

Introitus. Ps. 131.

Sacerdotes tui, Domine , induant iustitiam , et sancti tui exultent: propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

Ps. *Ibid.* Memento, Domine, David: et omnis mansuetudinis eius.

ƒ. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui Anglorum gentes , praedicatione et miraculis beati Augustini Confessoris tui atque Pontificis, verae fidei luce illustrare dignatus es: concede-, ut, ipso interveniente, errantium corda ad veritatis tuae redeant unitatem, et nos in tua simus voluntate concordes. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

1. Thes. **2.**

Fratres : Fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non de erróre, neque de immunditia , neque in dolo, sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium: ita **lo**quimur , non quasi hominibus placentes sed Deo , qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermóne adulationis , sicut scitis ; neque in occasione avaritiae: Deus testis est: nec quaerentes ab hominibus gloriam , neque a vobis , neque ab aliis ; cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix **fo**veat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam ánimas nostras; quoniam diarissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri, et fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei.

Graduale. Ps. IBI. Sacerdotes eius induam salutari: et sancti eius exultatione exultábunt.

f. Illuc producam cornu David: paravi lucernam Christo meo.

Alleluia, alleluia.

f. Ps. 109. Iuravit Dominus, et non poenitébit eum : Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Alleluia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur:

Alleluia, alleluia.

f. Ps. 109. Iuravit Dominus, et non poenitébit eum : tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Alleluia.

f. Eccli. 45. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. Alleluia.

Post Septuagesimum, omissis Alleluia, *et versu sequenti dicitur :*

Tractus. Ps. 111. Beatus vir> qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis.

j r . Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.

f. Gloriae et divitiae in domo eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 10.*

In illo tempore : Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram,

neque calceamenta: et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui : «« t si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercéde sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis , et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis: et curate infirmos , qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ps. 88. Veritas mea , et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

Sacrificium tibi offerimus, Domine, in solemnitate beati Augustini Pontificis et Confessoris tui humiliter deprecantes : ut •oves, quae perierunt, ad unum ovile reversae, hoc salutari pábulo nutriantur. Per Dominum.

Communio. Matth. 24. Beatus servus , quem cum venerit Dominus , invenerit vigilantem : amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio,

Hostia salutari refecti, Te , Dómine, supplices exoramus: ut eadem, beati Augustini interveniente suffragio , in omni loco nomini tuo iugiter immolétur. Per Dominum.

DIE XIV NOVEMBRIS

SANCTI IOSAPHAT

Episcopi et Martyris.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honore beati Iosaphat Martyris; de cuius passióne gaudent Angeli , et colláudañt Filium Dei.

Ps. 32. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio.

}ʳ. Gloria Patri.

Oratio.

Excita, quaesumus Dómine, in Ecclesia tua Spiritum, quo repletus beatus Iosaphat Martyr et Pontifex tuus, animam suam pro ovibus posuit: ut, eo intercedente, nos quoque eodem Spiritu moti ac roborati, animam nostram pro fratribus ponere non vereámur. Per Dominum . . . in unitate eiusdem Spiritus.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. *Hebr. 5.*

Fratres: Omnis pontifex ex hominibus assumptus , pro hominibus constituitur in iis , quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis : qui condolere possit iis, qui ignorant et errant : quoniam et ipse cir-

cûmdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarilicávit ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum , secundum ordinem Melchisedech.

Graduale. Ps. 88. Inveni David senum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei et brachium meum confortabit eum.

f. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia, alleluia.

f. Hic est sacerdos, quem coronavit Dominus. Alleluia.

Tempore Paschali.

Alleluia, alleluia.

f. Ps. 88. Confitebuntur caeli mirabilia tua, Dómine: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum. Alleluia.

Ps. 20. Posuisti, Dómine, super caput eius coronam de lapide pretioso. Alleluia.

Post Septuagesimum, omissis Alleluia *et versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 20. Desiderium animae eius tribuisti ei: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

f. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

f. Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Sequentia sancti Evangelii secundum Ioannem, *Ioan. 10.*

In illo tempore : Dixit Iesus Pharisaeis:Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem , et dimittit oves , et fugit : et lupus rapit, et dispergit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus: et cognosco meas, et cognoscunt me meae. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

Offertorium. Ioan. 15. Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

*Secreta**

Clementissime Deus, munera haec tua benedictione perfúnde, et nos in fide confirma: quam sanctus Iosaphat Martyr et Pontifex tuus, effuso sanguine, adséruit. Per Dominum.

Communio. Ioan. 10. Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae.

Postcommunio.

Spiritum, Dómine, fortitudinis haec nobis tribuat mensa caeléstis : quae sancti Iosaphat Mártyris tui atque Pontificis vitam pro Ecclesiae honore iugiter aluit ad victóriam. Per Dominum.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 15 Decembris 1882

&aera Congregatio Eminentissimorum ac Reuerendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Iridici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die IO Decembris 1882 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

G-**REGORovius** F. Nelle Puglie. — Versione dal tedesco di Raffaele Mariano con noterelle di viaggio del traduttore. Voi. Unico. — Firenze, Gr. Barbèra editore, 1882.

Instruction, morale et civique. — *E Homme — Le Citoyen a V usage de V enseignement primaire.* Ouvrage rédigé conformément au programme officiel etc. par Jules Steeg Député de la Gironde, Paris.

Eléments d'instruction morale et civique, par Grabriel Compayré Député, professeur aux écoles normales supérieures d'instituteurs et d'institutrices, Paris.

Instruction morale et civique des Jeunes filles, par Mme Henry Gréville. Paris, 1882.

PAUL BERT *Député Membre de Vinstitut.* L'instruction civique à l'école. Ouvrage adopté pour les écoles de la ville de Paris. Paris, 1882.

a *Riproduzione di un discolpo recitato da Mons. Genuardi Vescovo di Acireale* con Note dedicate all'Illustrissimo e Reverendissimo Monsig. Guarino Arcivescovo di Messina. » Catania, 1882, prohib. *Decr. S. Off. die 19 Julii 1882. Auctor huius Opusculi* (qui-fuit Sacerdos Salvator Mauro) *laudabiliter se subiecit et illud reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel reti' nere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravi' tatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die lo Decembris 1882.

FR. THOMAS M. CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Sacclieri Ord. Praed.

S. Ind. Congreg, a Secretis.

Loco £g Sigilli.

Die 20 Decembris 1882 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Approbatio Scapularis in honorem s. Michaelis Archangeli pro Sodalitio de Urbe.

ROMANA

Quum a Consilio Directivo Piae Unionis Primae Primariae Sancti Michaelis Archangeli de Urbe, canonice erectae in perinsigni Collegiata Ecclesia S. Angeli ad Porticum Octavium, vulgo *in Foro Piscium,* Sacrae Rituum Congregationi exhibitum fuerit pro opportuna approbatione Scapulare in honorem eiusdem Sancti Michaelis, quo, ceu propriae Societatis tessera, Fideles in eam cooptati designantur atque utuntur,-ut sub tanti Ducis vexillo militantes victoriam de hoste maligno consequi mereantur, Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, in ordinariis Sacrorum Rituum comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, post auditam relationem Emi et R ni. Dni. Cardinalis Thomae Mariae Martinelli, eiusdem causae Ponentis, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt; *Pro gratia, reformato typo Scapularis in imagine Sancti Michaelis et ad mentem, facto verbo cum Sanctissimo.*

Die 28 martii 1882.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Pa pae XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, usum adprobavit supradicti Scapularis, ad mentem eiusdem Sacrae Congregationis, scilicet reformato typo imaginis Sancti Michaelis, in Scapulari ipso impressae iuxta modum, quo idem Sanctus Archangelus in Ecclesia repraesentatur. — Die 20 aprilis anno eodem.

D. 'CARDINALIS BARTOLINI *S. P. C. Praefectus*
Placidus Palli S. B. C. Secretarius.

DECRETUM

Calaritana canonizationis beati Salvatoris ab Horta laici professi ordinis minorum sancti Francisci de observantia.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 11 Septembris proxime praeteriti, indulserit ut in Ordinario Sacrae ipsius Congregationis Coetu expenderetur supplex libellus a Rmo Patre Fr. Bernardino a Cryptis Castri, Sacerdote Professo et Postulatore Generali Causarum Beatificationis Servorum Dei et Canonizationis Beatorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia porrectus, ad obti-

neiidum ut Causa, praefati Beati Salvatoris ab Herta resumi posset in statu ac terminis, quo eadem modo reperitur; Emus et Rmus Dñus- Cardinalis Lucidus Maria Parocclii eiusdem Causae Ponens in ordinaris Comitiis ad Vaticanum hac die habitis, eiusmodi supplicem libellum retulit. Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re accurate perpensa, auditoque R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Eidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Resumatur Causa in statu et terminis.* Die 9 Decembris 1882.

Hoc autem Sacrae Congregationis Rescriptum per infrascriptum Secretarium eidem Sanctissimo Domino Nostro relatum, Sanctitas. Sua ratum habuit et confirmavit die 14 iisdem mense et anno.

D. Cardinalis **B**ARTOLINIUS S. R. C. Praefect.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

Romana sen Praenestina et Tridentina Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Stephani Bellesini Sacerdotis Professi Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Parochi in Oppido Genestani.

Octavo Idus Julii anni MDCCCLXXX a Sanctissimo Domino Npstro- LEONE PAPA XIII benigne concessam fuit, ut in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria ageretur, absque interventu et voto Consultorum, de validitate omnium Processuum tam Ordinaria quam Apostolica Auctoritate constructorum in Causa Beatificationis et Canonizationis praefati Ven. Servi Dei Stephani Bellesini. Hinc Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Thomas Maria Martinelli huius Causae Ponens, ad instantiam Rev. Patris Fr. Sebastiani Martinelli Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, in Ordinario speciali Coetu ipsius Congregationis, iuxta peculiares dispositiones eiusdem Sanctissimi Domini Nostri sub die 20 Novembris 1878 editas constituto, ac subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium proposuit, nimirum: *An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum; testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata, in casu et ad effectum de quo agitur?*

Sacra porro eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribere rata est: *Affirmative, seu Constare: facto verbo cum Sanctissimo pro sanatione ad cautelam defectus, tam Processus Apostolici Praenestini super Virtutibus et Miraculis in*

specie, ob expletum officium Notarii adiuncti a Iacobo Coccia, qui antea examen subierat uti testis ; quam attestationis Fr. Nicolai Melchiorri, testis XXV Processus Ordinarii Romani, ob non repetitum eius examen in Processu Apostolico. Die 29 Iulii 1882.

Facta autem de his Sanctissimo Domino Nostro Leone Papae XIII. per infrascriptum Secretarium fideli relatione , Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit **et** confirmavit, ac recensitos defectus ad cautelam benigne sanare dignata est. Die 3 Augusti anno eodem.

Pro Emo et Emo Domino **C**ARD. D. BARTOLINI
S. R. **C.** **P**RAEF.

CAMILLUS **C**ARD. DI PIETRO
EPISC. **O**STIEN. ET **V**ELITERN.

Loco '^S Signi

LAURENTIUS **S**ALVATI *S. R. C. Secretarius.*

•"!~#H~»

DECRETUM.

^TJERECEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. Mariae ab Incarnatione, fundatricis Monasterii TJrsulinarum in civitate Quebecensi.

Instante Rmo D. Prospero Bernardo Delpech Procuratore Generali Societatis Parisiensis Missionum ad exteros, Postulatore Constitato Causae Beatificationis et Canonizationis praedictae Yen. Servae Dei Sor. Mariae ab Incarnatione, subscriptus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, et huius Causae Ponens, in Ordinariis ipsius Sacrae Congregationis "Comitiis, hodierna die ad Vaticanum habitis, sequens proposuit Dubium: « *An sententia a Reverendissimo Archiepiscopo Quebecensi lata super Cultu praefatae Ven. Servae Dei non exhibito, seu super obedientia praestita Decretis sa. m. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur,* » Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus rite perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 9 Decembris 1882.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII ab infrascripto Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habere et confirmare dignata est die 14 iisdem mense et anno.

D. **C**ARD. BARTOLINlUS **S.** R. **C.** Praefectus.

L. % S.

LAURENTIUS **S**ALVATI **S.** R. C. Secretarius.

litterae SS- D. N. Leonis XIII ad Emum. Archiep. Dublinen. quibus exorat ut clerus Hyberniae totus animos civium moderari curet in iis, quibus nunc iactantur fluctibus: gaudet de curis adhibitis ab Episcopis favore catholicas iuventutis, eisdemque commendat philosophiam Aquinatis pro Seminariorum adolescentibus **(1).**

Dilecte Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Novum argumentum dilectionis et obsequii tui, aliorumque TV. FF. istius regionis Antistitum habuimus in litteris, quas Tu ipsorum mandato et nomine die 4 elapsi octobris ad Nos dedisti, testes egregiae vestrae voluntatis et grati erga Nos animi, ob «eas curas quas de prospera rerum Hiberniae conditione gerimus, et ob ea consilia quae per epistolam Nostram die **1** elapsi Augusti datam, gliscentibus isthie popularibus motibus', in bonum dilectorum Nobis filiorum Hiberniae fidelium praebenda censuimus. Est profecto Nobis causa cur plurimum gratulemur tum Tibi , dilecte fili. Noster, aliisque Hiberniae Episcopis, videntes quo studio pro ministerii vestri ratione ad sedandas perturbationes patriae vestrae, -et ad dirigendas fidelium vestrorum voluntates incumbatis, tum etiam catholicae Ecclesiae Filiis, qui docilitate animi vestras voces excipiunt, et incommoda adversae fortunae christiana virtute ferentes, animos suos longius quam officium et religio sinit, temere progredi non patiuntur. Quamquam vero Hiberniae fideles illustria sui in religionem studii, et in supremum Ecclesiae Pastorem obsequii testimonia praebeant, postulat tamen adhuc rerum publicarum status ut ea documenta quae ipsis tradenda pro Nostra in ipsos charitate curavimus, prae oculis fideliter habere pergant, cum pravarum societatum asseclae, uti elapsis mensibus evenisse doluimus, non intermittant spes suas in flagitiis ponere, publicas infiammare cupiditates et remedia incommodis graviora quaerentes ea grassari via, quae ipsorum cives non ad salutem sed ad perniciem adducit. Hinc

(1) Aliae litterae ad eumdem Archiep. prostant hoc vol. XV pag. 97.

opus est ut firmiter insideat istius populi fidelis animis, uti iam memoravimus, unam eamdemque utilitatis ac honestatis esse regulam,, iustam patriae causam ab studiis, consiliis, operibus iniquarum consociationum esse seiungendam; ius f asque esse adversa patientibus iura sua rectis artibus persequi, non item a scelere praesidium, mutuari; ac divina providentia effici ut laetis patientiae et suarum virtutum fructibus boni fruantur, malos contra vanis laboribus perfunctus gravibus Dei atque hominum iudiciis subesse. Dum hae& commemoramus ex ea cupiditate, qua solatium, tranquillitatem,, prosperitatem totius Hiberniae cupimus, minime dubitamus, dilecte fili Noster, quin tu Collegaeque tui concordibus semper animis et caritate fraterna invicem iuncti salutarem operam conferre pergatis, ut Fideles yestri nihil sibi commune esse patiantur cum iis,, qui suis cupiditatibus praecipites sese de patria benemereri putant, dum se gravibus sceleribus obstringunt, in eamdem pravitatem alios impellunt, ,et causae publicae turpem labem inurunt. Hoc sacerdotalis zeli ministerio Te nuper praeclare perfunctum esse laetamur, dilecte fili Noster, cum insidias et pericula catholicae isti iuventuti comparata conspiciens, pastoralem epistolam edendam curasti, qua huiusmodi pericula publice denunciares, vigilantiae fidelium acueres, et eorum saluti, nec non religionis et patriae bono consuleres.

Hae porro tam graves pastoralis muneris curae et publica populi Hiberni causa omnino requirunt, ut ecclesiastici ordinis viri sese adiutores praebeant Pastoribus suis, ac ipsis in civium animis moderandis et perturbationibus publicis compescendis suam operam fideliter navent. Verumtamen ad hanc salutarem vim sacri ministerii propriam exercendam, si agatur praesertim de popularibus conventibus in quibus magno animorum aestu de causa publica disceptatur , et civilium concertationum procellae commoventur, opportunum fore consilium putamus, si firmis iis manentibus quae de iuniore Clero decrevistis, iis tantum ecclesiasticis viris eosdem conventus adeundi veniam tribuendam censueritis, in quorum potissimum sapientia confiditis, et in quibus maturior aetas ac usus rerum effecit ut prudentia consilio et auctoritate praestent, ideoque possint prae ceteris concitatae multitudini ad recta et honesta duces esse, fallacibus improborum iudiciis occurrere, officii rationes tueri, ac defensores esse optimi partium optimarum. Hac ratione et via sacerdotalis ordo tamquam in specula communis salutis et in praesidio reipublicae a Vobis collocatus, magnas patriae utilitates, in iis quibus iactatur fluctibus^, est allaturus.

Hac demum occasione praetermittere non possumus, quin Te, dilecte fili Noster, aliosque VV. FF. Hiberniae in partem sollicitudinis Nostrae vocatos peculiaribus commendationis et dilectionis Nostrae sensibus prosequamur, propter eas curas quas ad causam catholicae institutionis iuventutis vestrae tuendam, et Universitatis catholicae statum conservandum commiani studio contulistis, initis consiliis quae necessaria et opportuna tum sanae solidaeque doctrinae adserendae et custodiendae, tum eius fructibus propagandis existimastis.

De sacris autem Seminariis, in eo evigilent cogitationes vestrae, ut diligenter adolescentes ad spem sacerdotii bonis artibus et virtutum exercitatione erudiantur: generatimque cupida philosophiae iuventus instruat sese, quoad opportune fieri potest, Doctoris Angelici disciplina.

Summis autem votis à Deo clementissimo poscentes ut studia consilia et opera vestra sua potenti gratia provehat, Clerum vestrum validum instrumentum suae gloriae efficiat, atque soletur propitius fideles vestros, iisque tribuat ut qui seminant in lacrimis in exsultatione metant, Apostolicam benedictionem praecipuae Nostrae benevolentiae testem Tibi, dilecte fili Noster, cunctisque Hiberniae Episcopis, nec non Clero et Fidelibus fidei vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Patrum die 1 Ianuarii, anno 1883.

Pontificatus Nostri Anno Quinto.

EX 3. CONGREGATIONE CONCILII

IURIS FUNERANDI

Die 15 Iulii 1882.

COMPENDIUM FACTI. In Dioecesi V. duae extant Paroeciae, quarum una sub titulo s. Fuscae in suo per vasto territorio complectitur vicos *Bescae* et *Linar dic;* altera. *Poglizza* nuncupata, in suo ambitu continet vicum *Milhonich,* Prope harum Paroeciarum fines, tertii Ordinis s. Francisci conventus exurgit cum Ecclesia s. Mariae vulgo *Capo-Glavotok* caenobio adnexa.

Anno 1880 ad exitum properante, Monasterii Superior, per supplicem libellum, Sacratissimo Principi enarravit; iam a saeculis in Ecclesia Conventus s. Mariae Capo-Glavotok sexdecim extructas fuisse areas sive sepulchra ad sepelienda, nedum familiae Religiosae membra, sed etiam ad humanda fidelium corpora ex tribus contiguis oppidis, tum religionis tum distantiae causa ab Ecclesiis paroecialibus. Quum anno 1821 omnis humatio in Ecclesiis lege vetare^ur, extractum fuit coemeterium publicum, Conventui attiguum et adstipulata conventio fuit inter trium oppidorum primarios et Conventus Guardianum, qua populi iidem obligationem susceperunt sexdecim construendi fornices, quarum Patribus quatuor in perpetuum assignarentur.

Duo ex tribus Parochis hanc sequuti sunt praxim ita ut recto tramite cadaver deferretur ab eisdem in locum Coemeterio proximum, ubi recipiebatur vel a Superiore Conventus, vel ab alio religioso, et in Ecclesiam deportabatur ad explendas exequias aliasque functiones, ab haeredibus expetitas. Qua de re Ecclesia Conventus percipiebat tres ex quatuor partibus cerae... Anno autem 1859 unus ex Parochis consuetudinem introduxit peragendi exequias in Cappella

raris, a qua cadavera ad publicum coemeterium efferantur. Adversus hanc praxim protestati sunt Religiosi; Parochus vero ab Episcopo coadiutus, iuri communi innixus autumat ius sepeliendi, et emolumenta percipiendi pertinere ad Ecclesiam paroecialem, excepto casu quo aut defuncti aut eorum haeredes aliam elegerint ecclesiam. Sed electio haec iam per modum regulae constituta est in perpetuum pro dictis tribus oppidis ab immemorabili tempore. Quamobrem expetiverunt Patres ut, remoto abusu, praxis antiqua ad vitam re vocaretur. Hodiernus Episcopus rogatus, vindicavit iura Parochorum contra Franciscalium petitionem.

Retulit autem Ordinarius, controversiam iam binis Decretis editis an. 1864, et 1871, a suo praedecessore fuisse favore Parochorum resolutam : contra quam resolutionem Prior Conventus ad S. C. C. cum provocaverit, Vicarius generalis satius putavit a quavis decisione sibi abstinendum esse.

Disceptatio 8yno|itiea.

DEFENSIO PAROCHORUM. Nil magis in iure vulgatum, quam quod degentes intra Paroeciae limites in Ecclesia paroeciali debent tumulari, a qua in vita Sacramenta susceperunt *Cap. ex parte Be sepult. Ferraris Bibi. Can. verb. Sepul. n. 20.* Parochi enim quoad funera habent intentionem fundatam in iure; *Maschat Ius. Can. Be sep. q. 5 n. 12.* Unde ius funeris dici solet ius parochiale; *Barbos, de off. et potest. Paroch. p. 3 cap. 26.* Idque eis privative deberi non tantum ratione materialis morae defuncti in Paroecia, quam potius ratione spiritualis officii exerciti, una echo docent DD. antiqui et moderni, quibus S. C. C. innumeris resolutionibus chorum agit. Quemadmodum enim ad Parochum spectat fideles in vita sacramentis reficere, ita aequum et iustum est, ut ipse funera efferat et mortuos humo tradat, *Clement. Budum de Sepult, s. Cong. in Ilcinen. Funerum et émolument. 20 Iulii 1878.*

Nec obstat quod huiusmodi primitivum Parochorum ius

conticescit vel quia aliquis in aliena Ecclesia habet sepulchrum maiorum, aut vivens sepulturam inibi elegit, vel quia eadem Ecclesia ius funerandi seu tumulandi sive ex privilegio, sive ex conventione, sive ex aliquo iusto titulo sibi acquisivit. Quandoquidem in themate Franciscani s. Mariae *de Capo-Glavotok* nullum validum titulum afferre valent ad probandum sibi competere ius super funera et tumulationem incolarum pagorum prae Ecclesiis paroeciarum, intra quarum fines incolae illorum pagQrum commorantur.

Sane Franciscani ad controversum ius sibi vindicandum, nullum praesidium captare possunt a conventione inita 18 Maii 1821. Per ipsam enim dum Regulares ex una parte se obstrinxerunt ad fundum cedendum *perpetuis temporibus* pro condendo coemeterio publico, iuxta legum civilium praescriptionem; ex altera parte tres pagi *Ber zac, Linardic* et *Milhonich* onus susceperunt quatuor arcas sepulcrales condendi et servandi pro humatione Religiosorum. Verumtamen de emolumentis funerum ac de iure exequias peragendi, ne verbum quidem in tota conventione reperitur. Adeo verum est quod in vim huiusce conventionis Regulares nullum ius super exequiis vel tumulationibus in praedicto coemeterio peragendis sibi reservarunt, ut potius coemeterium communale dici debeat, ceu ipse Episcopus asserit. Idipsum confirmât magni ponderis factum, quod canon qui exigi solet pro cadaveribus humandis eorum, qui ad praefatas Paroecias haud pertinent, non equidem Religiosis Franciscanis, sed trium pagorum Municipio persolvitur. Constito itaque quod in citata conventione de funerum vel tumulationis iure nullimode sermo sit, constito quod coemeterium uti communale est censendum, nullus ambigendi locus esse videtur, quod omnia ad tramites Iuris communis sint moderanda. Porro ad tramites sacrorum Canonum Parocho ius competere suorum parochianorum funera efferendi eorumque cadavera humo tradendi, adeo tritum et vulgatum in iure est, ut nemo cordatus de eo dubitare posse videatur. Funera enim inter iura parochialia recenseri eorumque emo-

Iumenta regulariter semper Parochis deberi tradit Rota *Decis. 402 n. 8 p. 5 t. 1 Decis. 473 n. 3 p. 3* cum sint in recompensationem laborum exantlatorum in celebrandis divinis officiis et ministrandis sacramentis defuncto, dum viveret, Decis. *402 n. 9 p. 5 tom. 1 Recent.*

Nec valeret urgere praxim, vi cuius ante aedificationem publici coemeterii Franciscani pollebant iure funerandi et sepeliendi in propria Ecclesia paroecianos trium oppidorum. Id enim in usu fuisse quia inibi aderant laicae Sodalitates cum respectivis sepulcris ad ipsas spectantibus. Extinctis sed vero initio huius saeculi huiusmodi laicis sodalitatibus, ad quas ius tumulandi pertinebat, ius quoque in Religiosorum Ecclesiis tumulandi, ipso facto, evanuisse censendum est. De veritate huius facti nedum duo parochi, sed Episcopus ipse fidem facit. Si itaque cessante ratione alicuius dispositionis, ipsa quoque dispositio cesset necesse est, ad tradita per *leg. Quod dictum ff. de pactis, leg. Si cum ex §. post an. gloss, et rei ff. de eo quod metus causa;* pronum est deducere quod, extinctis sodalitatibus quae, iure in Regularium Ecclesia tumulandi fruebantur, ipsa quoque Ecclesia funerum atque emolumentorum ius ab extinctionis die amiserit.

Nec pariter magni ponderis videtur argumentum ab observantia fere immemorabili deductum, quae ante enunciatam conventionem anni 1821 incoepta, et postea quoque pacifice confirmata fuisse videtur. Agitur siquidem praeprimis de praescriptione contra Parochos, proprio iure venientes: agitur de ea inducenda in actis facultativis, ex eo quod liberum erat incolis trium pagorum sepulturam in regulari prae paroeciali Ecclesia sibi eligere. Iamvero iura Parochorum, utpote proprio iure venientium, nullimode praescriptioni subiacere valent ex quacumque consuetudine, obsistente Constitutione Pii IV. *In Principis Apostolorum,* Scarf^nt. ad Oeccop. *in lib. 4. Animad, tit. n. 9,* S. C. C. *in Nullius Sublacen. Iurium parochialium 18 Septembris 1823 Rrictinor. Iuris decim.* 8 Maii 1824, *Pisana Emolumentorum*

Funeris 14 Decembris 1872 §. Nec. Et optimo sane iure, cum possessio quam quis ex propria persona et ratione alicuius officii acquirit, sit omnino independens a fkcto antecessorum suorum.

In actis vero facultativis, neque ex consuetudine milleannorum praescriptio inducitur, nisi constet ipsos fuisse prohibitos et partem adversam per tempus habile ad praescribendum prohibitioni acquievisse; Rota *Decis. 253 n. 8 p. 3 dec. 11 n. 9. Dec. 365 n. 5 recent. Gloss, in I. V. Communi dividundo 6 de annali praescript. Bald, in I. Cum notissimi in fine Cap. de Praescript. 30 vel 40 Annot..* Scarfant. *Luc. Can. lib. 1 tit, 15 n. 23;* De Luca *de Benef, disc. 98 n. 13.* Atqui in themate tum prohibitionem ex una, tum acquiescentiam ex altera parte exulasse, imo Regulares munia parochialia exercuisse ex Parochorum indulgentia, qui sive comitatis, sive amicitiae gratia id obire sinebant, patet ex his quae Parochus et ipse Episcopus retulerunt.

Verumtamen invocatam a Regularibus consuetudinem in themate prorsus deesse Parochi contendunt, cum ex facto liqueat pluries ab ipsis vel exequias in ecclesiis a paroeciali dependentibus celebratas fuisse, vel iis expletis defunctorum cadavera, nihil contra Religiosis obmussitantibus, ad communale Coemeterium evecta fuisse.

DEFENSIO PP. FRANCISCALIUM. Franciscalium orator imprimis ait: licet tumulandi ius Parocho inhaereat, adeo ut inter praecipua illius officia recenseatur, integrum tamen ac liberum cuique est locum sibi sepulturae eligere ac designare; *Bevoti in instit. canon. lib. 2 tit. 9 % 4.* Quod si contingat, unum Parocho superest, ius scilicet canonicam percipiendi portionem, quae *quartae funer alis* nomine nuncupatur, praeterea nihil. Haec autem ideo Parochis competit ne debitis fraudentur subsidiis *cap. 1 de sepul. in seco. test. Paroch. part. 3 cap. 25 n.* 3, *Bened. XIV in Constitutione « Romanus Pontifex » et s. Congregatio in Asculana iurium et functionum 29 Aug. 1733.*

Parochus propterea officium suum ex defuncti domo ad ecclesiam explere dehet et cadaver usque ad ecclesiam comitari, in qua sepulturam sibi defunctus eiusve haeredes delegerunt atque exequiae sunt peragendae. Cum vero Ecclesiae ianuam attigerit, parocnus defuncto benedictionem impertitur, ac, tradito in regularis Superioris manibus cadavere, recedit : cetera ad ecclesiae rectorem pertinent; *Reiffenst. in lib. 3 Decret, tit. 28 n. 36: s. Rota in dec. 1192 n. 1 et 2 cor. Emerix: Card. De Luca in dise. Ï de Regul. n. 83: Bouix de Parocho par. 4 cap. 10%. 2 prop. 2: atque in par. 4 cap. 10 1 prop. 6: s. Rituum Congregatio in decreto 23 martii 1619 quod refert Gardellini sub n. 422 « Associato funere ad ecclesiae portam* debere parochum vel illum ex Capitulo et clero penes quem animarum curae exercitium existit* ad populum converti*. eique absolutione impertita* recedere* relicto cadavere in Ecclesia dictorum clericorum regularium* ad quos dumtaxat peragendi officii cura spectabit ».*

Quid vero, pergit defensor, quod defuncti Parochus ita. abstinere debet, ut stola indutus ne Ecclesiam quidem ingredi possit? Quippe Ecclesiae rector pro Parocho habetur, nec alius intra eius Ecclesiae septa officium peragere potest, quin alienam provinciam invadat; *s. Rituum Congregatio in Vadem. diei 2 Augusti 1698; quam refert Ferraris voc. Quarta funeris « An Parochus ingredi possit ecclesias Regularium cum stola et cruce, ibique officium et functiones peragere? » S. C. respondit « Negative in omnibus. » S. C. Episcop. et Regul. in Piacentina 16 decem. 1661* quam refert Ferraris in loc. cit. nu. 29 et Sacra Congregatio in Volaterrana diei 16 martii 1726.*

Scilicet funerandi ius a iure tumulandi secerni non potest: immo vero notissimum in iure axioma habetur « *ubi tumulus ibi funus ». Text. in cap. cum liberum 6* et in cap. in nostra 10 de sepul. Porteli, in dub. Reg. verb. canonica portio nu. 5* Ferraris in Bibliot, voc. Quarta funeralis §. 3: Barbosa de off. et potest. Paroch. par.* **S**

c. 25 nu. 37 « Funera igitur dicuntur quae ratione sepulturae obveniunt et quacumque occasione funerum ad ecclesiam perveniunt ».

Quod adeo exploratum ait, ut si alibi inferantur illorum cadavera qui sepulturam elegerunt, vel in maiorum sepulchro erant tumulandi, atque etiam si Parochus funera perfecerit, emolumenta omnia electae ecclesiae rectori rependi debeant, excepta dumtaxat legitima portione. *Alex. III in cap. V de sepulturis : Ferraris in voc. sepultura nu. 7 et nu. 210 « Et si alibi sepeliatur per vim aut fraudulenter seu alias. w&¿¿¿s et i&sciis Rectorilmà Ecclesiae* in qua adest dictum sepulchrum suorum* est ipsi ecclesiae restituendum cadaver simul cum omnibus emolumentis* ut dictum est de eo qui non sepelitur in sepultura a se electa ». Berengo Enchiridion parochorum pag. 359 et seqq. Venetiis 1877.*

Quae cum ita sint, urgebat defensor, supervacaneum esset •quaerere, num quid ex hac disciplina mutatum fuerit, postquam aedilitiae auctoritates sive in Italia sive in aliis regionibus cadavera in Ecclesiis inferri vetuerunt. Siquidem sepulturae electio adimitur, haud inde sequitur adimi etiam ecclesiae electionem pro funere. Tametsi etiam quoad sepulturam, peculiaribus ex causis regulares s. Mariae de *Capo Qlavotock* nihil amiserunt. Quippe illi prope ecclesiam *&tqne intra monasterii septa* publicum coemeterium extraxerunt, quod unum cum ecclesia •corpus conficit: atque ideo extraxerunt, ut integrum sibi ius maneret, nec novis legibus quidquam eriperetur. Nihil igitur ex edicta lege immutatum fuisse concludit: quos enim antea Patres in ecclesia tumularunt, nunc in adiecto coemeterio tumulant.

Hoc ita perspectum parochis ait, ut non modo Franciscalium iura exploratissima semper habuerint, sed et ipsi •comprobavermt per conventionem anno 1865 cum Patribus inita. Nihil enim aliud ab iisdem Patribus quam congruam in quibuslibet exequiis portionem sibi accenseri curarunt. Atqui loci electionem pro omnibus trium oppidorum habita-

toribus facile probari affirmavit, cum eorum familiae iamdiu locum pro successoribus elegerint atque idipsum propterea in Franciscalium Ecclesia contingat quod pro sacellis familiaribus ac gentilitiis usuvenit. Quod luculenter evincitur sive ex immemorabili consuetudine, sive ex conventionibus.

Quod consuetudinem attinet, hanc non modo Patribus suffragari tradit, sed ceteris deficientibus, ius certissimum atque evidens suppeditare. Illam vere non imus vel alter, sed *cives cuncti* populi seniores, municipii praesules* ab immemorabili pro Patribus extitisse testantur. Parochus interea defuncti cadaver ad ecclesiam comitari de more consuevit: parochialem extra ianuam benedictionem impertiri, atque, illud in Patrum Superioris manibus tradens, recedere: Patres autem semper exequias expleverunt.

Quanta autem centenariae atque immemorabilis consuetudinis vis sit, ait ille, neminem latet: quippe meliorem de mundo titulum praebet ac rem probatissimam conficit. In casu autem eo impensius attendi debet quia *contractui* innititur, atque interpretativa, non praescriptiva censenda est. Id igitur causae fuit cur nemo ex Parochis biscentum annorum spatio Franciscalium ius oppugnaverit, vel tumulandi aut funerandi ius unquam sibi vindicarent.

Nec pactum quod anno 1821 Patres cum villicis inierunt quidquam immutavit; non modo Franciscalium ius non imminuit, sed potius illud luculentissime confirmavit, quia totius populi suffragium, et civium omnium voluntatem ostendit, et villici omnes sibi suisque perpetuum sic sepulturae locum designarunt. Atque hoc ita omnibus perspectum fuisse tradit ut nemo contrariam consuetudinem inducere ausus sit: immo vero omnes quod placuerat fideliter exequutioni demandaient, prout decuriones pro veritate adfirmarunt.

Ceterum contractus in parochorum congrua nihil immutavit: eadem hodie illa est quae semper fuit, eademque ratione rependitur. Parochi igitur vel Franciscalium ius negant, et sibi ipsi refragantur qui legem dixerant et conven-

tione sanciverant, vel detrimentum ex hoc iure sibi illatum, contendunt, et falso aequitatem invocant, quia -quoü semel placuit iniquitatis redargui non potest.

Tum parochorum obiectiones refellit, atque illam imprimis quod, cum per conventionem anni 1821 perpetuus civibus sepulturae locus designatus fusrit, ius villicis adimeretur alibi sibi funus eligendi, quod ceteroquin liberum cuique esse debet. Sed absurdum argumentum esse tradit, quia iudices seu locorum primarii, necessitate suadente: ac peculiari civium mandato prope Franciscalium Ecclesiam coemeterium condiderunt, sicuti ex conventione colligitur, atque in huiusmodi coemeterio sibi suisque sepulturae locum designarmi. Plane, ait ille, si nihil adiiciant de funere alibi peragendo semper idipsum redit « *ubi tumulus ibi funus* » et cum loci electione etiam adiectae ecclesiae electio in perpetuum facta censetur: si vero alibi exequias celebrari praecipiat, nihil vetat eorum voluntatem impleri. Omnes enim in maiorum sepulchro inferri debent; salvo tamen unicuique iure alibi funus eligendi, *Ferraris voc. Sepultura §. 8 seqq. Reiffenst. lib. 3 decret, tit. 28 num. 10 * Barbosa de off. et potest. Paroch. part. III cap. 26%. 31 « Quando quis decedit* non electa sepultura* in ea sepeliendum est in qua maiores sui sepeliri consueverunt* soluta qucrta parochiali* ». Concludit igitur, pactum de quo hodie disputatur, nemini iniuriam facere, et nullum ius adimere: integrum cuique esse alium sibi funeris locum eligere, ac postremo, si aliam electionem non fecerint, in Franciscalium Ecclesia cives omnes esse tumulandos.

Contrarium praeterea argumentum expendit, nempe contractum quem villici cum Patribus inierunt *privativam* tumulandi facultatem Franciscalibus non *adscribere :* cum autem omnia, absque Parochi detrimento, interpretanda sint, promiscuam saltem Parochis tumulandi potestatem cum iisdem Patribus competere. Verumtamen, urget defensor, hoc argumentum penitus a veritate abhorret. Ac primo in quolibet civium obitu iurgia excitarentur, ita ut perpetuum iudicem designare opor-

teret. Tum ex contractus litera aperte evincitur, quod pro defunctis *omnibus* coemeterium conditum est, ita ut omnes in loco designato sint tumulandi. Concludit itaque : aut contractus servari debet et omnes defuncti ad coemeterium et ecclesiam regularium deferendi sunt : aut contractus corruit, et nullum regularis ecclesiae ius admitti potest, sive privati vum, sive cumulativum.

Neque attendi posse affirmavit quod Curiae Vicarius asseruit: pactum scilicet quod villici cum Patribus inierunt, nullum esse, quia illud ecclesiastica auctoritas non sancivit. Plane, si huiusmodi censura ante hos sexaginta annos prodiisset, rerum veritatem inquirere ac respondere Patres potuissent. Hodie autem, quod antiquitus probandum fuisset, probatione non eget: quia ex diuturno temporis lapsu et usu legitime praesumitur; *De Luca in disc. 15 de aliénât. §. 4, atque in disc. 15 num. 12 de Regular.*

Ineunte saeculo, quod prius usuvenerat, conventione sancitum est, condito coemeterio intra septa ecclesiae regularis. Tum ab immemorabili cum novissime peculiari conventione definitum fuit quod Parochis, quod regularibus competit. Restat propterea quod omnibus placuit ac saeculari usu viget perpetuo esse servandum.

Hisce aliisque praenotatis, enodandum propositum fuit sequens

lOubUim

An ius tumulandi et funerandi in oppidis Ber zac MUhonichy Linardic competat Patribus s. Mariae de Capo Glavotokj seu potius parochis s. Fuscae et Poglizzae in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Conc. re discussa, sub die **15** Iulii **1882,** censuit respondere :

Negative ad primam partem affirmative ad secundam.*

Ex **QUIBUS COLLIGES** :

I. Ius sepeliendi proprios parochianos et ius faciendi officium funebre super cadaveribus, cum primo stricte connexum, recenseri inter iura parochialia, et privative spectare ad Parochos.

II. Parochos habere iuris adsistentiam in tumulatione suorum paroecianorum, qui sepultura careant, aut eamdem non elegerint.

III. Consuetudinem alleganti contra Parochorum iura,, onus incumbere eam *concludenter* probandi, eoquod agitur de praescribendo iure alieno: cui praescriptioni ius ipsum commune resistit.

IV. Verumtamen aliquando ius Parochorum conticescere potest, quum adsit qui in Ecclesia aliena sepulcrum maiorum possideat, vel quia eadem Ecclesia ius funerandi, seu tumulandi sibi acquisiverit ex privilegio, ex conventione, seu ex aliquo i^usto titulo.

V. In themate nihil profuisse videri Patribus franciscalibus adversus Parochorum iura, neque conventionem, in qua ne verbum quidem fit de funerum emolumentis, ac de iure exequias peragendi favore Franciscalium, neque immemorabilem consuetudinem, quae concludenter haud probata fuit, dum praecipue ageretur de actis facultativis.

ARETINA

IURISPATRONATUS

Die 15 Iulii 1882.

COMPENDIUM FACTI. In Capitulo Ecclesiae Cathedralis s. Petri civitatis Aretii, quatuor extant dignitates: scilicet Praepositum, Archidiaconatus,Primiceriatus atque Decanatus. Ex(->pta Praepositura quae praebendam distinctam habet, reliquae

tres dignitates de massa sunt, prouti et canonicatus omnes, quorum erectio annum 1627 praeiverat. Hoc enim anno volvente, prior ex canonicatibus sex extra massam erectus est..

Canonici de massa erant in possessione nominandi novos canonicos et dignitates omnes, excepta praepositura, occasione vacantis alicuius canonicatus de massa, dummodo vacatio in mensibus reservatis non contigisset. Erant quoque in possessione nominandi inter se Archidiaconum et Primicerium, occasione itidem vacationis in mense haud reservato Pontifici.

Cum vacantem ob iniquam temporum conditionem ab anno 1862 Archidiaconatum contulisset Summus Pontifex Leo XIII Carolo G. per Litteras Apostolicas diei 25 Februarii 1880, huius Pontificiae collationis occasione arrepta, Canonici de massa S. Sedem rogaverunt facultatem protranendi saltem ad quinquennium vacationem Primiceriatus, et aliorum trium canonicatuum, ac etiam facultatem eligendi et praesentandi idoneum canonicum loco D. Donati B, qui iam inde ab anno 1863 diem supremum viderat.

Ad huiusmodi preces excipiendas, Apostolica etiam Dataria in causam interveniente, necessarium ductum fuit, ut S. C. Concilii statueret de legitimo canonicorum patronatu- Quapropter locus factus est disputationi de patronatu activo et passivo canonicorum de massa: activo quidem circa nominationem ad canonicatus omnes et dignitates, praepositura tantum excepta: passivo vero super Archidiaconatus et Primiceriatus^ dignitates non alteri quam sibi conferendas. Antequam vera causa proponeretur, sciscitati sunt tum Ordinarius Aretinus tum canonici extra Massam, ut si quid haberent in sui favorem deducendum, proponerent. Quibus absolutis, et singulorum responsionibus, nec non voto S. Datariae accepto, causa proposita est.

Disceptatio gynoptiea

QUAE AB APOSTOLICA DATARIA ANIMADVERSA SUNT. Contra iuspatronatus activum adductum est: titulo deficiente, ad observantiam confugere Capitulum; non enim locum tituli te-

nere posse fundationes dotationesque antiquitus aetas ex leonis Capituli, non singulorum Canonicorum propriis. Verum •ex documentis erui; nominationes a Capitulo aetas, locum habuisse in canonicatibus apostolicis reservationibus haud obnoxiis. Immo in Bullis Apostolicis nullam reperiri de Capitulari hoc iure mentionem: ac ipsum Capitulum da massa in suis precibus declarasse : ius suum patronatus •sibi spectare tantum in casu cessantium Apostolicarum reservationum. Ergo Apostolicae Sedis iura extra omne discrimen manere.

Minus validam videri demonstrationem iuris patronatus passivi ex documentis ad acta exhibitis. Ast cum Capitulum declaraverit hoc quoque patronatus ius se non invocare in casu quo beneficium s. Sedi reservatum existat, immo velle debitum Apostolicas reservationes effectum suum quamplenissimum sortiri ; nihil habere s. Datariam quod Canonicorum de massa praetensionibus opponeret. Si quae iura laesa viderentur, eadem Ordinarii propria esse, et ab eo vindicanda.

QUAE EX OFFICIO ADDUCEBANTUR. Ex officio obiiciebatur Canonicis, tralatitium in iure haberi pro libertate beneficiorum semper praesumi: et alleganti iuspatronatus, onus incumbere illud probandi *Rota Recent, p. 4 decis 59 num. 9.* i
Titulo Capitulum destitui: nec locum tituli tenere posse fundationem dotationemque quorumdam canonicatuum et dignitatum Archidiaconi et Primicerii actam saeculo decimoquinto.

Ex hoc enim quod tunc temporis Canonici egerunt, nullum actualibus Canonicis de massa ius promanare.

Nec ipsis opitulari observantiam : nam in materia iurispatronatus pro observantia constituenda contra liberam Episcoporum collationem requiritur : ut saltem probentur, *praetentationes per quadraginta annos effectum sortitae* dummodo cum huiusmodi quadragenaria possessione concurrat pjublica vox, fama* vel aliae praesumptiones quae habeant v>im famae.* Ferraris *verbo iuspatronatus* art. 3 *num 44.* Iamvero anno 1843 Episcopum Fiascaini dignitatis Archidiaconatus disposuisse tamquam liberae collationis:

atque hoc actu praescriptionis fluxum favore Canonicorum penitus interruptum mansisse.

QUAE CAPITULUM IN CONTRARIUM AFFEREBAT. Antequam ad quaestiones 'dé iuspatronatus propius accederet Capitulum, tria declarabat. Protestabatur primo loco, se per defensionem ani patronatus a;ctivi vel passivi nihil detrahere velle iuri- •bus s. Sedis ex reservationibus affectionibusque promananti- bus. Secundo loco monebat, se contradictorem verum nulluni habere, nam et Apostolicam Datariam, et Ordinarium areti- num, et Canonicos extra massam a vera iuris patronatus con- testatione abstinuisse. Declarabat tertio loco, sub nomine Ca- pituli, Canonicos de massa intelligi debere.

Capitulum igitur, hoc est Canonicos de massa, praeten- dere *primo* ius patronatus super omnibus canonicatibus, prae- bendis et dignitatibus de massa, (excepta Praepositura) ex- clusive quoad ceteros, sibique et titulum et' observantiam adesse contendere. Ius enim patronatus tribus modis acquiri, sci- licet fundatione,aedificatione et dotatione. Atqui intacto certum esse, Capitulum bonis quae processu temporis sibi aifiuebant a saeculo decimo ad decimum quartum, maluisse novos ca- nonicatus erigere, quam fructus omnes suos facere. Ita fun- dationis et dotationis titulos favere Canonicis de massa: ipsos enim propria Capituli bona, quorum reditus percipere, et suos facere potuissent, destinasse fundationi et dotationi novorum canonicatuum.

Nec obiiciendum, huiusmodi fundationes et dotationes ex bonis Capituli fuisse peractas: id enim frequentissime acci- dere in iuspatronatus ecclesiastico. Verum autem hoc modo iurispatronatus titulum confici, erui ex *Card. De Luca de iure pair. Dise. 7 num. il.*

Titulo etiam deficiente, iuspatronatus ecclesiasticum fa- vore Capituli maxime probari praescriptionibus statutorum Capitularium, teste eodem *Card. de Luca loc. cit.* Porro in statutis Capituli anno 1263 confectis, legi « Item quod ele- ctiones, postulationes, provisiones, concessiones et praèsen- » tatiönes praelatorum rectorum et canonicorum et clerico-

» rum quae faciendae et celebrandae fuerint in Ecclesiis ad
» Canonicam aretinam spectantibus, vel in quibus habet ius
> eligendi, postulandi, sive praesentandi, fiant in Capitulo»
> Canonicae aretinae, praesente et consentiente maiori partem
» canonicorum »

His etiam missis, quoniam gravissimum iurispatronatus-argumentum habetur ex observantia, *Ferraris* verbo ius-patronatus *licet 3 num. 44 - Rota Decis. 5 num. 25 part. 9 Tom. 1 et Decis. 64 Num. 11 part. 13 Recent** et observantiae continuae ab anno 1478 ad praesens probationes a Capitulo editae sunt, de hoc iurepatronatus dubitare minime-licere.

His accedere Antistitum aretinae Sedis constans ac uniforme testimonium: quod maximum, ah eodem auctore *Ferraris loc. cit.* nuncupatur. Aretinos namque Episcopos in Bullis institutionis canonicorum de massa, atque Archidiaconorum et Primiceriorum, formulam adhibuisse ab anno 1552. « Ca-
» pitulum et Canonici, ad quos electio et praesentatio per-
» sonae idoneae ad primiceriatum et dignitatem huiusmodi
» (vel *canonicatum* cum de simplici praebenda canonicali
» ageretur) sic vacantem pertinet et spectat. »

De nominationibus a Pontifice directe peractis, vel ab Episcopis, ex delegata Pontificis auctoritate, nihil esse dicendum: nam centies tradidisse *s. Rotam Decis. 421 Part. 18 Recent, num. 30, et Decis. 245 part. 9 num. 35,* provisiones a Papa peractas non praeiudicare patronorum iuribus. Idipsum docere *Card. De Luca De iurepatr. Disc. 7. num. 7** Id autem descendere ex ipsa natura iurispatronatus Ecclesiastici, *Piton. Discept, eccles. Disc. 3 num. 7.*

Tandem, toto eo tempore quo a s. Poenitentiaria quotannis Hetruriae Episcopis facultates extraordinariae indul-1ae sunt, pro nominationibus explendis, etiam in mensibus reservatis, vel in beneficiis s. Sedi quoquo modo affectis, Canonicos de massa constanter nominandi ius exercuisse. Cum enim dubium ortum esset inter aretinum Episcopum et Canonicos de massa super huius facultatis interpretatione, s. Poe-

nifentiaria mense Maii 1848 declaravisse « iura conferendi » beneficia iurispatronatus ecclesiastici, habeantur durantibus » facultatibus,redintegrata, perinde ac si reservata non essent,. » scilicet ut iura restituta esse censeantur patronis ecclesia-» stieis praesentandi, Episcopo vero praesentatos a patronis > instituendi.»

Ad iuspatronatus passivum devenientes Canonicorum defensores, illius originem indicabant in actu capitulari diei 24 Maii 1465, in instrumento celebrato insequenti die 25, *m* **solemni Episcopi approbatione , in Bulla Summi Pontificis Paulli II. Cum enim ob deficientes reditus, dignitates Archidiaconi et Primicerii quae antiquitus extiterant, suppressae fuissent, Capitulum eas restituisse ac de novo erexisse, Archidiacono assignando tertiam partem redituum, plusquam ceteris canonicis, quartam vero partem plus quam ceteris Primicerio. Ast'pro earum dignitatum collatione constituisse Capitulum , ut singuli canonici scrutinari debeant et scrutinentur: eaque methodo, ad praesens usque servata, primum Árchidiaconum primumque Primicerium elegisse.**

Haec anprobasse Episcopum : et Summum Pontificem Paullum II confirmasse « quaecumque in instrumentó et lit-» teris huiusmodi contenta erant ».

Observantiam pro hoc quoque iuspatronatus haberi, nam exceptis nominationibus a Pontifice peractis, semper in aliis vacationibus Archidiáconos et Primicerios in suo sinu electos praesentasse Capitulum, documentis ostendi plurimis atque; constantibus. Obiectum ex Episcopi Fiascaini verbis erutum, elidi subsequentibus Capituli nominationibus quamplurimis, quas ille idem Episcopus ratas habuit, in Bullis institutionis verbis adhibitis, quae pertinentiam iurispatronatus favore Capituli in tuto posuerunt.

Ad odium excludendum quod contra hoc suum ius excitari posset, eoquod servitutem Episcopalium iurium laesivam inducunt, allegabat Decisionem *Fanen. ^Canonicatuum diei 5 Maii 1700.. coram Caprara §. at quia* **qua statutum est, posse huiusmodi iura praescribi ab inferiore: nec non tradita**

a *Card.. De Luca de benef.* cit. *Diseurs. 7 num.* ***4.*** Plusquam septies centenariam praescriptionem, in casu haberi : nam anno U£>3 Summum Pontificem Lucium III, in Litteris ad Capitulum, jnissis,, scripsisse « Antiquas et rationabiles » consuetudines vestras, hactenus observatis .vobis vestrisque » successoribus, auctoritate Apostolica confirmamus et perpe- » tuo manere decernimus... electionem quoque Primicerii si- » cuti a prefato Hyeronimo quondam Episcopo vestro statu- **it** tum fuisse cognoscimus.»

His hinc inde disputatis, S. C. proposita fuerunt resolvenda

Dubia

7. *An constet de iuspatronatus activo super omnibus canonicatibus, praebendis et dignitatibus de massa, favore tantum canonicorum de massa, exclusive quoad ceteros in casu,*

IL An constet de iuspatronatus passivo super Archidiaconatu et Primiceriatum in eadem Cathedrali existentibus, favore tantum canonicorum de massa, exclusive quoad ceteros in casu.

RESOLUTIO. S. C. Concilii, in comitiis generalibus diei **15** Iulii **1882,** rescriptum edidit:

A.d utrumque affirmative.

Ex **HIS COLLIGES**

L Iurispatronatus ecclesiastici validissimum titulum praebere fundationem dotationemque beneficiorum.

IL Ex communi DD. sententia pro fundatione et dotatione beneficiorum non requiri, ut fundatores de bonis propriis novas praebendas constituant: sed satis esse, ut beneficia erigantur ex bonis mensae capitularis, quorum fructus de cetero fundatoribus pertinuissent.

III. Ea iura èsse servanda, quae in huiusmodi ereetionibus ac dotationibus fundatores sibi expresse reservata voluerunt, praesertim cum expressus Ordinarii consensus et Pontificis confirmatio accesserint.

IV. Magnum existentis iurispatronatus argumentum erui ex observantia. Observantiae autem maximam demonstrationem praebere Statuta capitularia, quae tanto maiori praestant auctoritate, quanto antiquiori aevo condita sunt.

V. Nominationes a Papa peractas etiam per saecula, patronorum iuribus non praeiudicare.

VI. Odium in huiusmodi iurium exercitio non haberi, eo quoi contra Episcopos servitutem constituant: cum qualitas patronalis canonicorum in Cathedralibus modum potius quam substantiam afficere videatur. Etenim loco simultaneae, electiones canonicorum Capitulo, Episcopo vero electorum confirmationes reservantur.

FELTRIEN.

IURIUM ET PRIVILEGIORUM

Die 15 Iulii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Labente saeculo XVI Feltriensis civitas , eiusque suburbia unicam constituebant Paroeciam % cuius habitualis cura penes Capitulum cathedralis Ecclesiae, actualis vero a duobus Vicariis, Sacristae nuncupati, quorum unus Canonicus, alius Mansionarius, alternis hebdomadis, gerebatur. Cum autem memorati Vicarii omnibus fidelibus sacramenta indiscriminatim administraren!, aliaque parochialia munia promiscue peragerent, huiusmodi animarum curae exercendae ratio multis incommodis obnoxia, ac in spirituale populi detrimentum vergere, videbatur. Quod- animadvertens Faventinus Episcopus, Visitator Apostolicus ,

animarum curae aptiori modo consulere satagens, die 30 Augusti 1584 Decretum edidit, quo statuit, ut Feltriensis -Episcopus « quamprimum sibi id expedire videbitur , po- > pulum ipsum in duas Parochias distinguat, ita ut Sa- > cristae praedicti suos quisque proprios paróchianos agno- » scat, ipsorumque curam habeat . . . . iuxta eiusdem Con- » cilii (Tridentini) dispositionem ».

Huiusmodi mandatum Rovellius Episcopus Feltriensis suo Decreto diei 1 Iunii 1593 executus fuit. Praestat Decreti verba, quae ad rem nostram faciunt, claritatis gratia, afferre « . . . . Episcopus Feltriensis . . . . considerans ex » dispositione sacri Conc. Trid. *Sess. 24 cap. 13 de Reform.* » Episcopis mandatum fuisse , quod in iis civitatibus ubi » parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec eorum » rectores proprium populum quem regant.... pro tutiore » animarum eis commissarum salute populum in certas pro- » priasque Paroecias distinguere, et illarum unicuique suum » perpetuum peculiaremque Parochum assignare debeant, » qui proprias animas cognoscere valeat, et ab eo solo licite » sacramenta suscipiant, ... auctoritate dicti Concilii. . . » populum civitatis Feltriensis . . . . in duas Paroecias per » duos dictae ecclesiae (Cathedralis) Parochos Sacristas, seu » curatos nuncupandos, regendas divisit... ». Assignatis autem unius Paroeciae limitibus statuit: « Parochia unica » sit, et specialis Ecclesiae Feltriensis, s. Lucae nuncupata, » et ad Curatum Ecclesiae Cathedralis Feltriensis, s. Lucae » nuncupatum, perpetuo, peculiariterque ac pleno iure . . . . » pertineat, iii ipsaque Parochia habitantes eumdem Curatum » pro eorum vero . . . peculiarique Parocho habeant . . . . » et ab eo solo licite ecclesiastica sacramenta suscipiant ». Statis deinde finibus alterius Paroeciae, quam s. Marci appellandam , eiusque rectorem Sacristam s. Marci nuncupandum iubet, eadem praecise verba nuper relata repetit. < Et insuper , prosequitur , ad commodiorem munerum pa- » rochialium infrascriptorum functionem idem . . . . Epi- » scopus . . . . . decrevit, quod Parochi praedicti singuli

» scilicet intra fines eorum Parochiae propriae personaliter
> resideant, communiter vero et aequaliter usum Cathedralis
-» Ecclesiae pro eorum propria parochiali Ecclesia habeant:
» singuli vero perpetuo singulas claves fontis baptismalis,
» sacrorum oleorum , sacratissimaeque Eucharistiae saera-
» menti, necnon quatuor libros parochiales, videlicet anima-
* rum, baptizatorum, confirmatorum et matrimonio iunctorum
» propriae Parochiae .... teneant.... maiores minoresque
» hostias ad usum celebrationis Missarum sacraeque communio-
» nis dictae Ecclesiae propriis eorum sumptibus praestent;
» alternis vero hebdomadis unus eorum divinum officium in-
» choare Missasque in Choro illis incumbentes celebrare . . .
» debeat. Alter vero inter Missae sacrum . . . . populo ser-
» monem habere, festa et alia divina officia celebranda pu-
» blieare, et matrimonia contrahenda promulgare... teneatur».

Nemo unquam exinde dubitavit, duas proprie dictas Paroecias, duosque veros Parochos actuales, seu Vicarios curatos Feltriae extare. Verum parochiale praefatorum Vicariorum officium, ita temporis progressu coarctatum fuit, ut •saltem in civitate ad haec tria redactum sit, nempe ad baptismi collationem, matrimoniorum' benedictionem , ac sacramentorum vita decedentibus administrationem.

Sacrificium pro populo numquam Vicarii hucusque perlitarunt, Sanctissimae Eucharistiae in Cathedrali , eaq[ue parochiali Ecclesia distributio cuidam Sacrarii Custodi a Capitulo demandatur, ita ut Vicarii curati , ne tempore quidem paschali , noscant, quinam ex suis parochianis ad sacram Synaxim accedant. Vicarius s* Lucae semel tantum in mense, in quodam pago suburbano , Vicarius autem s. Màrci, bis in mense, semel scilicet in uno, ac semel in altero ex duobus aliis subiirbiorum pagis, sermonem ad populum habent. In civitate vero, parochiale hòc munus nec unquam obierunt, neque obeundi iure potiebantur, cum Capitulum Cathedralis, quatenus Parochus habitualis eiusmodi sibi ius ^indicaverit, eique ©neri satisfieri au tum averi t per praedicationem, qua in Cathedrali Ecclesia tempore

Quadragesimae, ac Adventus expletur. Fueris denique in christianae doctrinae rudimentis edocendis operam dant Vicarii curati quoad praedictos tantummodo suburbiorum pagos : in civitate autem id sibi competere Capitulum arbitratur , ex cuius delegatione quidam, seu Canonici, seu simplices sacerdotes, pueros utique et puellas in diversis Ecclesiis cathechismum edocent, quin tamen ullus curam agat, ut pueri ipsi sacrae huic institutioni fideliter adsint, et quin Vicariis curatis compertum sit, quinam ex propria cuiusque Paroecia institutionem eamdem frequentent, aut. negligant.

Haec omnia cum, pastoralis Visitationis occasione, actualis Episcopus deprehenderit, cumque plura inde in populum detrimenta derivare perspexerit, in id animum intendit , ut remedia , quae his abusibus evellendis opportuniora viderentur, adhiberet. In primis itaque Vicariis obligationem missae pro populo festis diebus litandae suadere studuit. Quod praeceptum aegre tulit Capitulum; hinc Decanus, eius nomine, supplicem libellum S. C. C. obtulit. Episcopus a S. C. C. rogatus retulit, Capitulum convocasse, ut, collatis cum ipso consiliis, huiusmodi controversiae, aliaeque exercitium parochialis curae respicientes componerentur ; cum autem nihil proficeret, rogavit ut mentem, suam S. C. aperiret.

Disceptatio Synopticis.

DEFENSIO CAPITULI. AC in primis Capitulum contendit, per Episcopum Rovellium, innixum Decreto Visitatoris apostolici edito sub die 1 Iunii anni 1593,utrique Vicario civitatis partem pro sacramentorum administratione commissam, non vero duas Paroecias institutas fuisse. Sane Visitator apostolicus spirituale detrimentum derivare comperìens ex alternativa curae gerendae iussit, ut Episcopus unicuique Vicario determinatum fidelium numerum assignaret,, qui ab illo tantum sacramenta licite suscipere deberent. At ex Mae dispositione

argui non licet, autumat, duas Paroecias constitui mandasse. Neque vero id effecisse Episcopum Rovellium, Visitatoris Apostolici decretum executioni demandando, ostendi posse putat documentis, ex capitularibus actis depromptis: quibus dicitur in Cathedrali Feltriensi, unam tantum Paroeciam extare , cuius curam Capitulum olim per suum Decanum, una cum duobus Sacristis exercebat, deinde vero a Sacristis tantum, Capitulo tamen subiectis, gerebatur ceu Capitulum asserit. Praeterea, ipsomet fatente Episcopa, Capitulum uti Parochus habitualis semper habitum est. Porro ubi unus habitualis Parochus adest, una tantum Paroecia extare videretur.

Demum indubium videtur, quod trium saeculorum lapsu,- Capitulum, et Vicarii ita se gesserunt, ac si una haberetur Paroecia, et Episcopi decretum huiusmodi pernoscentes,. nunquam ad eiusdem observantiam ipsos revocaverunt. Quare cum nequeat admitti, tot Antistites munus suum negligenter explevisse, potius dicendum, ipsos putasse praefatum Decretum vel nunquam executum fuisse, vel duarum paroeciarum institutionem minime praecipere; ideoque locutiones , quaealiud innuere viderentur, Capituli favore intelligendas esse.

Quo posito , inutile esset de secundo dubio disquirere. At in hypothesi, quod placeat, EE. VV. in alteram abire sententiam , Capitulum enititur ostendere, Cathedralem uti unicam parochialem ecclesiam permanere debere. Et re* quidem vera, id minime Trid. Conc. dispositionibus opponi videtur, quibus Episcopi iubentur ut distincto populo in certas paroecias, unicuique perpetuus Parochus assignetur , non. auteni ut unaquaeque Paroecia peculiarem Ecclesiam habeat-. Hinc eadem Ecclesia pro duabus vel pluribus Paroeciis îoptime inservire potest, cum finis a Tridentino intentus , ut nempe quilibet Parochus proprios fideles cognoscere eisque sacramenta administrare valeat, pariter consequatur. Quare Sequi videtur Episcopi Rovellil decretum in ea parte, qua statuitur « ***communiter vero et aequaliter-> usum Cathedralis Ecclesiae pro eorum (Vicariorum)***

> *propria Parochiali Ecclesia habeant* » in süö vigore manutenendum esse.

Quod magis retinendum, ait Capitulum, si perpendatur non semel Feltrienses Episcopos duplicem parochialem Eo •clesiam constituere in animo versatos fuisse, at perspicientes maximas difficultates huic innovationi opponi, satius putarunt relinquere res in statu quo erant, ne damna maiora «evenirent:aliquae Canonicis ipsis gravissima videntur derivare posse. Ex quibus concludi posse videtur, ad Cathedralis Ecclesiae decus, et ne plurima damna ipsi obveniant, nullam -aliam -parochialem Ecclesiam eligendam esse.

Ad Missam autem pro populo quod attinet, videtur Vicarios illam perlitare non teneri , et Missae conventualis •celebratione etiam huic oneri satisfieri. Et sane. Vicarios in casu* missae pro pópulo Obligatione non obstringi, satis .aperte probari videtur auctoritate Clar. Lucidi in opere *de Visitatione SS.- LL. vol.* **1:** *p. 435.* Cum itaque in themate et habitualis cura penes Capitulum resideat, et Vicarii numquam Missam pro populo perlitare consueverint, videretur ipsis nec in posterum hanc obligationem imponendam , Capitulum vero cum per tria saecula bona fide putaverit, Missae conventualis applicatione, etiam oneri missae pro populo satisfieri posse praescriptionis iure frui videretur.

Parum in quarto dubio immorandum esse arbitror, siquidem ostensa superius Paroeciae unius existentia, liquido sequi videtur alterutrum , non autem utrumque Vicarium , verbum Dei ad populum diebus festis annunciare debere. -Nulla enim necessitas apparet ut, praeter Tridentinae Sy^ .nodi praescriptionem, Vicarii cogantur in alia etiam Ecclesia .sermonem ad populum habere , cum parva sit civitas,, et fideles ad Cathedralem commode accedere possint.

Ad consuetudines devenient, in primis generice observandum duco j ait defensor, consuetudinem, cuius memoria non extat, ius inducere qua rei iudicatae, qua transactionis, -qua privilegii Principis; *Gloss, in cap. "Super quibusdam,*

verbo Non extat memoria De verbor. significat.* Rota in Beneventana * Manutentionis quoad molendina 15 Martii 1819, coram Marco** et mater est cuiuscumque melioris tituli de mundo; *Rota in Beneventana Manutentionis quoad molendina 20 Martii 1820 coram eod.*--Hinc maxima consuetudinis vis est tam de iure civili *I. 3.* ***C.*** *De Episc. aud. I. Munerum ff. De muner. et bonor.* quam de iure canonico: *cap. 9. De consuet.; Rota in Montis Falisci Canonicatus 5 Maii 1823. coram Tiber i.*

Specifice vero consuetudo , qua Vicarii festis diebus in suburbia aliquando sese conferunt, ut ibi parochiali muneri incumbant, sustinenda esse videtur. Cum enim in suburbiis commorantes a Cathedrali Ecclesia distent, magisque spiritualibus auxiliis indigeant, laude digni Vicarii videntur, qui verbi Dei praedicatione , sacrisque functionibus eorum pietatem fovent.

Neque destruenda pariter videtur consuetudo., qua Vicarii a praedicationis onere sese eximunt iis diebus, quibus Canonicus Theologus sacrae Scripturae lectiones, annualista autem conciones habet. Huiusmodi enim consuetudo, nedum opposita, quin imo Trid. Conc. dispositioni in *sess. 24 cap. 4 de Reform,,* consona potius videtur. Ibi enim statuitur: « Praedicationis munus, quod Episcoporum praeci-
» puum est. . . mandat (sancta Synodus) ut in Ecclesia sua
» ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint per eos,
» quos ad praedicationis munus assument, in aliis autem
» Ecclesiis per Parochos. > Quare cum in Feltriensi Cathedrali Episcopus, utpote in sua propria Ecclesia, praedicationis munere praecipue fungi teneatur, et per Canonicum Theologum, aliosque concionatores id peragat, expedire videtur, ut Vicarii iis diebus sermonem ad populum omittant, ut fideles ad audiendos alios verbi Dei praecones Episcopi vices explentes et frequenter Vicariis peritiores confluant.

Ad septimum dubium quod attinet ; cum ex superius expositis satis manifestum appareat alterutrum Vicarium praedicationis munus obire debére, sponte sequitur ab onere

Missae conventualis canendae minime Vicarios **suDievandos** esse. Capitulare enim Statutum a pluribus Episcopis approbatum iugiter in suo vigore permansit; ideoque gravissima causa **requireretur,** ut mutationem aliquam subire deberet. At haec causa in casu deesse videtur. Praetereundum praeterea non est si aliter fieret, novum onus Mansionariis,- absque ullo emolumento imponeretur, quod certe contra aequitatis regulas esset.

Sustinenda pariter videtur consuetudo , qua ius ac directio christianae doctrinae, civitatis pueris tradendae, Capitulo reservatur, suburbiorum puerorum cura Vicariis relicta. Huiusmodi enim munus haud ita exclusivum Parochi videtur,ut aliis etiam ab ipso Parocho independenter competere- non possit. Sane talis consuetudo in pluribus locis viget, et ab ipsa S. C. C. in *Ferrarien. 11 Augusti 1742* confirmationem obtinuit. Quod si in perdita hypothesi EE. VV. iudicabunt, dictam consuetudinem fore abrogandam, minime tamen sequi videretur, Episcopum adigere posse Sacerdotes,, animarum curae non addictos, ut pueris fidei rudimenta doceant. Nulla enim obligatio est imponenda nisi sacris canonibus innitatur. Porro tum Trident. Conc. tum Constitutiones Pontificum hoc munus Parochis demandarunt.

Pariter improbanda minime videtur consuetudo, qua Capitulum ad sanctissimae Eucharistiae administrationem sacerdotem designat. Nullibi enim Parochi iubentur per se ipsos huiusmodi sacramentum administrare , et pluribus curis distenti neque possent, si vellent. Talem autem consuetudinem non opponi parochialibus iuribus apparet etiam ex eo , quod in hac alma urbe penes aliquas patriarchales et simul parochiales Ecclesias viget. Perperam vero obiicitur inde consequi Vicarios nescire quinam, praesertim Paschali tempore , ad sacram Synaxim accedant, cum id aliter noscere valeant.

Legitima demum consuetudo videtur, quo Vicarii obligantur matrimoniales publicationes Capituli inspectioni' subiicere. Valde enim convenit ut Capitulo veluti habituali

Parocho , et in cathedrali Ecclesia, post .Episcopum omnimoda potestate pollenti, obsequii actus exhibeatur.

Quoad ultimum dubium nulla controversia extare posse, videretur, quod Episcopus ad fidelium pietatem fovendam sacras functiones ,a Parochis peragendas decernere possit, dummodo debitus honor cathedrali Ecclesiae servetur-, et Vicariis obligationes, praeter parochialia munera, absque emolumento nqn imponantur.

DEFENSIO EPISCOPI. Altera sed vero ex parte censet Episcopus praefato Decreto, civitatem et suburbia in duas Paroecias divisas fuisse. Et re quidem vera, Visitator Apostolicus iussit, ut Episcopus « . . . populum, ipsum in duas » Parochias distinguat. . . iuxta eiusdem Concilii (Triden- » tini) dispositionem ». Iamvero tum ex modo loquendi, tum, ex mandato , Episcopo dato , ut iuxta Tridentianas dispositiones huiusmodi divisionem perageret, satis patere videtur, Visitatoris apostolici mentem fuisse, ut populus in duas proprie dictas Paroecias distingueretur.

Verum omne dubium evanescere videtur super hoc quaestionis capite, si Episcopi decretum perpendatur. Ibi enim Episcopus, praemissis Tridentini verbis *sess. 24 cap. 13 de Reform,* quibus statuitur, ut ubi Parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, populus in certas propriasque Paroecias distinguatur, et unicuique perpetuus peculiarisque Parochus assignetur, prosequitur <... cupiens iuxta praedicti Concilii, > et Visitationis decreta curae animarum dictae civitatis » exercitium opportuna ratione dirigere... auctoritate dicti 5» Concilii... eamdem civitatem in duas Paroecias per duos » dictae Ecclesiae Parochos... divisit. » Unicuique deinde Vicario civitatis parte assignata, pleno iure regenda, additur «... statuit ut singuli intra fines propriae Paroeciae resi- » derent... claves fontis baptismalis, sacrorum oleorum sa- » cratissimaeque Eucharistiae haberent, ac quatuor libros » parochiales... servarent ». Ex quibus perspicue constare videtur, ipsum duas Paroecias constituere voluisse.

Hoc idem luculenter evincitur ex Vicariorum institutione¿ Cum enim Capitulum, ne ius quidem eos, eligendi sibi reservaverit, instituti semper fuerunt «... per concursum, ait > Episcopus, ac per canonicam investituram ad liberam Epis- » copi collationem; eorum Beneficia in ipsis institutionis » Titulis beneficia parochialia vocantur: ac si quando alte- » ruter ex una ad alteram Paroeciam regendam translatus est,. » id constanter per novum concursum, novamque canonicam » institutionem actum est. » Id demum confirmatur,rêferente Episcopo, ex constanti omnium persuasione, ne ipso quidem Capitulo excepto, quod in relatione Episcopo, Dioecesim perlustranti exhibita, asseruit duas esse in illa civitate paroecias.

Extra controversiam posito duas Feltriae Paroecias extare, Episcopus sustinet, quamprimum rerum adiuncta permiserit, utrique propriam Ecclesiam designandam esse. Contendit enim Episcopus Trid. Conc. *sess. 24 cap. 13 de Refor.* **nedum Paroeciarum divisionein, sed etiamcuique Paroeciae peculiarem Ecclesiam designandam praecipere. Hinc decretum Visitatoris apostolici ita intelligendum, ut ad tramites dispositionis Concilii pro unaquaque Paroecia propria Ecclesia eligeretur. Quod si Episcopus Rovellius, hac in parte decretum executus non fuit, ex eo repetendum videtur,, quia tunc temporis omnes fere Ecclesiae a Regularibus regebantur. Si autem idem perficere non valuerunt, hoc ipso saeculo, tres Feltrienses Episcopi, quamvis maxime expedire perspexerint, enixe adlaborandum, ait, ut huic necessitati occurratur.**

Circa laesionem iurium et consuetudinum Capituli notavit Ordinarius: multa adesse in capitularibus statutis quae, haud amplius observantur ob temporum variationem, aliis autem derogatum fuisse a Capitulo, assentiente Episcopo: iamque datam fuisse operam, ut statuta ipsa reformarentur. Quomodonam Capitulum obiiciet iura antiqua et consuetudines tantum quoad parochos et curam animarum *i* Consuetudines istae servari nequeunt eoquod impediunt ss. canonum observantiam, et bonum animarum.

Ad damna vero quod attinet, primum expungit contendens in sacris functionibus non tam fidelium concursum, quam eorum pietatem esse pensandam, quae certe magis foveretur, cum singuli Vicarii propriam haberent Ecclesiam in qua sacras functiones libere, et diligenter peragerent. Quoad alterum observavit: etiamsi Paroeciae a Cathedrali Ecclesia separarentur, rem ita componi posse, ut Mansionarii sua iura minime amittant. Damna autem quamplurima enasci, ait Episcopus, ex hac unione cum cathedrali: nam parochi Ecclesia carent ubi zelum exerant, pene ignorantur a suis paroecianis, nihilque possunt ut populos contineant in recto tramite et ducant ad spirituale bonum.

Ad tertium et quartum dubium gradum faciens notandum puto, ait Ordinarius, cum singulis animarum curam gerentibus obligatio sit imposita, festivis diebus Missam pro populo perlitandi, absonum omnino videri Missae conventualis applicatione, huic etiam oneri in casu satisfieri posse, vel utrumque Vicarium hac obligatione minime detineri. Primum certum prorsus apparet ex. eo quia unius missae celebratione duplex obligatio impleri non potest. Alterum pariter constat ex Trid. Conc. *Sess. 23 cap. 1 de reform.*, ubi decernitur, omnes illos, quibus animarum cura commissa est, pro suis parochianis Sacrificium offerre debere. Unde singuli Vicarii, cum fateantur animarum curam *pleno iure* exercere, videntur eximi ab hac obligatione minime posse.

Idque eo fortius, quia Tridentinis sanctionibus inhaerendo obligationem huiusmodi urgere videtur *Bened. XIV* in sua *Constit. Cum semper oblatas* diei 19 Augusti 1744, in qua *Cum enim,* statuit, quod si animarum cura penes aliquod Capitulum habitu residet, actu vero penes Vicarium sive perpetuum, sive temporaneum, Missam pro populo a rectore actuali, minime vero ab habituali applicandam esse. Quibus consonant decisiones quamplurimae s. C. C.

Consuetudo autem contraria, quae ab iisdem sacris Canonibus, et Constitutionibus Pontificum sub abusus et corruptelae titulo penitus reiicitur, minime Vicariis suffragari

potest^ Qua de re obligationem Missam pro populo celebrandi utrumque Vicarium obstringere, extra omnem, dubitationis aleam positum esse videtur.

Praedicationis munere pariter utrumque Vicarium singulis diebus festis iungi- debere:, liquido sequitur ex Tridentina *Bjnoaö<Sessyü* 5 *-câp. £ de Ref.* ubi quibuscumque Paroeciales Ecclesias obtinent i bus caus imponitur, ut diebus festis plebes sibi-commissas salutaribus verbis pascant;'Romani vero Pontifices- j>ro huius dispositionis observantia suis Constitutionibus pluries institerunt. Cum singuli **ataque** Vicarii <hoc -onus nullo pacto effugere valeant, patet Episcopum potestatis suae limites haud excedere • aliam Ecclesiam designando in quo verbum Dei ipsi annunciare debeant.

Ad consuetudines autem quod attinet generice prius observandum* duco easdem nulla vi potiri, si Tridentini decretis opponantur: idque propter decretum irritans appositum in *Const. Pii IV In Principis Apostolorum,* ¡ quod singula Concilii, capita complectitur, ceu sapienter monet *Benedictus XIV Jnstit. Eccl. 60 n. 7.*

Specifice vero quoad consuetudinem, é|ua Vicarii, aliquando diebus festis suburbia petunt, ut horum fidelium bono spirituali consulant, veluti abusus eliminando videretur. Hisce enim diebus cum plurimi in Paroecialem Ecclesiam conveniant, ut sacramentis reficiantur, ac cum Vicariis agant, necesse est, ut ibi pastorali ministerio incumbant, neque se conferant in suburbium aliquod, in quo minima reperitur populi pars.

Munus praedicandi verbi Dei Parochis impositum huius^ modi est, ut nullo unquam anni tempore etiam ex immemorabili consuetudine praetermitti possit. Improbandum itaque est, quod Vicarii ab hoc munere sese eximant, quum Theologus lectiones sacrae Scripturae,- Annualista vero conciones habet. Ista enim consuetudo corruptela est, ac proinde reiicienda *Cap. ult. De Cons. Fagnan. ad Cap. Cum contingat de for. comp. num. 11:* imo eam nedum reprobava Trident. Syn. *sess. 5 cap. Z de Reform,* verbis illis

« Neque huius decreti executionem consuetudo... impedire > valeat », sed etiam Innoc. XIII, qui in *Constitut. Apostolici ministerii* die 13 Maii 1723 Parochos redarguii, qui •diebus festis plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere praetermittebant, culpam huiusmodi a se amovere nitentes praetextu immemorabilis, sed quidem pravae consuetudinis, «et quia ab ipsis id praestari necesse non videbatur, ex eo «quod copia eorum aderat qui sacras conciones habebant.

Satis evidenter ex superius allatis ostensum est, utrumque Vicarium diebus festis populum ipsis commissum salutaribus verbis pascere debere. Cum autem executioni huius ^muneris frequenter impedimento esse posset obligatio a Statuto Vicariis imposita diebus festis Missam conventualem canendi; hinc spirituali fidelium bono magis expedire videtur, ut ab hac obligatione Vicarii exonerentur. Sane si iuxta dioecesanam synodum, dum parochiali officio vacant a chori assistentia eximuntur, maiori ratione ab onere Missae conventualis diebus festis canendae sublevandi videntur, cum iis diebus, peculiari modo, in animarum salute promovenda incumbere debeant.

Abroganda pariter videtur consuetudo, qua Capitulum ius sibi vindicat, civitatis pueros, independenter a Vicariis, -fidei rudimentis imbuendi. Opposita enim apparet praescriptioni Trid. *Sess. 24 Cap.7 de Reform.*^ huiusmodi munus Parochis committitur praecipiendo, ut dominicis et aliis festivis diebus pueri in singulis Parochiis fidei rudimenta doceantur.

Quare etsi laude dignum Capitulum sit, eo quia in pueris •erudiendis opem Vicariis ferat, absonum tamen apparet, ut ait Episcopus, quod in civitate ius hoc et cura huiusmodi "habeantur ceu Cjpituli propria. Hinc decernendum videtur ut sub Parochorum directione, Capitulum operam suam exhibeat.

Cum autem satis experientia compertum sit, Parochos ad id operis impares omnino esse, ambigendum non videtur posse Episcopum exigere, ut Clerici, qui tonsura initiari cu-

piunt, vel ad ordines maiores ascendere, aut Sacerdotes qui ad ecclesiastica beneficia promoveri exoptant, Parochos coadiuvent in christianam doctrinam pueros docendo; *Benedictus XIV Const. Etsi minime* §§. 6 et 14. Clerici enim alicui Ecclesiae addicti, et Dei servitio mancipati, Episcopi mandatis parere tenentur in iis operibus, quae divinum cultum, et spiritualem populi profectum respiciunt, nam Clerici et Sacerdotes pro populi salute sunt a Deo constituti.

Quin imo eorum adiutorium Episcopus, ubi necessitas expostulet, exigere potest, *gravibus, etiam statutis poenis,.* ut ex *citata Const,* §. 14. Concinunt quae statuta fuerunt a s. Carolo Bjrromaeo in *Synodo undecima dioecesana Mediolanensi part. 2 tom. 1 pag. 320;* ibi enim imposita legitur pecuniaria poena Sacerdotibus non coadiuvantibus Parochos in munere docendae christianae doctrinae - ibi — « Quicumque Sacerdos, aut beneficium obtinens Parochum » non adiuverit, mulctetur duobus nummis realibus ».

Minime pariter toleranda videtur consuetudo, qua toto-anni tempore SSmae Eucharistiae sacramentum per Sacerdotem a Capitulo independenter a Vicariis delegatum administratur. Talis enim usus nedum contrarius apparet decreto Episcopi Rovellio, quo iubetur ut uterque Vicarius Tabernaculi clavem asservare debeat, sed etiam Doctorum sententiae, qui tradunt hoc ius privative et exclusive ad Parochum pertinere, non obstante contrario statuto, et quacumque consuetudine *Card. Petra ad Const. Urbani IV;* et ita resolvit s. C. C. in *Asculana 25 Iunii 1689.* Atque adeo hoc iu^ Parocho competit, ut ipse unus de quacumque violatione circa Eucharistiam, Pyxidem, et Ostensorium respondere debeat, veluti exposuit *Giraldi* adducto *Decreto Innoc. III in generali Conc. Lateranensi.* Cum autem Vicarii non possent per se ipsos hoc munus implere, ita consulendum in casu videtur, ut ipsi Sacerdotem eligant, qui eorum vices gerat.

Abroganda demum videtur consuetudo, qua Vicarii matrimoniales denuntiationes inspectioni Capituli subiicere te-

iientiir. Id enim oppositum apparet, tum amplissimae Vicariorum potestati, tum praefato Decreto, in quo statuitur Vicarios, ita usum Cathedralis habere ac si esset eorum propria paroecialis Ecclesia; ideoque hunc subiectionis actum a Capitulo immerito exigi videretur.

Hisce ex utraque parte animadversis EE. PP. iudiciosupposita fuere dirimenda sequentia

Dubia.

I. *An Feltriensis Civitas Decreto anni 1593 in duas distinctas Paroecias divisa in casu fuerit.*

Et quatenus affirmative

II. *An praefatum Decretum* Quatenus Cathedralem velut unicam Paroecialem Ecclesiam statuit* sustineatur: seu potius ut primum f eri poterit utrique Paroeciae propria Ecclesia assignanda sit in casu.*

III. *An Missa conventualis a Parochis alternatim applicata* etiam oneri Missae pro populo satisfiat in casu.*

Et quatenus Negative

IV. *An alteruter* vel uterque Parochus Missam pro populo applicare debeat in casu.*

V. *An sufficiat* ut iuxta praefatum Decretum alteruter Parochus in Cathedrali Ecclesia diebus festis sacram concionem habeat; seu potius unus in Cathedrali* alter vero in Ecclesia, ab Episcopo designanda* hoc munere fungi debeat in casu.*

VI. *An consuetudo, qua unus Parochus bis in mense* alter vero semel, ad parochiales functiones explendas in suburbia se conferunt sustineatur in casu.*

VII. *An quoties in Cathedrali lectiones s. Scripturae, vel sacrae conciones habentur, Parochi a praedicationis onere, ex consuetudine* eximantur in casu.*

VIII. *An possit Episcopus Capitulum adigere ad proprium Statutum mutandum, si obligatio a praefato Statuto Parochis imposita, conventualis Missae alternatim canendae, praedicationis munus eis impediret in casu.*

IX. *An consuetudo, qua ius, ac directionem Christianae Doctrinae tradendae civitatis pueris Capitulum sibi vindicat, sustineatur in casu:*

Et quatenus negative

X. *An possit Episcopus Sacerdotes, animarum curae minime addictos, ad Christianam Doctrinam docendam adigere in casu.*

XI. *An consuetudo SSmae Eucharistiae administrandae in Cathedrali, etiam tempore paschali, per Sacerdotem a Capitulo delegatum, sustineatur in casu.*

Et quatenus Negative

XII. *An et quomodo providendum sit in casu.*

XIII. *An consuetudo matrimoniales denuntiationes inspectioni Capituli subiiciendi, antequam publicentur, sustineatur in casu.*

XIV. *An Episcopus, Cathedralis decoris ratione habita, sacras functiones in aliis Ecclesiis a Parochis peragendas, ad fidelium pietatem fovendam decernere possit.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re ample disceptata, sub die 15 Iulii 1882 censuit respondere:

Ad I affirmative.

Ad II affirmative ad primam partem, sed magis expedire ut utrique paroeciae, quamprimum fieri poterit, propria assignetur Ecclesia.

Ad III Negative.

Ad IV Negative ad primam partem , affirmative ad secundam.

Ad V Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad VI Negative: sed attentis peculiaribus circumstantiis, Episcopus pro suo prudenti arbitrio, prò nunc moderari, et cum primum fieri poterit, removere consuetudinem satagat.

Ad VII Negative; Sed perdurantibus circumstantiis, de quibus in praecedenti. Episcopus, iuxta votum suum, parochos eximere valeat.

Ad VIII Affirmative.

Ad IX Negative.

Ad X Generaliter loquendo negative; et Episcopus stet Constitititutioni Benedicti XIV. Etsi minime).

Ad XI Negative.

Ad XII Firmo parochorum iure, privative quoad tempus paschale quoad reliquum anni tempus, Ubertim esse relinquendum Capitularibus, sacram synaxim fidelibus petentibus administrare.*

Ad XIII Negative.

Ad XIV Affirmative.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Decerni ex *Trid. Sess. 24 cap. 13 de ref.* populos in certas propriasque paroecias distinguendos esse; et unicuique Ecclesiam propriam, et peculiarem, perpetuumque parochum esse assignandum, qui oves suas cognoscere valeat et a quo solo oves propriae sacramenta suscipere debeant.

II. In themate dubitari non posse duas esse paroecias, iam tum distinctas per Ordinarium, quum executus fuerit decretum Visitatoris apostolici ; quod evincitur per institutionem duorum vicariorum, qui postea omni in aevo, per concursum et per canonicam investituram libere electi ab Episcopo fuerunt, independenter a Capitulo Cathedralis.

III. Quamvis cura habitualis populi alicuius manere queat apud Capitulum sive Cathedralis, sive Collegiatae, attamen exercitium curae actualis independens esse debet ab eisdem capitulis iuxta ea quae pluries resolvit s. Congr. Concilii (1).

IV. Etsi cura habitualis apud Capitulum maneat, gerens tamen actualem animarum curam offerre debet sacrificium pro populo ex *Trid. Sess. 23 cap. 1 de ref.* ex Bened. XIV *Constit, Cum semper oblatas,* aliisque Pontificum constitutionibus; neque per Missae conventualis celebrationem huic

oneri satisfacit parochus : quum duo sint onera inter se distincta.

V. Consuetudines huiusmodi oneribus contrarias invectas. semper haberi ceu abusum et corruptelam omnino proiiciendam.

VI. Neque ambigere paulisper licet, animarum pastores pabulo verbi Dei reficere debere oves sibi concreditas, diebus festis, quum patula sit censura Tridentini *Ses». 5 cap. 2 de ref. ;* et RR. Pontifices pluries per Constitutiones, ad hoc editas, institerint pro huius dispositionis observantia, nihil obstante contraria consuetudine, etiam immemorabili.

VII. Pariter onus docendi pueros fidei rudimenta, dominicis aliisque diebus festis, in singulis paroeciis*'Parochis committi ex Trid. *Sess. 24 cap. 7;* absonum tamen non esse. sed omnino commendabile, ut alii quoque operam suam praestent ad hoc opus, sub directione tamen parochorum.

VIII Episcopos, generaliter loquendo, adigere non posse Sacerdotes, animarum curae minime addictos, ad christianam doctrinam docendam: posse tamen ex *Constit. Etsi minime* clericis denegare ascensum ad ordines maiores, et Sacerdotibus beneficia, si parochis operam suam commodare neglexerint in tradenda doctrina christiana. (1)

IX Ius administrandi sacramenta Matrimonii et Eucharistiae pertinere, privative, ad parochos qui curam actualem gerunt; ideoque nemo ius hoc sibi vindicare valet, etiamsi sit canonicus illius capituli, cui adsit cura habitualis.

(1) Recole Vol. XIII, pag. 508 ; in quo relata fuit quaestio de doctrina christiana tradunda. Dubiis ibi propositis respondit s. C. C. *nitentis peculiaribus circumstantiis, Episcopus curet...* qnitras verbis haud admisit potestatem ia Episcopis adigendi omnes indiscriminatim Sacerdotes ad doctrinam christiaaam tradendam ; cui responso consona nobis videtur praesens resolutio data. dubio X.

il i CONGR. EPISCOPORUM Ei REGULARIUM

TERRACINEN. PRIVERNEN. ET SETIN.

DECIMAE

Die 7 Iulii 1S82.

COMPENDIUM FACTI. Quum tres paroeciae in quas dividebatur Terra Somneni magna laborarent paupertate, facultas ab Apostolica Sède expetita fuit, eo consilio ut Paroeciae s. Angeli et s. Petri, per unionem, ad unam tantum redigerentur. Die 29 Maii 1868 Summus Pontifex huic unioni -assensum praebuit peculiari decreto. Unicuique ex duabus paroeciis onus inerat, ante unionem, rependendi Episcopo quotannis mensuram tritici vulgo *nibbio.* Archipresbyter qui unitis praeest paroeciis, quorum populus attingit 1400 fideles, censuit, post unionem ad unam tantum obstringi tritici mensuram, *rubbio:* dum Episcopus duas sibi deberi contenderet.

Disceptatio syn<>|»tica

DEFENSIO ARCHIPRESBYTERI. Peracta unionis historia, parochus totus in eo fuit, ut evincere satageret, sese ad duplicem tritici praestationem haud amplius teneri; ceu non tenetur ad duplicem *pro populo* applicandam Missam. Dispositiones enim vim exerunt propriam, *rebus sic stantibus,* <*et in eodem statu permanentibus;* quum ergo in themate in eodem statu haud amplius res maneat; nempe quum duae non. sint, sed una paroecia, a duplici solvi debet obligatione

parochus; ceu solutus fuit ab obligatione duas litandi Missa» pro populo. Etsi autem Parochus duplicem pensi ta verit praedecessor Antistiti mensuram pro annis 1868, 69, 70, 71; coactus ab eodem id se fecisse ait, sed emissa *protestation e.* Nec sibi in promptu esse, ex temporum iniquitate, media ad actionem exercendam contra debitores ad decimam sibi debitam exigendam; neque id fieri expediret sine christianae caritatis iactura: nam parochus spiritualis patris qualitatem induit erga gregem sibi concreditum.

Etsi autem legis civilis adiutorio uti non renuere t parochus ad excutiendos egenos parochianos, • qui dietim sibi cibum quaeritant manuum labore: integram numquam sibi debitam consequi valeret decimam; eoquod 15 exiguntur a> Fisco libellae,'ad quamlibet familiam in iudicium conveniendam. Adiecit autem:, si aequum est, ut parochus alter s. Ioannis, cuius populus ditior 1600 constat christifidelibus, unam solvat tritici mensuram, aequius videtur, oratorem quoque- ad unicam obligari mensuram, ob sui populi egestatem, et numerum animarum parviorem.

Ex officio autem animadversum fuit quod Parochus utique debet Episcopo decimam; sed quum unus ex duobus deficiat, una debetur tritici mensura; nam *corruente supposito, corrigit dispositum* et « *odia restringi et favores convenit ampliari » reg. 15 iuris in 6.*

Neque dici potest Curiae episcopalis iura laesa fuisse: ex quo enim duarum paroeciarum unionem ipsa petiit obtinuitque, nuncium dedisse videtur annuae praestationi, quam debebat alter *qua parochus* territorii distincti.

Quum enim Episcopus ceu parochus parochorum partem suae spiritualis curae Sacerdotibus delegat, sibi partem decimarum reservat *iure praecipuo;* Berardi *de Paroch. origine et • institutione dis. 1 lib. 6 cap. 1.* « Episcopos ubi » ad constitutionem parochorum devenerunt, non ideo abdi- » cavisse a se sacrorum administrationem in parochiis ipsis » habendam: voluerunt enim ipsi Parochos in adiutorium » suum vocare. Tantum quaedam iura fuerunt, quae a se*

> abdicarent, ut Parochi commodius alerentur, veluti iura » oblationum, aut decimarum. » Quamobrem si delegatio Parochi ob curae extinctionem cessat, videtur cessare debere etiam tritici mensurae reservatio, parocho impositae, personalis atque territorialis iurisdictionis gratia.

DEFENSIO EPISCOPI. Antistes vero ait: neque, ab Archipresbytero ambigi incontro versum fuisse, ante paroeciarum unionem, ius percipiendi ab utraque paroecia mensuram tritici *nibbio** favore mensae episcopalis. Verumtamen, prosequitur Praesul, huic duplici praestationi duas opponit Parochus exceptiones: *prima* nempe quod post unionem, unum effectum est beneficium, et ideo una solvenda est decimar *secunda* quod recentiorum legum causa populus maiori cum difficultate propria rependit debita. Has autem exceptiones fundamento carere tum in facto, tum in iure, censuit Episcopus. Et quoad primam animadvertit: neque in supplici libello, ad obtinendam unionem directo, neque in rescripto Pontificis, aut successivo decreto executoriali aliquam reperiri limitationem, qua fieret, ut duplex praestatio ad unam reduceretur. Ex quibus colligit Antistes, onera huiusmodi relicta fuisse sub iuris communis dispositione, et ideo retinendum est quod *unio censetur facta sine praeiudicio habentium iura super beneficio unito; Glossa, in cap. quia Monasterium 2 de Religiosis domibus* - ibi « *Nota quod per hanc unionem Papa iura sua cuilibet conservare intendit;* » *Gonzalez comment, in dict. cap. n. 2.*

Affabre aptatur huic controversiae s. Rotae *Decis. 1610 cor. Coccino n. 1.* « Dubii resolutio circa confirmatione in > sententiae rotalis pendet ex ea; an scilicet Abbas et Con» ventus Monasterii De la Vid teneantur solvere decimas » Capitulo Burgensi, quas nuncupant necessarias expensas » pro duobus praestimoniis, videlicet de Mata Indios et Villa » Diego, usque ab anno 1539 unitis d'Abbati et Conventui, » seu illius Hospitali; et Domini *affirmative* responderunt. » Capitulum enim habet immemorabilem in sui favorem, > canonizatam in Uteris Martini V. Non obstat quod hu-

» iusmocli praestimonia fuerint per Paulum III unita, et
» propterea literae Martini V non videntur habere locum
» ad Decis. Seraphini 1410. In casu autem nostro imme-
» morabilis et Literae Martini V concedunt, ut quolibet anno
•» percipiatur decima: quae propterea debetur etiam quod
» beneficium sit unitum, *cum unio censeatur facta* sine
» praeiudicio habentium iura super beneficio unito... » Ex quo sequitur quod Parochus praestare tenetur Episcopo duarum paroeciarum deciraaai, nihil obstante peracta unione.

Exceptionem alteram, quod nempe populus renitenter decimam solvat, haud èsse veritati consonam, ait Episcopus; •et data occasione, Parochus convenit in iudicium 16 familias suorum paroecianorum. Praeterea difficultas ad solvendum-ex parte debitorum, haud facultatem adimit cogendi in iudicium, renitentes.

Neque veritate niti quod quindecim exigantur a Fisco libellae pro conveniencia in iudicium unaquaque familia, quae decimam solvere renuat; eoquod cum decima cuiuslibet familiae longe inferior sit pretio triginta libellis, res Iudici conciliatori defertur, qui oeconomice iudicium profert.

Neque, relicto iustitiae tramite, ex commiseratione dispensari valet parochus ab onere erga Episcopum, quum eidem constet, parochum ipsum consequi solere pene integram a familiis populi debitam sibi decimam. Praeterea neque pauper dici potest idem parochum, quia praeter *incerta* quae quinquaginta attingunt satiata, et praeter decimas, quae novem esse possunt mensurae *rubli,* habet a beneficio paroeciali 208 scutata.

Hisce praenotatis, tum quoad factum, tum quoad ius, propositum fuit enodandum

Dubium

An et quomodo et in quot mensuras (vulgo rubbi) *tritici parochus duarum paroeciarum unitarum s. Petri et s.. Angeli solvere debeat decimam R. P. D. Episcopo in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Cong. Ep. et Reg. re ponderata, sub die 7 Iulii 1S82, respondere censuit:

Affirmative ei esse locum solutioni in duabus mensuris vulgo rubbi.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ex canonica iurisprudentia erui, unionem beneficiorum fieri solere absque praeiudicio habentium iura super beneficio unito; ita ut singulis sua iura inviolata serventur, quoties compatibilia sint cum unione.

II. Nullam in themate reperiri positam fuisse limitationem, ut duplex mensura ad unam redigeretur; neque a supplici libello, pro unione obtinenda, neque a rescripto R. Pontificis, neque a decreto executoriali.

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

Litterae circulares Emi. Praefecti ad Vicarios Apostolicos etc. per qnas eisdem committitur ut ea conquirant in regionibus suae iurisdictionis, < quae ad sacram profanamque scientiam conferre valeant.

Miñe ac Rine Domine

Quamvis hoc Sacrum Consilium vel a suis exordiis ad assequendum propositum sibi finem, Christiani scilicet Nominis per universum orbem propagandi, assidua sollicitudine adlaboraverit. haud tamen omisit satagere ut Evangelii praecones per diversas gentium terras dispersi, ubi opportunitas sese obtulisset, inspectis aut conquisitis monumentis aliisque rebus nedum ad religionis ipsius incrementum, sed etiam ad scientiarum artiumque progressum promovendum idoneis civilis etiam societatis bono plane utilem navarent operam. Atque huius quidem studiosae voluntatis argumenta extant proiecto plurima. Non semel enim colligendis vetustis codicibus do•ctissimos homines, praesertim ad Orientis regiones mittere non dubitavit, quibus ad historicam populorum notitiam acquirendam, ad

refutandos errores, ac libros liturgicos recensendos uteretur. Quod occasione legationis G-abrielis Evae Monachi Maronitae Libanensi»- in Aegyptum ad Patriarcham Coptorum superiori saeculo, auspice sa. rne. Clemente XI, maxime factum est; quo auctore deinceps» iterum ad Sectense monasterium aliaque Orientis loca missus est Ioseph Assemanus vir eruditissimus, qui peragratis iisdem regionibus Bibliothecam Vaticanam pretiosis codicum thesauris ditavit, ac doctissima *Bibliothecae Orientalis* volumina eiusdem Sacrae Congregationis tipys edidit; perillustre sane monumentum Orientalium. Literarum, studiis maxime accommodatum. Ac ipsa quidem Sacrae Congregationis Typographia vel ab anno 1626 ad opera Latina, Graeca, Arabica, Chaldaica, Armena et Illirica tum a tenebris vindicata, tum conscripta recentius cudendà constituta est ; quae deinceps aliis plurimarum linguarum typis ditata per duo ac dimidia., saecula ita delectu ac numero editionum floruit, ut eam non semel ipsi heterodoxi, elapso saeculo, omnes alias Europae characterum peregrinorum apparatu facile superare ultra affirmaverint.

Ad haec addenda, quae Sacra Congregatio assidue a Missionariis expostulare nullo non tempore consuevit, cum circa geographieas et corographicas **Chartas** ad obscuras barbarorum regiones cognoscendas- perutiles, tum circa omnigena documenta ad eorum mores, consuetudines, praesertim religionem addiscendam, maxime vero Indorum ac Sinensium literas et leges interpretandis conferre poterant.

Praecipuum tamen eius studii monumentum in ipsa Collegii Urbani sede hoc exordiente saeculo constituit, Musaeum inquam a Cardinali Stephano Borgia olim eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, homine omni scientiarum genere eruditissimo collectum, Sacraeque Congregationi haereditate relictum; quod ipsa^curis suis insequenti tempore auxit ac plurimis vetustis codicibus et numismatibus nec non variis barbar.um cimeliis locupletavit.

Dolendum plane recentiori aetate in tanta religionis ac societatis perturbatione Sacrum Consilium, gravissimis negotiis distentum ac- difficultatibus praepeditum, hactenus haud potuisse, ut proiecto mens illi erat, studia maiorum assidue aemulari, ac memoratum Musaeum. novis incrementis amplificare. Nihilominus cum in praesentiarum ex divina largitate catholicae missiones longe lateque per universum terrarum orbem feliciter florescere videat, suisque coeptis vel ipsa itinerum terra marique facilitas, et commerciorum inter diversas- .gentes frequentia apprime faveat, nulla ratione deesse huic officio valuit, ut quantum in se est fidei simul ac scientiae progressibus;

adlaboret. Enimvero dum civilia diversarum Europae regionum gubernia summam in iis rebus conquirendis diligentiam adhibere solent, maxime convenit Sacrum hoc Consilium, quod ad gentes fid atque humanitate informandas ordinatur ac tanta subsidiorum copia in variis terrarum plagis ope. missionariorum instruitur huic operi manum strenue admovere.

Itaque Sacra eadem Congregatio uti ad Amplitudinem Tuam, ita ad omnes Vicarios Apostolicos, Missionum Praefectos ceterosque locorum suae iurisdictionis praepositos a me scribi. Äussit, ut si qua .ad cuiusque regionis geographiam adhuc, accuratius describendam, populorum historiam, artes, mores, consuetudines, religionem potissimum illustrandam plane singularia deprehenderint, quaeque gentium vel infantiam vel progressum in societate innuere noverint, •ea conquirere studeant: addant vero quae ad historiam naturalem regionis cognoscendam, botanicam nimirum, mineralogiam et zoolo- .giarn prodesse videantur, et ad Sacram Congregationem pro opportunitate mittant. Haec vero uti accuratius asserventur, Sacra eadem Congregatio memoratum Musaeum Borgianum in amplissima •conciavia penes ipsum Collegium Urbanum nuperrime transferri decrevit.

Exploratum vero mihi est, Amplitudinem Tuam pro eo quo pollet in sacrum hoc Consilium obsequio et affectu, omnia acturam ut .ad coeptum hoc perficiendum ultro concurrat. Quam tamen rogo ut ubi de magni pretii cimeliis acquirendis sermo sit, in antecessum ad me scribat : apud nos vero, quid in casibus singulis agendum sit, decernetur.

Ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 20 Octobris 1882.

IOANNES Card. SIMEONI Praefectus

Q<U)iinicus Archiep. Tyren. a Secretis

EX S. COIR. INDULGENTIARUM

Rescriptum quo concessa est Indulgentia tercentum dierum pueris operata litteris daturis, qui recitent orationem adnexam.

BEATISSIME PATER

Franciscus Cassida S. I. Rector Collegii Beaumont (Windsor) in Anglia ad pedes S. V. provolutus, pro sequenti oratione, quae omnibus pueris et iuvenibus,- litteris operam daturis, recitanda proponetur, aliquam Indulgentiam humillime petit.

Et Deus

Consecratio studiorum in honorem Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis.

Sub patrocinio tuo, Mater dilectissima , et invocato Immaculatae Conceptionis Tuae mysterio, studia mea laboresque litterarius prosequi volo: quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori Tuoque cultui propagando inserviant

Oro te igitur, Mater amantissima, Sedes Sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas: ego vero, quod iustum est , pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me Tuae apud Deum intercessioni, totum acceptum relaturum. Amen.

Sanctissimus Dnus N. Leo Papa XIII in Audientia habita die 18 Novembris 1,882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus pueris et iuvenibus, uteris operam daturis orationem, uti supram propositam, corde saltem contrito ac devote recitantibus, Indulgentiam tercentum dierum semel in die lucrandam benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariisquibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis Die 18 Novembris 1882.

AL. CARD. OXEGLIA A S. STEFANO *Praefectus*

Fr. Delia Volp°- *Secretarius.*

MONITUM

Prostat huius in nostrae ephemeridis volumine II**a** j^ag. ISS-synopsis causae, cui titulus *Emptionis venditionis* actae coram S. C. Concilii diebus 1 Decembris 1866 et 16 Februarii 1867, inter *Pomponium* quemdam et *Religiosum Ordinem,* in qua Pomponius-a deductionibus abstinuerat multis de causis: eo praesertim quod ipsa dubitandi formula absque sui interventu confecta fuisset super-supplici unius tantummodo partis libello, qui in resolutiva seu conclusione, propter nimis genericam petitionis formam, ambiguitate laborabat, et verum contestationis obiectum haud continebat. Immo praecipua quaestio de conventionibus inter Pomponium et Religiosum Ordinem initis ad nostros usque dies integra manserat, a S. Concilii Congregatione dirimenda. Ast magna cum animi nostri exultatione nuper accepimus, omni dissipata ambiguitatis caligine, cognita declarataque Augustini Piccone *(Pomponii)* probitate dataeque fidei integritate, optatissimam concordiam initam, et loco iudicialis contentionis, Deo opitulante, amicalem transactionem inter insignem Carmelitarum Ordinem et Augustini haeredes coram Rmo Ianuensi Archiepiscopo ad exitum perductam fuisse. Quo éx actu, inter pacta conventa quae transactionis substantiam respiciunt, nonnulla huc illuc excerpta libenter transcribimus; ut si quid veritati minus consonum, atque Augustini Piccone, nunc defuncti, (quem novimus integerrimum atque eximiae religionis virum)• nomini adversam in memorata synopsi irrepsit, spontaneis contendentium declarationibus corrigatur.

u Ambo comparentes (ita in transactionis prooemio) ea omnia.
» deplorant, quae intimitatem, inter Carmelitarum Ordinem et fa-
n miliam Piccone existentem conturbaverunt : cum probe noverint,.
» dissentionibus causam dedisse ambiguitates quasdam et errores,
» quos tandem aliquando disiicere potuisse laetantur. Deplorant
» etiam convicia ab hominibus' veri rerum status ignaris in vulgus
» edita, quibus inhaerentes publicae ephemerides religioni adversae,.
v Augustini Piccone fidem honestatemque aggressae sunt. Siquidem.
7> huiusmodi dictis perculsi et ipsi civiles magistratus , ea inter

7? cuiusdam sententiae.ratioeination.es exceperunt, eademque repetita -*n* sunt quodam in prooemio libelli typis editi ad divulgandam S. C. 7? Concilii sententiam editam super dubio confecto ad normam pre- 7> cum unius tantum *ex partibus contendentibus, quae ob genericam T? formam qua postulationem proponebant, quaestiones inter partes t? ipsas vertentes accensas relinquebant.

» Agnoscunt insuper declarantque falsas atque inexistentes ac- -» cusationes illas,iisdem con vicus propaga tas aperte affirmando, in er- *V* rorem quidem duci potuisse utrosque contendentes, sed fidem bo- •*V* nam , honestatem probitatemque unquam in ipsis defecisse. Qua- *n* propter quidquid verbis vel scriptis hinc inde prodiit quod con- *V* trarii suppositum admitti permiserit ; ipsi respuunt atque de- *m* testantur. » -

Eodem in prooemio Carmelitarum Ordinis Minister Generalis addidit *u* se gratum animum suum ac Ordinis universi profiteri *v* erga defunctum Augustinum Piccone, eo quod coenobii S. Annae •*v* proprietatem ad ipsius Ordinis utilitatem servaverit, atque effi- » caci defensione contra italici gubernii mensam ecclesiasticam, quae t? validitatem emptionis ab Augustino peractae iudicialiter impu- *V* gnaverat, tutiorem reddiderit. Ex hoc vero capite grati animi •» sensus etiam Augustini haeredibus exprimit. »

Tandem in grati huius animi signum, inter transactionis obligationes mutuas, eam sumpsit Religiosus Ordo « celebrandi quot- 7) annis Missam *de requie* sollemnem canendam cum ministris, in t> suffragium defunctorum omnium familiae Piccone ».

Transactionem ratam habuit S. C. Concilii per rescriptum ex audientia SSmi latum die 15 Septembris 1882 quod habet *Attentis etc. pro gratia approbationis propositae concordiae.*

litterae in forma Brevis, quibus fundatur et constituitur Romae Collegium pro clericis Armeniis

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Benigna hominum parens Ecclesia, exemplis praeceptisque conformata auctoris sui Iesu Christi, nullo tempore intermittat saluti generis humani prospicere, ita quidem in universas gentes maternam «caritatem partiens, ut quantumvis aut morum varietate differentes, aut locorum longinquitate dissitas pari similique studio singulas tueatur. — Atque hanc praestantiam, amplitudinemque caritatis plane divinam, ex Orientalibus quidem inclita Armeniorum natio multis in rebus diu experiendo cognovit. Eos enim, ut traditum est, partim Apostolorum, partim virorum apostolicorum opera iam inde antiquitus in libertatem filiorum Dei vindicatos, Ecclesia catholica peramanter complexa est: ex eoque tempore satis historiae loquuntur, plurimum in Armenia curarum studiique Romanos Pontifices, decessores Nostros, consumpsisse: idque eo semper consilio ut, quoad per eos fieri posset, conservarentur apud Armenios ea, quae habentur magna in civitatibus bona, nimirum dignitas publica, •concordia, tranquillitas, et, quod his omnibus longe antecedit, fidei •catholicae sanctitas una cum incorrupta morum christianorum integritate.

Quod sane non priscis dumtaxat aetatibus difficilioribusque temporibus, sed recentiore etiam, memoria haud semel apparuit. Siquidem Urbanus VIII, admissis Armeniorum alumnis in Collegium urbanum christiano nomini propagando: Benedictus XIV, restituta Patriarchatus Curiensis dignitate: Gregorius XVI, ordinata re Dioeceseos Constantinopolitanae, collataque liberaliter opera in hospitalem domum urbanam peregrinis ex Armenia recipiendis, praeclaram voluntatem suam re ipsa testati sunt. Prae ceteris vero permansurum est; Pii VIII beneficium et gratia, cuius potissimum instantia <sonsilioque, adnitentibus Rege Galliarum et Imperatore Austriae Hungariae, illud est ab Othomani imperii principe impetratum, ut Armenios catholico ritu a schismaticorum antistitum servitute liberos esse pro potestate iuberet. Quo facto Pontifex beneficus et

sapiens Primatiali Sede, cui omnes ex Armenia catholici subessent,, Constantinopoli constituta, incommodis diuturnis iisque permagnis finem imposuit. Ac simili modo Pius IX vel ab exordio Pontificatus sui oculos in Armeniam singulari cum benevolentia coniecit: et plura decursu temporis decrevit, quae ad publicum eius populi bonum sacraeque disciplinae incolumitatem prodesse viderentur. Quod si his superioribus annis, non sine magno bonorum omnium luctu, rem Armeniorum catholicam casus afflixit inopinatus et gravis, profecto desiderata non est huius Apostolicae Sedis vel constantia ve] caritas in extinguenda funesta illa seditionis flamma, quam turbulenta paucorum ingenia concitaverunt. Extremas eius dissidii reliquias penitus sublatum iri Dei misericordis patrocinio confidimus, ut ad unum omnes referant sese ad sanctam catholicam Ecclesiam, pristinumque erga Apostolicam Sedem obsequium, cuius retinendi caussa, acerbas Armenii vexationes laboresque vehementes saepe antea memorabili fortitudine pertulerunt.

His, quae commemorata sunt, decessorum Nostrorum exemplis, atque ipsis Armeniorum hominum non exiguis in Ecclesiam officiis permovetur et ad bene merendum incitatur animus Noster, ceteroquin sponte sua propensus in Orientem, magnarum virtutum gloria nobilem, et christiani nominis originibus consecratum. Diu sane in hac cogitatione sumus, qua maxime ratione conveniat operam Nostram in publicam eius gentis conferre utilitatem. In quo genere aliquid iam, iuvante Deo, videmur assecuti ob industriam apostolicam virorum cum e Societate Iesu, tum e Scholis Christianis, quos in Armeniam Nos ipsi misimus , quique in institutione litteraria itemque in religiosa tertium iam annum desudant atque elaborant. - Verumtamen maius quiddam efficere est animus, omninoque providere ut, quemadmodum plures ex nationibus ceteris, sic et Armenia suam in Urbe domum altricem habeat, quo adolescentes indígenas mittat liberaliter erudiendos, et ad sacra munera diligenti praeparatione exercendos. Idoneis quippe sacrorum administris instituendis nuspiam fortasse opportunitas, quam Romae, maior, in hac principe orbis christiani civitate, prope sepulchra Apostolorum maximorum, in ipsis oculis summi Pontificis, qui munere Dei vicario communis est gentium universarum pater, fideique catholicae custos et interpres. - Hoc plane idem caverat mens provida. Gregorii XIII, decessoris Nostri , qui, datis in id litteris Apostolicis *Romana Ecclesia* III Idus Octobris anno MDLXXXIV, Collegium Armeniorum in Urbe condendum decreverat. Mors tamen.

si Pontifici optimo propositi laudem non ademit, certe suscepti consilii cursum intercepit. Diu infecta rè, postremo tempore Episcopi Armenii cum Romam frequentes convenissent ad saecularia sollemnia ob memoriam principis Apostolorum, oblato ad Pium IX libello, suppliciter oraverant, ut quod Gregorius XIII inchoavit, nec absolvit, auctoritate curaque eius perficeretur. Neque est dubitandum, ad Episcoporum preces exitum celerius responsurum fuisse, nisi caussae variae intercessissent. Nos vero, magna cum divinae bonitatis fiducia, optatum iampridem opus 'aggredimur: ad cuius perfectionem ac tutelam si nequam tempora patiuntur tantum dare et attribuere, quantum et voluntas ferret et res ipsa postularet, confirmat tamen Nos erectoque esse animo iubet spectata christianorum toto orbe in liberalitate constantia.

Itaque ad incrementum catholicae religionis, ad decus utilitatemque nationis Armeniae, his Litteris auctoritate Nostra apostolica fundamus et constituimus in hac alma Urbe Collegium Clericorum Armeniorum, eidemque privilegia iusque omne legitimi collegii tribuimus, ad leges quae infra scriptae sunt.

I. Dilectus filius Noster Antonius S. R. E. Cardinalis Hassun, natione Armenius, bene de re catholica apud populares suos meritus, primus ex instituto Patronatum Collegii Armeniorum suscipiat, eoque nomine ius potestatemque in Collegium gerat.

II. Cum placeat Nobis, Collegio Armeniorum certa quaedam vincula cum sacro Consilio christiano nomini propagando intercedere, idcirco in reliquum tempus Cardinalis, qui sacri huius Prae lectus Consilii fuerit, idem Patronus seu *Protector* Collegii Armeniorum sit. Si is Patronus non erit, Cardinalis alter ex eodem sacro Consilio, auctoritate nutuque Pontificis maximi, Patronus adsciscatur.

III. Cardinalis Patronus, extremo quoque anno, de disciplina deque re familiari ad Pontificem maximum per litteras referat.

IV. Curator seu *Praeses* Collegii esto, qui et adiutor ab actis sacri Consilii ad negotia Orientalium. Si is Curator non erit, Curator adlegatur, iussu Pontificis maximi, ex ordine Antistitum Urbanorum.

V. Alumni Armenio ritu cooptentur a Cardinali Patrono, auctoribus Episcopis Dioeceseòn singularum.

VI. Cooptentur humaniorum litterarum primordia supergressi, in quibus indoles ad sacerdotium maior esse videatur.

VII. Iidem in Collegio Urbaniano christiano nomini propagando

ad scholas, studiorum caussa: factoque periculo, ad gradus Academicos admittantur.

VIII. Alumni natione Armenii, qui hoc tempore in Collegio Urbaniano sunt, in Collegium Armeniorum dimittantur.

IX. Collegium Urbanianum ex aerario suo, pro rata parte decrescentium Alumnorum, sex millia argenteorum italicorum, seu *libellarum,* Collegio Armeniorum in singulos annos solvat dependat.

Denique volumus, ut hae Litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant: irritum autem et inane futurum decernimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die 1 Martii anno MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri anno Quinto.

TH. CARD. MERTEL.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CHAMBRÍEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 20 Maii 1882.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Anselmus, supplici libello admoto apud s. Concilii Congregationem, expetivit ut absolveretur ab irregularitate, ob amputationem digitorum pollicis et indicis contracta. Antistes rogatus de informatione et voto retulit: « Magister noster caeremoniarum, post prae- » habitum examen testificatur, oratorem praedictum posse » quidem Missam celebrare: attamen cum non possit Hostiam » sacram tenere in fractione, nisi cum digitis medio et

» anulari, et Eucharistiam fidelibus distribuere, nisi manu » sinistra; et inde aliquantula admiratio oriretur coram po- » pulo adsistente: ego infrascriptus supplico, ut opportuna » facultas concedatur, saltem ut praedictus sacerdos Missam « *privatim* celebrare possit ».

Quum de more praemissa fuerint *ex officio* multa, tum quoad factum, tum quoad ius, remissum fuit iudicio EE. PP. decernere quonam responso oratoris preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. S. C. Concilii, re ponderata, sub die 20 Maii 1882, respondit:

Pro gratia, dummodo tamen orator celebret in oratorio privato, vel in Ecclesia hora minus a populo frequentata; facto verbo cum SSmo.

ACHERUNTINO

SUPER DISPENSATIONE SPONSALIUM

Die 15 Iulii 1882.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Petrus, supplici oblato libello, haec perhibuit: sese tribus abhinc annis sponsalia inivisse cum Gratia, eo consilio ut, expleto militari curriculo, matrimonium de praesenti cum ea perficeret : inter sese tamen, dum res conciliaretur, carnaliter cognovisse. Expleto autem servitio militari, sese rescivisse, ait orator, puellam haud bono frui nomine, quum iam deflorata fuisset a patruo, apud quem vivebat. Hinc nova inivisse cum Maria sponsalia, ait orator, et civili vinculo eamdem sibi copulavisse, cum animo tamen matrimonium coram Ecclesia ineundi, expletis ritus formalitatibus.

Verum utut Gratia audivit, Petrum cum Maria ecclesiasticum matrimonium contracturum esse, illico ad Curiam

convolavit et impedimentum legitimorum sponsalium adversus Petrum produxit. Curia summario processu hac de re confecto, et perpenso sponsalia et deflorationem reapse locum habuisse, assertionem autem, qua Petrus de incestu et infidelitate Gratiam accusabat, esse omnino gratuitam, post maturum examen *diiudicabit, impedimentum productum a Gratia adversum Petrum retinendum esse.*

Haec Curiae sententia haud arrisit Petro, qui sacratissimum Principem adivit, implorans dispensationem ab impedimento sponsalium in forma pauperum. Hoc accepto supplici libello, Ordinario scriptum fuit ut referret : « an stante ci-
» vili vinculo, quo orator impeditur quominus sponsalium
» fidem servare possit, non expediret rem componere per pe-
» cuniariam compensationem, praestandam iuveni deceptae. »
Retulit tamen Antistes, Gratiam abnuisse rem componere per pecuniariam compensationem libell. 200, a Petro oblatam.

Disceptatio synoptiea

SPONSALIA RESOLVENDA VIDENTUR. Iusta intercedente causa spo salia nedum mutuo consensu, sed etiam altero sponsorum reluctante dissolvi posse, habetur expressum in *Cap. Quemadmodum de Iureiur.* Porro in themate intercedere causas, quae petitam solutionem suadent, nullo modo ambigi posse videtur. Sane adest primo impossibilitas nuptias cum Gratia contrahendi, ex civili matrimonio orta, cum Teresia iam inito; adest firmum oratoris propositum huiusmodi nuptias haud contrahendi, adest summa aversio, qua in mulier m fertur orator, ex qua, in casu coactionis matrimonii, rixae, contentiones et mali exitus forent pertimescendi.

Nec difficultatem facessere videtur quod Petrus praeter promissionem-de futuro matrimonio Gratiae factam, eam insuper violaverit; quandoquidem novum non est in persimilibus, imo in durioribus casibus huiusmodi sponsalia dissoluta fuisse. Re quidem vera in *Ostunen. super dispensatione sponsalium inter Summaria precum* relata, licet

ageretur de matrimonii promissione cum subsequuta defloratione, nihilominus concurrentibus iustis causis, in animi aversione ac civili contubernio consistentibus, S. O. C. sub die 25 Augusti 1877 respondit: « *Consulendum SSmo pro » dispensatione ab impedimento sponsalium* solutis saltem » biscentum libellis.* » (1) Idipsum confirmavit in *Bisinianen. Dissolutionis Sponsalium diei 19 Septembris 1841* et .alibi passim.

SPONSALIA VIDENTUR HAUD RESOLVENDA. EX altera vero parte deneganda videtur petita dispensatio eo quod, cum dubitari nequeat, quin Petrus, serio et ex animo sese obligandi, vera sponsalia cum Gratia contraxerit, sequitur quod si dispensationis gratia induigeretur, iura per huiusmodi sponsalium contractum a Gratia acquisita graviter laederentur. Tantum igitur abest quod Petrus implorata dispensationis •gratia donetur, ut potius ad datam fidem praestandam adigendus esse videatur, iuxta textum in *cap. Uteris 10 de Spons . Sur d. consil. 364 n. 10 vers, sed etiam.* Et eo vel magis, quia praeterquam quod Gratia, ob sequutam deflorationem, diffamata perpetuo maneret, omnem in posterum nubendi occasionem et spem amitteret. Quod in magno pretio habendum esse nemo cordatus inficiari valet.

Hisce praeiactis, quaesitum fuit ab Emis Patribus quomodo oratoris preces essent dimitíendae.

RESOLUTIO. Sacra C. O. die 15 Iulii 1882, re examinata, respondit:

Solutis libellis 200 favore Sponsae, pro gratia facto verbo cum SSmo.*

(1) Habes hanc quaestionem Vol. X pag. 319.

IURISPATRONATUS.

Die 12 Augusti 1882.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus P. s. Concilii Congregationi retulit: vacare in Collegiata T. duas praebendas canonicales laicalis iurispatronatus; quarum altera pertinet ad Ducem P. altera vero ad loci Municipium: Ducem vero nominavisse sacerdotem Iosephum. Quum Municipium, intra iuris limites, neminem praesentaverit, ius praesentandi sibi devolutam esse, ait Episcopus, qui statuit beneficia illa conferre.

Dum per publica edicta res innotuit, Decanus Collegiatae, proposuit resolvenda dubia nonnulla antequam duo canonicatus conferrentur. Episcopus nominationem suspendit, attendens resolutionem dubiorum; et animadvertit, nucleum quaestionis in hoc reperiri, quod Collegiata anno 1867, lege civili, suppressa fuerit, eiusque bona Demanio adiudicata; ita ut pensio ad vitam concessa fuerit solummodo praebendatis, qui tempore suppressionis aderant. Hisce praenotatis,, en dubi a a Decano proposita:

I. An conservari possit patronis ius praesentationis, post suppressionem. Et quatenus' negative

II. Iuspatronatus devolvi ne potest Capitulo, quum ad Canonicos tantum pertineat rerum suarum participes reddere novos canonicos instituendos?

QUAE PATRONIS FAVENT. Incontroversi iuris est, praesentationem ad beneficium vacans, a patrono factam, validam recensendam esse quoties sive ex parte praesentantis, sive ex parte praesentati nullum occurrit vitium, quod eam quo-

vis robore destituât. Item incontroversi iuris est iuspatronatus, circa beneficia semel constituto, huiusmodi beneficium tamdiu iuspatronatus obnoxium remanere, quamdiu ex causis et modis a ss. Canonibus praescriptis extinctum non sit. Cum itaque in themate sive ex parte praesentantis, sive ex parte praesentati nullum occurrat vitium, vi cuius nominatio a patrono peracta, invalida retineri debeat; cum pariter beneficia iuspatronatus subiecta, modis a iure praescriptis, extincta haud sint; sponte sua fluit patronis ius praesentandi competere, ideoque praesentationem a patrono Duce, favore sacerdotis Iosephi peractam, in pleno firmitatis robore manutenendam esse.

Neque oggeras praedicta beneficia ceu extincta habenda esse, ex eo quod Collegiata illa in "vim legis civilis anno 1867 editae, suppressa fuerint, quandoquidem vulgatum in iure est quod quidquid laica potestas de bonis ad Ecclesiam pertinentibus disponat, flocci fieri debeat, etiamsi huiusmodi dispositio in Ecclesiae favorem vergeret. Idque eo vel magis in casu sentiendum esse videtur, cum explorati facti sit, quod laicae potestatis dispositio non in Ecclesiae utilitatem et bonum, sed in manifestum ipsius damnum et praeiudicium vertat. *Cap. 10 de Constit. Cap. 12 de reb. Eccl. non alienan. Cap. 8. de arbitr.* Fagnan. *in Cap. Quae in Ecclesiarum num 30 et 31.* Cuius nullitatis ratio in eo ponitur, quod laici iurisdictione carent sive in Ecclesiasticas personas, sive in bona Ecclesiae; Fagnan. *cit. loc.* - ibi - *Ampliatur septimo etiamsi statuta laicorum redundent in favorem et commodum Ecclesiarum, quia nihilominus non valent ex defectu potestatis. . . .* Idem docet Piton, *in contrövers. Pat. allegat. 57 num. 70, et firmat Pot. cor. Cavai er. decis. 494 n. 2.*

Posito itaque quod Collegiata a civili potestate, Ecclesia pro suo posse ex adverso reclamante, suppressa fuerit, nemo* non videt, huiusmodi suppressionem nullius roboris, saltem in faciem Ecclesiae, habendam esse: ideoque praedicta beneficia, tamquam existentia retineri portere. Quod enim

nullum est, nullum producere posse effectum tradit *I. 4. §. Condemnatum de reiudicat. et Cap. Illud 8 de lurepatr.*

Quin ex adverso urgeatur quod destructa Ecclesia vel fundo patronato, aut reditibus omnino deficientibus, etiam iuspatronatus, hisce inhaerens, perire necesse est; cum rei non existentis nullae sint qualitates *Leg. 1 ff. de haered. vel act. vend, et docent Loc. in comment, de Iurepat, num.4.* Piringh *eod. tit. 188.* Siquidem aliud est aliquid destrui *et* perire auctoritate superioris, causa cognita, vel per rerum naturam, et aliud usurpari vel capi de -facto contra omne humani et divini Iuris principium. Distinctionem hanc acu tangit *Piton,* in *Discept. Eccles. 8 n. 18;* ubi refert elegantem doctrinam *Baldi in Mar gor. ad Innoc, loco repert* in verbo civitas.* Cum igitur bona et fundi patronatae Ecclesiae non iure, sed tantum de facto ab illegitima potestate occupati fuerint, pronum est inferre quod Patroni a praesentandi iure non deciderint.

Neque sustineri posse videtur ratio a decano Capituli adducta, quod nempe si huiusmodi novi Canonici, a Patronis nominati, admitterentur in Capitulo, de alieno lucrarentur, nihil de proprio amittentes, seu participarent de distributionibus choralibus, nil in commune conferentes utpote Canonici sine praebenda, et sic in praeiudicium vergerent Capituli. Siquidem nullum gravamen et damnum Capitularibus obvenit, imo optime consulitur decori servitii choralis *et* ss. functionum.

Quamvis si res intimius perpendatur, hypothesis excogitata a decano Capituli nullimode locum habere potest. Canonici enim post suppressionis legem, usque ad praesens, massa pro distributionibus choralibus penitus destituuntur, -cum nil unquam in commune contulerint. Id Canonicus Lidestri, novissime nominatus, probat ex indubiae fidei documentis Camerarii Capituli.

Admissa autem validitate praesentationis a Patrono Duce expletae, nulla apparet pretiosa ratio cur idem dicendum non sit de alterius beneficiati nominatione ad Episcopum, pro hac

vice ob desidiam Municipii, devoluta; ex eo quod intra tempus a iure praefinitum, Clericum idoneum ut ab Ordinario institueretur, praesentare neglexerit. Re sane vera, Patrono laico, intra quadrimestre tempus, Clericum instituendum praesentare negligente, hoc ius pro ea vice ad Ordinarium devolvi, extra omnem dubitationis aleam positum est, post ea quae habentur in *Arg. Cap. Eam. te 22 et Cap. Cum praeter 27 de iurepatr.* Barbosa *de Offic, et potest. Episc. Alleg. 72 num. 141 et 168;* Abbas *in Cap. Quoniam 3 h. t.* cum communi.

Verum dato etiam quod, sequuta Collegiatae suppressione, Patroni ius praesentandi amiserint, intelligi haud datur quonam pacto huiusmodi ius, prout Decanus contendit, ad Capitulum transierit. Notum enim est in canonica iurisprudentia, Iuspatronatus, nonnullis modis a lege statutis, tantum acquiri, quales potissimum sunt fundatio, constructio vel dotatio Ecclesiae, idque tam per laicos quam per clericos uti docet Gloss, communiter recepta in *Cap. Piae mentis 26 v. eod. caus. 16 q. 6.* Abbas, *ad ruh. h. t. num. 7* Silv. *v. luspat. quaest. 1.* Azor. *cit. Cap. 19 q. 3* aliique DD. communiter. Unde versus tritus *Patronum faciunt, dos, aedificatio, fundus* et firmat *Trid. Sess. 14 Cap. 12, Sess. 25 Cap. 9 de Reform.* Atqui explorati facti est quod Capitulares nihil conferunt in receptione novorum Canonicorum. Ergo intelligi nequit quo fundamento in novorum canonicorum electione iuspatronatus sibi vindicare praesumant.

Frustra sed vero Decanus sustinuit capitulari Collegio iuspatronatus competere; tum quia ab eodem Collegio plures favores novis canonicis indulgentur, et quia praesertim ceu ipse edisserit, in partem admittuntur distributionum quotidianarum, quae non habentur ex superius dictis.

Deterius tandem hoc ius capitulari Collegio vindicare studuit, asserens quod tales Canonici honorarii appellandi sint, quodque ius eligendi Canonicos honorarios" in corpore Capituli resideat, minime in patronis. Re sane vera hoc ius ad Episcopum potius pertinere, qui Capituli consensu, vel consilio

praehabito, Canonicos honorarios eligi ceu a S. C. C. resolutum fuisse traditur *Vol. III,* p. *138 harum ephem.*

Quaquaversus itaque rem inspicere Iubeat manifestum apparet, novorum Canonicorum nominationem ad Capitulum spectare non posse.

QUAE CAPITULO FAVENT. EX altera vero parte patronus a Capituli Decano adlectus allegationem exhibuit, qua evincere studuit ius nominandi patronos amisisse, atque huiusmodi ius ad Capitulum in actualibus rerum circumstantiis devolutum fuisse. Quod ut efficaciter evincerei, animadvertit apud omnes receptum esse praecipuum ius patronorum in *praesentatione* consistere iuxta *Cap. 3 de iure patron, et Cap. 1 De praeb, in 6.* Unde Engel *lib. 3 tit. 38 num. 2'* apertissime docet, Iuspatronatus consistere in *potestate praesentandi Clericum ad beneficium vacans.*

Verum indubium pariter esse ait, hoc ius tamdiu subsistere, quamdiu res iuripatronatns obnoxia in suo esse perseverat ; secus enim dicendum esse urget, si res amplius non extet. Nequit enim exerceri ius in re, quae esse desivit. Quapropter omnes DD. tenent iuspatronatus amitti destructione Ecclesiae, amissione dotis et reditus: «Amittitur iuspatro- » natus, si Ecclesia totaliter destruatur, vel etiam dos et » reditus penitus deficiant, neque reviviscet, licet Ecclesia » rursus aedificetur, vel dotetur, *nisi prior patronus ad » raeedificandum vel dotandum concurrent,* » Engel *loc. cit. num. 26.* Praesertim vero si Ecclesiae destructio vel beneficii perditio ex negligentia et oscitantia patronorum contigerit, quibus ad tramites iuris onus incumbit tuendi *Ecclesiam et eius bona, ne male alienentur, aut dilapidentur** Engel *loc. cit. num.* 5.

Hisce in iure praestitutis, cum explorati facti sit beneficia de quibus agitur, extincta fuisse; cum pariter explorati facti sit eadem beneficia patronorum culpa suppressa fuisse, ex eo quod ii nihil peregerint, ut dos beneficiaria conservaretur; consequitur una cum beneficiis ius nominandi perditum fuisse. Ruente enim principali, accessorium quoque

ruere debere, docet iuris regula, qua non vulgatior altera. Idque fortius in casu tenendum esse patronus asserit, nedum quia iuxta instructiones a s. Poenitentiaria die **13** Iunii **1868** latas, patroni huiusmodi beneficia ex fisci unguibus per taxae solutionem subducere valebant ; verum -etiam quia id peragere commode poterant, siquidem s. Tribunal facultatem patronis indulsit onera reducendi, aut suspendendi, vel aliquam bonorum partem vendendi, ut propriae indemnitati consulerent. Cum tamen hisce non obstantibus patroni nihil peregerint, ut beneficia sarcta tectaque tuerentur, recto alveo fluere edisserit, ipsos ius praesentandi amisisse.

Extinctis autem beneficiis, nihil aliud in Collegiata Ecclesia remanere posse, subdit orator, quam ad summum ipsorum titulum atque nomen, cuius tituli collationem ad Capitulum pertinere contendit. Quem ad effectum animadvertit, tales Canonicos, utpote beneficii reditibus destituios, *honorarios* merito appellari posse. Iamvero *honorariorum* Canonicorum nominationem ad Capitulum spectare, inquit, ratione innixus, quod huic incumbit onus procurandi maiorem cultum et'explendi chorale servitium. Ad rem citat Van-Espen, qui in *tom. 3 §. 19 par, 2 sect. 3 tit. 4 de Ord. benef, provisione* haec habet - ibi - « Sicuti naturale est, ut » Canonici Cathedralis una cum suo Episcopo, tamquam cum > suo Capite, eligant corporis sui membra, ita quoque iure » communi electio Canonicorum Ecclesiarum Collegiatarum, » spectare videtur ad Canonicos una cum suo Decano aut » illo, qui cum Canonicis unum corpus, sive Capitulum con- » stitnit ».

Paucis his praehabitis, enodandum propositum fuit

M) H I) i U IIB

An et cui competat ius praesentandi in casu.

RESOLUTIO. S. C. Concilii, re perpensa, sub die **12** Augusti **1882** censuit respondere:

In casu, de quo agitur, negative in omnibus.

Ex HIS COLLIGES

I. Quum ad acquirendum iuspatronatus ex lege ss. canonum requirantur fundatio, constructio vel dotatio Ecclesiae, unde versus tritus: *«patronum faciunt dos, aedificatio, fundus »* sequi nullum ius Capitulum exerere posse in praebendis illis, in quarum constitutione nihil contulit.

II. Verumtamen patronorum iura, quorum primum est facultas praesentandi clericum ad beneficium vacans, tamdiu subsistunt, quamdiu res iuspatronatus obnoxia in suo esse perseverat.

III. Ambigi non posse, praebendas canonicales in themate, dotem amisisse tum compilatione Fisci, tum patronorum socordiâ; qui nihil egerunt ut eaedem servarentur; hinc periisse dicendum est de facto, si non de iure; ast in re quae esse desiit nemo ius exercere valet.

IV. Neque canonicos in themate, quorum titulum aut nomen solummodo manet, haberi posse honorariorum instar; nam canonici honorarii creantur per Episcopum cum consensu Capituli, vel etiam per Capitulum cum* consensu Episcopi (1).

ROMANA

DISPENSATIONIS

Die 16 Decembris 1882.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Clericus Marcellus sodalis Societatis Iesu ab anno 1866, eique iam votis perpetuis devinctus supplex expostulavit, ut ad ss. Ordines promoveri valeat, etsi ob luctuosam visivae facultatis infirmitatem, quam *iperastesia* vocant, cogatur a quavis sese lectione abstinere;

(1) **Confer Vol.** III. **pag.** 138 **har. ephem.**

proindeque etiam a divini officii recitatione dispensari, in alias preces commutanda; fovens, ceteroquin, spem fore ut morbus, mitior iam factus, assidua curatione tandem sit re-inissurus.

Preces testimonio physici curantis roborat, qui etiam refert oratorem optima corporis habitudine pollere. Exhibuit insuper amplissimum P. Praepositi Provinciae documentum, ex quo colligitur, eum in *Austriae et Galliae CollegiiSj vel grammaticae docendae, vel conviciorum conturberniis praepositum, ubique semper ingenii laudem cum religiosae vitae virtutibus coniunxisse.*

Disceptatio Synoptäea.

PRECES RESPUENDAE VIDENTUR. Certum est oculorum vitio laborantem esse irregulärem, nec solum impediri quominus promoveatur ad ordines, sed etiam quin prima tonsura initiari possit; Pigliateli, *consult. 145 num. 7 et 8*, Barbosa *de Episcop. par. 2 allegat. 42 num. 27 et 29.* Cum enim agitur de promovendo, quem nulla necessitatis vel utilitatis ratio postulare videtur, ut inter clericos cooptetur, nulla suppetit dispensationis ratio. Redeat exemplum *Pampilonen. Dispensationis* diei 28 Martii 1733, nuperrime relatum in una *Geneven.* de qua infra. Res erat de adolescente claris orto natalibus, qui cum litterarum studiis se tradidisset, ex~ eorum fortasse intemperantia caecitatem fere poenitus contraxerat, integris tamen manentibus oculis. Sed non idea studia intermisit, et aliena usus opera hausit, per aures quaehaurire non potuit per oculos. Itaque non mediocres fecit progressus ; nam tum in sacra tem in profana historia, catechisticam quoque doctrinam et mysticarum rerum cognitionem est assequutus; denique concinne cymbalissare didicit. Eo clericali militiae adscribi cupiente, Episcopus indolem hominis, ceteraque virtutum ornamenta commendans, ipsum putabat dispensatione dignum, ut prima Tonsura initiari posset, et ad ecclesiastica beneficia assequenda habilis-

leddi, affirmans, eum officium B. M. V. ac defunctorum recitare memoriter potuisse. Praeterea animad vertebatur, ipsum non inutilem omnino Ecclesiae futurum; potuisse scilicet fidei -elementa pueris tradere, organa in divinis officiis tractare, denique per integritatem morum piasque exercitationes aliis prodesse exemplo, quod est veluti perpetuum praedicandi genus. Attamen proposito dubio « *An sit consulendum SSmo pro dispensatione oratoris ad suscipiendam primam tonsuram* » responsum fuit « *Negative.* »

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. Viderint Emi Patres an haec tanti sint ponderis, ut spem gratiae oratori quoque adimant. Quamvis enim, quoad effectum, modo eius infirmitas aequiparari quodammodo possit caecitati, quia legere praepeditur, non ideo tamen caecus dici potest, nec proinde proprie irregularis; sed quominus sacra regulariter peragat -temporaneo impedimento detentus, quod brevi etiam cessare potest. Reque vera medicus refert quod artis praesidio eius morbus mitior factus est. Ceteroquin agitur de clerico in minoribus Ordinibus constituto, triginta trium annorum aetatem agens, et quod maius est, perpetuo religionis voto adstricta, cui nimis molestum ac aerumnosum esset diutius a sacris obeundis arceri usque dum morbi vis omnino remittat.

In deteriori sed vero hypothesi, quod scilicet Orator lumine laesus maneat, meminisse iuverit nuperrimam *Gene- •ven.* inter Summaria Precum diei 20 Martii 1880 propositam. In ea agebatur de clerico Francisco Xaverio Dufesne religiosae familiae Vicariatus Apostolici Genevensis, qui oculorum usum ferme amisit, et nonnisi verum generalem quemdam et nebulosum conspectum habens. Anno 1876 sa me. Pius IX precibus Vicarii Apostolici motus, tali haud obstante defectu , indulsit ut ad ss. Subdiaconatus et Diaconatus ordines promoveretur. Oblato dein libello SSmo Principi ut ad s. Presyteratus Ordinem ascendere posset, die 20 Martii 1880 prodiit responsum : « *Attentis etc. pro gratia cum facultate oratori celebrandi Missam votivam B. Mariae*

Virginis et obligatione assistentiae alterius Sacerdotis vel Diaconij facto verbo cum SSmo. Et SSmus resolutionem benigne approbare ac confirmare dignatus est. Atque heic monendum, praesentes quoque preces Vobis a Sanctitate Sua pro voto fuisse remissas.

Quibus praenotatis, quaesitum est quomodo oratoris preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii, re ponderata, sub die 16 Decembris 1882 respondit:

Attentis etc. Pro gratia cum facultate oratori celebrandi Missam votivam B. M. V. et obligatione adsistentiae alterius Sacerdotis vel Diaconi, commutato onere divini officii in alias preces a proprio superiore determinandas, facto verbo cum SSmo.

CAMERACEN.

POSTULATUM CIRCA STIPENDIA PRO EXECUTIONE DISPENSATIONUM APOSTOLICARUM,

Die 12 Augusti 1882.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sub die 14 mensis Iulii anni 1881 Alfridus Duquesnay, Sacratissimo Principi supplicem libellum porrexit, exponens quod: « Eminentissimo suo antecessori die 27 Iulii 1857, a SS. DD. N. Papa Pio IX. concessa fuit facultas utendi taxa infrascripta:

« Cancellariae scilicet solvuntur pro literis

» Ordinationum testimonialibus libell.	1	50
» Provisionibus Canonicatuum	24	—
» Parochiarum 1. Classis	24	—
» 2. Classis	18	

» Succursalium quae tria incolarum exce- > dunt millia . . . . 12 —

» Pro provisionibus succursalium quae mille > ad tres mille incolas habent 9 —

» Pro provisionibus succursalium quae mille » non habent incolas . . . . 6 —

» Pro uteris Vicariorum . . . . . 3 —

» Dispensationibus super uno hanno . . . 3 —

» Super tempore prohibito . . . . . 3 —

» Super impedimento cognationis, consan- » guinitatis et affinitatis tertio gradu aequali et » infra . . . . 6 —

» Pro dispensationibus erectionis Confrater- » Litatis . . . . 3 —

» Viae ss. Crucis . . . . 3 —

» Quae quidem taxa aliquantulum excedit Innoeentianam. Haec autem si nunc temporis ac in istis regionibus stricte observaretur, non posset necessariis Cancellariae sumptibus fieri satis. Ideoque Archiepiscopus orator humiliter implorat Indultum, vi cuius ipsi liceat eadem taxa uti. »

< Insuper, cum in dies ingravescat annonae caritas, et in his turbatis temporibus reditus Episcopis attributi, ex legibus imminuti sint, et, quod peius est, cum id quod ex hisi reditibus superest omnino instabile ac proinde incertum sit, praelaudatis Archiepiscopus humiliter postulat: 1 ut taxam pro dispensationibus super impedimento cognationis, consanguinitatis et affinitatis tertio gradu aequali et infra determinare possit iuxta facultates oratorum, ad instar Curiae Romanae; ac 2 ut si quid, demptis necessariis Cancellariae sumptibus, supersit, id non solum in pia opera, sed ad necessaria vitae erogare possit et valeat. Reditus enim Archiepiscopi oratoris imminuti sunt ex vigintimillibus francis,, prae reditibus quibus fruebatur Emus antecessor Régnier. »

Disceptatio Synopti«a

QUAE PETITIONI ADVERSANTUR. AC in primis huiusmodi preces videntur negativo responso dimittendae, quandoquidem- praescriptioni in exigenda taxa a Pontifice Innocentio XI constitutae refragantur. Sane praescriptio Innocentiana habet quod in causis matrimonii aut sponsalium, in executione dispensationum Apostolicarum matrimonialium, Episcopus, eius Vicarius, aut alius officialis nullum accipere potest donum vel taxam etc. Solus cancellarius excipere valet mercedem labori aequam : ita ut in executione dispensationum et pro testibus ad evmcendam status libertatem * id quod exigitur scutatum unum haud excedat.

Quam quidem taxam in praesentiarum suum valorem obtinere etiam in exteris regionibus, et vim legis habere testantur Card. Petra *ad Const. Apost. tom. 1 Prooem. §. 3 num. 32.* adducens *Terraconen. Taxae Inn. diei 2 Maii 1699;* et Œrald. *lus Pontifie. §. 2 sect. 53* referens pluresalias resolutiones S. C. C. Id tradunt etiam Doctores et iuris Canonici interpretes; inter quos praecipue Fagnanus *in V Decretai. Ne Praelati vic. suas cap. Quoniam num. 30.*

Iam vero cum in casu nostro exhibeatur taxa, quae excedit Innocentianam : Archiepiscopus enim ipse, in supplici: suo libello S. C. C. oblato, refert « quae quidem taxa ali— » quantulum excedit Innocentianam »; sponte veluti sua fluit- indultum ab Archiepiscopo imploratam, ut scilicet ea taxa uti possit, concedendum haud esse. Muli oque minus indulgen posse videtur quod Archiepiscopus secundo loco petit,, nempe, « ut si quid, demptis necessariis Cancellariae sum- » ptibus, supersit, id non solum in pia opera, sed ad ne- » cessaria vitae erogare possit et valeat ».

QUAE PETITIONI FAVENT. Verumtamen, cum ex iis quaein facti specie enucleavimus, manifestum appareat causas, ob quas fel. rec. Pius IX taxam, aliquantulum excedentem Innocentianam, indulsit in praesentiarum adesse, videtur qnoè

Archiepiscopo oratori concedi debeat, ut eadem taxa, Eminentissimo antecessori indulta, ipse quoque uti valeat. Quin imo, cum ipsius oeconomicae conditiones aggravatae et in peius versae sint, EE. Patrum est videre utrum oratori concedi debeat quod in secundo loco petit, ut scilicet « si » quid, demptis necessariis Cancellariae sumptibus, supersit, » id non solum in pia opera, sed ad necessaria vitae, ero- » gare possit et valeat ».

Quibus praenotatis, quaesitum est quomodo essent dimittendae preces oratoris Archiepiscopi.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita, sub die **12** Augusti **1882;** censuit respondere:

Attentis etc. pro facultate utendi enunciata taxa ***a*** *s. m. -Pii IX indulta, usque ad novas S. Sedis ordinationes, facto verbo cum SSmo* **(1).**

(1) Confer Granaten, et Mindonen. relat. hoc vol. pag. 111. ut videre valeas quo rigore prohibentur stipendia in execatione Dispensationum Apostolicarum.

SECOVIEN.

CANONICATUS DOCTORALIS

Die 9 Septembris 1882.

COMPENDIUM FACTI. Antistes Segoviensis in Hispania sub die **15** Octobris anni **1881** ad S. Congreg. Concilii confugit sequentium dubiorum solutionem enixe efflagitans: **« 1**° An pro provisione Canonicatus doctoralis hodie in hac Cathedrali vacantis, convocari debeant non tantum illi qui in utroque iure civili et canonico gradum licentiatus vel doctoratus obtinuere, sed illi insuper qui licentiam vel lauream doctoris in iure canonico sunt consecuti ab aliquo ex nostris Seminariis centralibus, ut ex Bulla Sixti IV fel. rec.

eruitur, et in omnibus vel fere omnibus Dioecesibus Hispanus fit. *Et quatenus affirmative.* »

« 2° Si Capitulum, aliquam abusi vam consuetudinem adducendo, contendat, eos dumtaxat convocandos qui in utroque iure licentiati vel doctores existant, an Episcopus possit et debeat praedictam respuere consuetudinem, utpote contrariam iuri communi, Ecclesiarum hispaniarum constanti praxi ad versantem, novissimo concordato parum conformem, nec non iniuriosam et nostris Seminariis conciliaribus et alumnis qui in iisdem ecclesiastica studia perficiunt. »

Disceptatio Synoptica.

DEDUCTIONES CAPITULI. Canonici Ecclesiae cathedralis Segoviensis contendunt, ad canonicatus doctoralis concursum, eos tantummodo admittendos esse, qui, nedum in iure canonico, sed etiam in iure civili gradum licentiatus vel doctoratus obtinuere. Idque binis rationibus innixi, demonstrari posse autumant, quae in indole et natura canonicatus doctoralis propria atque in observantia consistunt.

Ad primam quod spectat, Canonici animadvertunt, praebendam doctoralem ideo a sa. me. Sixto IV in regno Hispanico erectam fuisse, ut qui huiusmodi praebendam, peracto feliciter examine, consequutus fuisset, non modo Capitulum consilio adiuvaret, verum etiam ut Capituli iura, quoties in discrimen adducta fuissent, penes tribunalia civilia, sarta tectaque pro suo posse tueretur.

Hoc in tuto posito, Canonici subdunt, huiusmodi praebendam, eos tantum consequi et obtinere posse qui utriusque iuris laurea insigniti sunt. Si res aliter foret, praebendae doctoralis institutio fere omnino inutilis evaderet; quandoquidem in comperto est, iuris civilis scientia et laurea destituios, penes tribunalia civilia, causas orare non posse.

Huiusmodi lauream eo vel magis in praesenti tempore r.....• -! Titulum urget, quia Gubernium hispanicum Ee-

olesiam proprio tribunali ao potestate sententias ferendi spoliavit. Hinc iura capituli, si laesa fuerint, defendenda sunt apud Tribunalia civilia, penes quae admittuntur solummodo qui laurea civili donati fuerint. Si itaque in canonicum doctoralem eligeretur ille qui lauream in iure civili haud obtinuit, sequeretur quod non modo Ecclesiae cathedralis iura indefensa remanerent, cum gravissimo ipsius Cathedralis praeiudicio, sed etiam quod praebendae doctoralis institutio pene inutilis evaderet.

Verum admisso etiam parumper quod iura Ecclesiae in discrimen adducta, per defensores laicos in civili tribunali propugnan" queant; tamen cum in Capituli honorem magis vergat, si canonicus doctoralis utraque laurea praefulgeat, hinc ad examen peragendum, eos tantum convocandos esse Capitulum sustinuit, qui in utroque iure civili et canonico gradum licentiatus vel doctoratus consecuti sunt.

Atqui nedum ex beneficii doctoralis natura et indole, sed etiam ex consuetudine, in Ecclesia cathedrali vigenti, idipsum evinci posse capitulum contendit, ceu ex Uteris concursus edictalibus, in archivio existentibus, manifestum apparet. Huiusmodi vero observantia in tuto posita, eam in pleno firmitatis robore manutenendam esse, nemo, qui in canonum scientia prorsus peregrinus haud sit, inficias ibit.

Nec refert quod Bulla Sixti IV, pro doctoralibus praebendis in Hispania instituendis edita, decernat ad hanc praebendam eligendum esse doctorem aut licentiatum in utroque, vel in alterutro iure ; tralalitium siquidem in iure est, consuetudini, si ea *fuerit rationabilis et legitime praescripta,* tantam vim inesse, ut ipsam legem positivam abrogare valeat ex *Cap. 11 de Consuet.* et ex *Cap. 8 Dilectus .§. IO. Ceterum cod. lit.* Concinit Benedictus XIV *lib. 12 C. 8 num. 8 de Syn. Dioeces,* tradens - ibi - « Nihil magis tri-
» tum quam legem quandam humanam, etiam canonicam,
» posse contraria consuetudine, quae sit rationabilis et le-
» gitime praescripta, abrogari ».

Porro enunciatam consuetudinem esse rationabilem extra

omnem dubitationis aleam positum esse videtur: ea siquidem in maiorem Ecclesiae Cathedralis atque Capituli decorem vergit. Tamdem vero legitimae praescriptionis tempus attigisse, pariter indubrum esse videtur, si Capituli assertionibus ñdes praestari debeat.

Pariter nec refert ab Episcopo obiectum, quod scilicet in aliis Hispaniae Ecclesiis tantummodo in iure canonico licentiati admittuntur; consuetudinem enim de casu in casum, vel de loco ad locum non esse pertrahendam explorati iuris ^est, *I. 3 in fi. de testam.* Brad. *cons. 237 col. 1,* Surd. *¿ons. 322 n. 13 lib.* 3, Gratian, *loco citato n. 12.*

Tandem, ob aliam facti rationem, Capitulum contendit dumtaxat in utroque iure licentiatos ad examen convocandos esse, quia nempe Canonico doctorali, iuris canonici laurea tantum decorato, institutionem ac dotationem, post Concordatum anni 1831 Canonicis doctoralibus tribui solitam, Gubernium certo certius denegaturum esset, quia basis institutionis earumdem praebedarum deficeret. Et ideo inspecta natura doctoralis beneficii, et consuetudine, sequitur quod ad concursum convocandi sint qui in utroque iure licentiati vel Doctores existant.

EPISCOPI DEDUCTIONES. His at vero omnibus obsistit Episcopus qui contendit, tam licentiatos et doctores in utroque iure ab aliqua regia Universitate, quam licentiatos et doctores in iure canonico ab aliquo centrali Seminario esse vocandos et admittendos ad concursum memorati canonicatus. Quod ut efficaciter ostendat, Episcopus praeprimis inficiatur, •doctoralem praebendam institutam fuisse ut, qui ipsam possidet, violata Ecclesiae cathedralis iura penes tribunalia laica vindicare queat, sed potius instituta videtur ad hoc, ut vir in iure canonico peritus consilio et sententia sua Capitulum in rebus difficilibus adiuvet. Nam plura adsunt media ad vindicanda iura Capituli, quando opus sit. Nec canonici doctorales id possent, coram civilibus tribunalibus, quia nurn«jiiam aut fere numquam, ratione gravium expensarum, sunt ¿•uafricalati in collegio advocatorum. Si necessum esset quod

Canonicus doctoralis per se munus advocati apud Tribunal civile exerceret, dicendum foret, Capitula omnia, quod absit, parum vel nil de iuribus suis curare : nam ad concursum huius Praebendae admittuntur simplices canonistae in omnibus; Cathedralibus.

Praeterea, ait Episcopus: Summus Pontifex Sixtus IV san., mem. in Bulla erectionis et hos et illos statuit esse vocandos, dum innuit: Et unus doctor seu licentiatus in utroque vel altero iurium.... Et alteri qui altero iurium doctor seu licentiatus existat . . . .

Ex consuetudine pene omnium Cathedralium Hispaniae- licentiati vel doctores in iure canonico haud excluduntur a concursu praebendae doctoralis ; quin imo hodie penes plures Cathedrales hanc praebendam obtinet aliquis licentiatus vel doctor in iure canonico. Neque obliviscendum, adiecit Antistes, apud nos, licentiatos illos et doctores aptos esse ad munus Vicarii generalis exercendum: qua ratione ergo excluderentur ab obtinenda praebenda doctorali? Sed, prosecutus est Episcopus, si aliquod discrimen foret admittendum inter licentiatos et doctores in utroque iure ab aliqua Universitate , et licentiatos vel doctores in iure canonico a Seminariis centralibus, absque dubio fieri deberet in horum favorem et gratiam : nam tituli qui in Seminariis expediuntur, effectus canonicos ex se producunt, dum tituli ab Universitatibus collati, revalidatione ecclesiastica indigent.

Facultas autem iuris canonici in Seminariis ab ultimo* Concordato erecta, ad nihil inserviret si praedicti licentiati et doctores a muneribus ecclesiasticis, quae huius facultatis sunt propria, arceri deberent.

Insuper hodie Capitula cathedralia bonis temporalibus- omnino carent, ideoque quovis alio tempore opportunius posset invocari ratio ex eo petita, quod canonici doctorales apud civilia tribunalia huius generis bona et iura tueri debeant.

Nullum vero Breve pontificium extat, pro Capituli sententia, nullaque vera immemorabilis temporis consuetudo..

Quod nullum sit Breve patet ex silentio Capituli; quod consuetudo non faveat, perspicuum est, nam ultima huius canonicatus provisio locum habuit ante Concordatum anni **1831,** id est illis temporibus quibus a Seminariis non conferebantur gradus in iuris canonici facultate.

Cum igitur ex huc usque disputatis erui detur finem diversum ab illo, quem Capitulum propugnavit in praebendae institutione prae oculis habitum fuisse, cum insuper liqueat consuetudinem cui Capitulum innititur, quovis fundamento destitutam esse, plane consequitur in concurrentium albo, propraebenda doctorali obtinenda, non solos in utroque iure laureatos, sed etiam unius iuris canonici licentia ornatos nomen dare posse.

Hisce praemissis, diluendum propositum fuit

BSubid n»

An ad concursum, pro canonicatus doctoralis provisione, qui in utroque iure gradum licentiatus vel doctoratus obtinuerunt, dumtaxat admittendi sunt, vel potius illi quoque qui licentiam, vel lauream doctoris in solo iure canonico consecuti sunt, convocari valeant in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. C. re discussa, sub die **9** Septembris-**1882,** censuit respondere:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam^ et amplius.

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Ex verbis ipsis Bullae Sixti IV videri erui posse licentiatos et doctores in utroque iure, tum licentiatos et doctores sive in uno sive in altero iure admitti debere ad concursum praebendae doctoralis. (1)

(1) Confer *Barbastren.* super concursu ad praebendas magistralem et doctoralem, relatam Vol. XIII, 81. In eadem quaestione iam resolutum fuit etiam licentiatos in iure canonico admitti posse »4 «vus equendas praebendas magistralem et doctoralem. Si ergo ex illa resolutione licentiati in iure canonico consequi valene praebendam doctoralem , quomodo-excluderentur qui hunc gradum consecuti fuerint apud Seminaria, sine dedecore-. earumdem Facultatum iuris canonici?

II. Si contrarium, per hypothesim, admitteretur, frustranea fieret in Seminariis institutio facultatis iuris canonici, et indecore inibi licentiati, vel laureati a muneribus ecclesiasticis arcerentur.

CONCURSUS

Die 9 Septembris 1882.

COMPENDIUM* FACTI. Per mortem titularium vacaverunt anno 1879 tum Archipresbyteratus Ecclesiae collegiatae et Matricis T. cui adnexa erat cura animarum, tum Paroecia s. Margaritae. Quapropter episcopalis Curia per publica edicta concursum indixit ad tramites Concilii Tridentini et apostolicarum Constitutionum. Sacerdos Ferdinandus, pro Archispresbyteratu Collegiatae, et Sacerdos Philippus pro Paroecia s. Margaritae, ad concursum accesserunt.

Habito experimento, quod idem fuit pro utraque provisione, statuta die Examinatores idoneum ad paroeciam s. Margaritae renunciarunt Sacerdotem Philippum, qui institutionem ab Episcopo obtinuit quindecim post dies. Quoad vero Sacerdotem Ferdinandum haec retulerunt: « Iam a nobis examine peracto die quinta huius mensis Septembris de aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis qualitatibus presbyteri Ferdinandi pro Archipresbyteratu vacante, compertum est, ipsum constitutum esse in aetate 59 annorum üompletorum, moribus, et prudentia quadam imbui: quoad *doctrinam* vero *vix approbari posse;* hinc, attentis potius ceteris qualitatibus, eum *idoneum iudicamus,* ac Episcopo renunciamus. »

Huius relationis habita notitia, Episcopus perpensis etiam scriptis et qualitatibus sacerdotis Ferdinandi, institutionem differre censuit. Hoc aegre tulit praefatus Sacerdos, eo maxime quia alter concurrens iam adepta paroecia fruebatur. Hinc omnem movere coepit lapidem penes Episcopum, ut et

ipse suo iure non destituentur, praesertim cum a duobus examinatoribus felicem sui concursus exitum rescivisset; ast incassum. Quapropter sub die 10 Septembris 1880 scriptum recursum formiter emisit penes S. Concilii Congregationem ad sua iura sarta tectaque servanda.

I>isceg>tatio Syuopfica

Nulla ex officio facta est animadversio in proposita quaestione, sed acta concursus examinanda remissa fuere Consultori. In compendium referimus quae hic scripsit de iure meritoque causae.

CONSULTORIS VOTUM. Praemonuit consultor quaestionem hanc suas habere difficultates; et ideo priusquam proferret sententiam, opportunum duxit aliquid praemittere circa ius, quod Ferdinandus habere posset, obtinendi beneficium. .Hinc .ait: praescribit Sacr. Concilium Trid. Sess. 24 c. 18. « Peracto » examine, in concursu,reu initientur quotcumqueab his (Exa- » minatoribus) idonei iudicati fuerint aetate,moribus,doctrina, » prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernan- » dam opportunis; ex hisque *Episcopus eum eligat,quem cete- » ris magis idoneum iudicaverit,* atque illi et non alteri col- » latio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam con- » ferre. » Ex hac Concilii Trid. ordinatione manifeste eruitur, quod non obstante concursu, relinquitur conscientiae et iudicio Episcopi determinandum, quinam ex concurrentibus magis idoneus sit, et licet omnes tam Theologi, quam Canonistae conveniant, quod Episcopus tenetur eligere inter idoneos digniorem, praecipue cum agitur de Beneficio cui. animarum cura annexa est, tamen pariter omnes conveniunt, «quod Episcopus in iudicando quinam sit dignior, haud tenetur se conformare iudicio ab Examinatoribus prolato, ac potest aliqua ox parte ipsorum Examinatorum iudicium reformare, determinando illum esse digniorem, qui tantummodo nü dignus vel tantum uti idoneus ab Examinatoribus fuit renuntiatus. « Renunciare digniorem inter adpro-

» batos, *ait Benedictus XIV de Synodo Dioecesana lib. 4 » cap. 8, •§. 6. solius iudicio episcopi* commissum est ». Idipsum millies definivit S. Concilii Congregatio, ut ceteris missis videre est in quadam *Montis Alti Parochialis 17 Iulii 1862.*

In casu igitur plurium concurrentium, ex favorabilior! iudicio examinatorum, nullum ius acquirit ille qui dignior iudicatus fuit prae alio, qui tantummodo fuit adprobatus, ad obtinendum beneficium, alioquin enim electio et renunciatio dignioris inter adprobatos , non esset relicta *solius iudicio episcopi.* In casu tamen, de quo res est, habemus potius cursum, quam concursum, ideo quaestio de iure quod acquirere posset Ferdinandus, est consideranda absolute., non relate ad alios concurrentes. Innixus autem testimonio variorum doctorum sibi visus est consultor eruere posse, sacerdotem Ferdinandum, licet ab Examinatoribus fuerit uti idoneus Episcopo renuntiatus, absolute loquendo non habuisse ius, ut ab Episcopo nominaretur et approbaretur ad Beneficium parochiale consequendum, eo vel maxime quod de beneficio agebatur, cuius collatio ad Episcopum pertinebat.

Nam *Reclusius de Concursibus Part. 2 Tit. 5 n. 46* haec habet: « Concursus actum collationis nec perficit, nec » consumit, sed ad illum dumtaxat disponit et praeparat, » quod non eget demonstratione. » Et Cardinalis *De Luca in Theatro veritatis et iustitiae diseurs. 70 nn. 16, 17* docet quod « in beneficiis liberae collationis per opposi tio» nem, nullum acquiritur ius sive in re sive ad rem. In » debitis vero certo generi personarum tantum acquiritur » ius ad rem. Addit tamen, quod quando oppositor est solus, » maiores et graviores requiruntur rationes ad ipsum exclu» dendum. »

Videndum igitur nunc est an revera gravissimae adsint rationes, ob quas, non obstante favorabili exitu concursus, excludendus sit sacerdos Ferdinandus a collatione sive ah assecutione beneficii parochialis.

Imprimis iuxta relationem Examinatorum habemus quod

nominatus Sacerdos, ***quoad doctrinam vix approbari potest: hinc attentis potius' ceteris qualitatibus,*** **dicunt Examinatores,** ***eum idoneum iudicamus.*** **Dubitari primo posset an t?t#- approbatus quoad doctrinam, rite possit in concursu iudicari** ***idoneus,*** **attentis** ***potius*** **ceteris qualitatibus ? Canonistae innixi testui Concilii Tridentini praecipientis** ***sess. 24 cap. 18 de Me for.,*** **quod « peracto deinde examine, renun-**
» cientur quotquot ab his (Examinatoribus) idonei iudicati
» fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rébus
» ad vacantem Ecclesiam gubernandam » unanimiter docent quod Examinatorum iudicium non debet ita sistere super doctrinam, ut simul non extendatur super alias praerogativas ad parochialem Ecclesiam regendam necessarias. Hinc Barbosa ***Collectanea in Conc. Trid. sess. 24 c. 18 n. 118*** **scribit: « In concursu Parochialium non solum considerari**
» idoneitatem respectu scientiae, sed etiam respectu aetatis,
» morum prudentiae et huiusmodi ad Ecclesiam Parochialem
» gubernandam, advertunt Massobrius etc. »

Et Benedictus XIV f. r. in Constitutione ***Cum illud,*** **praecipit: « Hisce, nempe doctrina et alia requisita, coniunctim**
» expensis, Examinatores per suffragia, inhabiles eiiciant,
» atque idoneos Episcopo renuncient. » Ast in casu nostro operosius inquirendum est, an ceterae praerogativae ita valeant supplere defectum scientiae ut ***vix*** **idoneus quoad doctrinam, attentis** ***potius*** **ceteris qualitatibus, idoneus iudicari possit?** (1)

Cum ergo in casu nostro iudicium peritiae seu scientiae non sit illud quod assorbet ceteras qualitates; sed potius e converso iudicium ceterarum qualitatum sit illud quod absorbet peritiam et scientiam ***(attentis potius ceteris qualitatibus ,*** **dicunt Examinatores,** ***eum idoneum iudicamus)*** **dubitari saltem fas est an hoc examinatorum iudicium ex**

(1) Confer Vol. VII pag. 340 et 467 ut eruas quodnam indicium faciendm sit de peritia sen scientia concurrentia. Recolé etiam Vol. XI, 131 nota in calce, et Vol. XIII pag. 119; ubi dictum est ab examinatoribus ferendum esse iudicium cumulatirum quoad scientiam et alias qualitates concurrentium.

hac parte fuerit rationabiliter probatum. Eo vel maxime* quod, ut postea videbimus, ceterae qualitates in sacerdote Ferdinando, vel omnino desunt vel certe tales non sunt, quae defectum peritiae vel scientiae supplere valeant. Ut autem Consultor erueret, Examinatores non recte iudicasse *d&* Ferdinandi peritia, eius scripta ad trutinam revocavit. Quoad solutionem primi casus ait: abstractione facta ab erroribus grammaticalibus, fateor quod multoties casum et solutionem examinavi, ut assequi valerem, si possibile esset, mentem Ferdinandi; ac tandem post longam considerationem mihi videtur ; quod si in solutione aliquid dicit, sententiam exprimit quod sacramentum extremae Unctionis, in se susceptum,, necessarium est ad aeternam salutem consequendam. Quod. quantum a veritate longe sit, nemo est qui non videat; tamen unus Examinator dedit concurrenti pro hac solutione- vota 8, alter 6, tertius 6!

Ut autem melius appareat irration abi litas iudicii Examinatorum, consideravit eumdem casum, prout scriptus et. resolutus fuit a Sacerdote, qui pro alia Paroecia in eodem concursu fuit examinatus. Solutionem autem hanc nedum bono idiomate latino conscriptam fuisse, sed veritatem attigisse asseruit consultor. Non obstante hac solutione, Examinatores ita diversum iudicium protulerunt, ut primus assignant huic alteri concurrenti vota 4 , secundus pariter 4, tertius 2. Et ita complexive sacerdos Ferdinandus, obtinuit pro solutione huius primi casus vota 20, sacerdos Philippus 10.

Abstineo a referendis'singillatim aliis duobus casibus propositis cum suis respectivis solutionibus; tantum dico quod ferme idem discrimen invenitur in Examinatorum iudicio,, prouti ex votis sive punctis, cuilibet concurrenti assignatis apparet; discrimen istud vero vel maxime apparet si considerentur 'vota, uni et alteri concurrenti assignata propter conciunculam. Si enim conciuncula sacerdotis Philippi non est omni ex parte perfecta, conciuncula sacerdotis Ferdinandi vere horribilis est, sine sensu, sine lingua, sine grammatica»

sine ideis, sine conceptibus, et in aliqua parte etiam contra litteram Evangelii. Tamen Examinatores unius tantummodo voti differentiam in favorem sacerdotis Philippi invenerunt. Nolo tamen hac super re ulterius insistere, cum in casu nostro quaestio non sit de merito doctrinali Ferdinandi relate ad doctrinalem meritum Sacerdotis alterius, quia non pro eodem, sed pro diverso Parochiali beneficio obtinendo concurrerunt. Tantum volui hanc comparationem instituere, ut etiam ex hoc irrationabilitas iudicii Examinatorum, quoad doctrinam sacerdotis Ferdinandi appareret.

Ast in mea sententia, Examinatorum iudicium irratio--nabile est non solum comparative, sed etiam absolute con sideratum. Quod tale sit circa primi casus solutionem ex dictis iam satis superque patet. Relate vero ad alias solutiones observandum generaliter venit quod Ferdinandus aliquas tantummodo generales theorias in medium protulit, de practica vero solutione casuum parum vel nihil dicit. In solutione secundi casus circa doctrinam Parochi, de quo in quaesito dicitur, quod docebat solam Fidem sufficere ad **d.** e—ternani salutem consequendam, pariter cultum externum ac ipsum Missae sacrificium haud necessarium esse respondit Ferdinandus, Parochum non bene docere. Sed ne suspicare quidem videtur, quod doctrina Parochi haeretica est; ac ideo propter malam administrationem Sacramentorum, et propter haereses quas expresse docet, non solum improbandus, sed ab» officio omnino removendus Parochus esset.

Solutio pariter tertii casus nihil aut valde parum dicit quod ad rem faciat, et quod practice faciendum sit haud quaquam determinat. Unde attentis tribus solutionibus, non *vioc approbari ;* sed omnino *reprobari* sacerdos Ferdinandus merebatur, utpote destitutus illa doctrina, quae ad Paroeciam primi ordinis gubernandam necessaria est. Idem dicendum est si attendatur modus, quo conciunculam exaravit.

Quaenam vero sit sacerdotis Ferdinandi peritia, non solum ex concursu, sed etiam apparet ex his quae Episcopus de? eod.**MU** retulit, aiens: cum esset ordinarius confessarii n darum-

dam Monialium, epistola ad Episcopum ipsum conscripta, sub die 22 Septembris 1867, quaesivit an posset audire confessionem unius Monialis, quae- confessarium particularem habebat, sed una vel altera vice petiit apud ipsum confiteri. Ac ante Episcopi responsionem, iam resolverat, se non posse eam audire, quia illa monialis non erat de suo ovili!

Pariter sub die 16 Maii 1868 proposuit aliud dubium, quod cum esset una Monialis infirma et deberet petere ab Apostolica Sede permissionem egrediendi de clausura, communitas Monialium ipsi Episcopo remiserat fidem iuratam super veritate infirmitatis, et propter hoc sacerdos Ferdinandus autumabat Moniales in excommunicationem incidisse ob conatum violandi clausuram: unde ante Episcopi responsionem illas confessione ac Sacramento Eucharistiae privavit.

Insuper Episcopus narrare prosequitur, moniales sub diebus 25 Iunii, 24 Iulii et 29 Augusti 1869 ipsi scribebant; sacerdotem Ferdinandum in eorum directione ita confuse et contradictorio se gerere, ut quid agerent, nescirent: nam aiebant, verbum quod hodie mortem animae confert, cras adnexam habet plenariam indulgentiam. In secundo epistolio narrant Moniales, quod pro peccatis in confessione auditis publicas poenitentias imponebat, ac uni ex Monialibus poenitentiam imposuit ambulandi per octo dies nudis pedibus!

Sive ergo attendantur scripta, quae in concursu exaravit sacerdos Ferdinandus, sive attendatur modus quo se practice gessit, scientia necessaria ad Paroeciam primi ordinis gubernandam destitutus apparet, ac ideo, iterum concludam, quod *non viso approbari** sed *omnino reprobari* ex hac parte in concursu merebatur. Posito ergo quod iudicium Examinatorum in hac parte irrationabile fuerit, redeamus oportet ad ipsorum relationem, ut ipsam consideremus, quatenus respicit concurrentis requisita, quae in sententia Examinatorum talia ac tanti ponderis sunt, ut in concurrente supplere valeant scientiae defectum: *attentis potius caeteris Qualitatibus eum idoneum iudicamus,* dicunt Examinatores.

Ac primo quidem ad mentem revocare oportet illud quod superius dixi, quod nempe licet in concursu, simul cum scientia consideranda veniant cetera concurrentis requisita, tamen, <ktm adest in concurrente talis ac tantus scientiae defectus, ut quoad doctrinam approbari haud mereatur, non possunt cetera requisita hunc defectum supplere. Demonstratum est. autem quod sacerdos Ferdinandus scientia necessaria ad regendam paroeciam omnino caret, ideo in casu de quo agitur ceterae qualitates non possunt scientiae defectum supplere, ac proinde si quoad scientiam Examinatorum iudicium irrationabile fuit, etiam in hac parte irrationabile sit necesse est.

Sed ulterius, ubi sunt, et quaenam sunt ceterae istae sacerdotis Ferdinandi qualitates? Examinatores dicunt ipsum *moderatis .moribus, et prudentia quadam imbui;* quibus verbis, ut mihi videtur, satis vel ipsi Examinatores exprimunt quod circa prudentiam aliquid remanet desiderandum, *prudentia quadam imbui.* Et quod revera ita sit, satis ex supra citata revmi Episcopi relatione eruitur. Ac profecto prudentia haud praeditum se esse ostendit sacerdos Ferdinandus, dum quaerebat subscriptiones ut ipsum in Oeconomum postularent, quando Archipresbyter Ecclesiae Matricis adhuc viveret. Prudens non fuit dum promisit malis presbyteris, ab Ordinario iuste suspensis, sese acturum ut reabilitationem obtinerent, si Archipresbyteratum consequutus fuisset. Prudens non fuit, quando, cum esset ordinarius -confessarius Monasterii undecim monialium, hanc parvam communitatem ita divisit, ut unae adversus alteras insurgèrent, propter indiscretam et imprudentem ipsius directionem, et tamen, ut dicit Visitator ab ipso Episcopo missus, modis omnibus quaerebat in confessarium confirmari.

Contra sacrorum Canonum dispositiones se ingerebat, absque facultate, in dirigendis Monialibus et ob hoc ab Episcopo severe reprehensus fuit. Quod relate ad moralitatem non ita caute, ut deberet, se gerat ex eo etiam ostenditur, quod in eadem domo vivit cum nepote concubinari, ac permittit nepotis concubinam sibi familiari.'Insuper alium ne-

potem alit, qui pariter concubinarie vivit, ac ut tot expensis occurrat, debita multa contraxit, quibus non potest satisfacere* Ex quibus erui datum est, ait Consultor, Ferdinandum omnino destitui qualitatibus, ob quas idoneus declaratus fuit ab» Examinatoribus. Qua de re etiamsi probandus per hypothesim visus fuisset ratione doctrinae, tamen ob defectum aliarum qualitatum reiiciendus erat.

Hinc Consultor conclusit aiens: omnino culpandos esse- Examinatores, grave ot liti munus quo fungebantur, dum Sacerdotem doctrinae aliarumque qualitatum expertem renunciarunt idoneum. Et ideo eorumdem iudicium, omni ex parte- irrationabiles fuisse: Sacerdotem vero, etsi solus ad concursum accesserit, nullum acquisivisse ius ad beneficium assequendum, et concursum vitio nullitatis laborare.

Hisce praemissis, resolvenda proposita fuere

Dubia

I. *An constet de mala relatione examinatorum in casu**

Et quatenus Affirmative

II. *An deveniendum sit ad novum concursum, vel potius Archipresbyteratus adiudicandus sit sacerdoti Ferdinando in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. sub die **9** Septembris **1882:** respondit :

Ad I. *Affirmative et amplius.*

Ad It. *Fiat novus concursus coram aliis examinatoribus.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Solius Episcopi iudicio commissum esse renuntiare digniorem inter approbatos; ita ut eidem liceat, aliqua ex parte, examinatorum reformare iudicium, declarando esse digniorem, etiam illum qui ab eisdem uti tantum dignus» vel idoneus declaratus fuerit.

II. Ex huiusmodi ergo iurisprudentia dicendum, per concursum, actum collationis non perfici, sed ad illum dumtaxat disponi et praeparari. (1)

III. Ideo neminem ex concurrentibus ius ullum acquirere ad obtinendum beneficium ex iudicio examinatorum favorabiliori; alioquin electio et renuntiatio dignioris inter approbatos, non relinqueretur solius iudicio Episcopi.

IV. Quamquam in casu quo unus solus sit concurrens,, maiores requirantur rationes ad ipsum excludendum, tamen concurrens ius certum non acquirit ; ita ut Episcopus cogi possit ad institutionem dandam: quia tota substantia actus collationis paroeciarum iudicio et episcopali iurisdictioni relinquitur. (2)

V. Iuxta *Trid-. Sess. 24 cap. 18,* **renuncian ab examinatoribus debent quotquot, praevio cumulativo iudicio, idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis qualitatibus ad vacantem Ecclesiam gubernandam.**

VI. In themate sacerdos Ferdinandus pene nihil obtulit ad hoc adstruendum cumulativum iudicium: etenim scientia, quae quantitas negativa fuit, addi nullo modo potuit aliis qualitatibus, nemini cognitis, nisi oculis examinatorum lynceis.

VII. Hinc S. C. C. quae oculis diversis scientiam qualitatesque Ferdinandi conspexit,, malam fuisse censuit examinatorum relationem, iussitque novum fieri concursum coram aliis examinatoribus.

(1) Episcopus in casu de quo agitur nullo modo culpandus est si indefinite distulit institutionem dare. A culpa tamen non vacat ex eo quod ad concursum admiserit Ferdinandum, cuius peritia et requisita ad legendum populum eidem innotescere debuerant. Ut excludatur concurrens a concursu non requiritur regularis processus, sed ut adsint aliqua facta , quae concurrentis bono nomini adversentur. Confer nota 2 Vol. VII pag. 351 *har. ephemer.*

(2) Garzias de Benef. part. 4 c. 7 n. 82 ait: « Domini (Iudices s. Rotae) magis ierunt in lioc, quod collatio parochialium, etiam hodie non sit neces~saria , quia tota radicatur in mera voluntate Episcopi , qui potest abstinere ab illa et permittere ut per lapsum temporis ius devolvatur ad Superiorem, nec ad eam per aliam cogi potest . . . »

EX SACRA CONGREGATIONE (NOULGENTIAROi

Decretam, quo conceditur Indulgentia centum dierum Sacerdotibus, qui adnexam recitent orationem.

Die 17 Februarii 1883

Beatissime Pater

Fr. Maria Bernardus Abbas Lirinensis et Vicarius Congregationis de Senanque, ad pedes S.V. provolutus, postulat ut presbyteri tum saeculares, tum regulares adscripti Piae Sodalitati *Nostrae Dominae de Presbyteris,* recitantes ante Missam orationem sequentem:

O Mater pietatis et misericordiae, Beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu et precor pietatem tuam; ut sicut dulcissimo Filio tuo, in cruce pendenti, adstitisti, ita et mihi misero peccatori et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus, clementer ad*-sistere digneris, ut tua gratia adiuti dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen. - lucrari valeant Indulgentiam centum dierum.

Et Deus. etc.

Sanctissimus Dnus N. Leo Papa XIII,, in Audientia habita die 17 Februarii 1883 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne indulsit, ut nedum Sacerdotes de quibus in precibus, sed omnes tum Saeculares tum Regulares, propositam orationem, corde saltem contrito, ante •celebrationem Missae, devote recitantes, lucrari valeant Indulgentiam centum dierum. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 17 Februarii 1883.

AL. **C**ARD. OREGLIA A s. **S**TEPH. **P**RAEF.

F. Della Volpe *Secret**

VAPINCEN.

Die 28 .Iulii 1882.

DECRETUM, QUO DECLARANTUR NULLAE INDULGENTIAE PATRIS BLANCHARD NUNCUPATAE.

Quidam Sacerdos e Dioecesi Vapincensi in G-allia oriundus, nomine Ioannes Franciscus Blanchard, olim Missionarius Sodalitatis B. M. Virginis e *Laus,* contendit se a fel. rec. Pio IX accepisse, vivae vocis oraculo, potestatem concedendi Indulgentiam pro lubitu suo.

Illae autem Indulgentiae sunt plenariae vel particulares, et Defunctis in Purgatorio detentis applicari possunt, nec ne, iuxta eiusdem beneplacitum.

Ad lucrandas huiusmodi Indulgentias, sequentes conditiones praescribere solet: deosculari vel aspicere Christi Crucifixi imaginem aut numismata ab ipso benedicta; quod quidem fieri potest centies, exempli gratia, in una hora, et sic toties quoties Indulgentiae plenariae acquiruntur. Aliunde nec confessionem nec communionem requirit, neque ullas preces pro Ecclesia vel ad intentionem Summi Pontificis faciendas, prout tamen fert consuetudo.

Quae eum ita sint Episcopus Vapincensis ad s. Congrega tuonerà confugit, ut eum agendi modum in casu docere et responsionem, ad sequentia dubia suppeditare dignetur.

1. An possit admitti talem ac tantam potestatem circa Indulgentias, fidelibus elargiendas, privato Sacerdoti, vivae vocis oraculo, concessam fuisse, prout dictus sacerdos Ioannes Franciscus Blanchard gloriatur ?

2. Dato quod tam ampla potestas alicui Sacerdoti impertita fuerit, an ei prorsus liceat ubique in gratiam fidelium eadem uti, inconsulta s. Indulgentiarum Congregatione, et inconsultis, imo invitis atque reclamantibus locorum Ordinariis?

Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita **i03**¡>ondendum censuit :

Ad utramque negative: et curet Episcopus, meliori quo fieri potest modo, ut praefatus Sacerdos desistat uti adserta potestate •concedendi Indulgentias, de quibus in casu , ne diu fideles in •errorem pertractantur.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 28 Iulii 1882.

AL. CARD. OREGLIA A s. STEPH. PRAEF.

F. Della Volpe *Secret.*

EX S. CONGREGATIONE RITUI

Responsum quoad festa primaria etc. si concurrant cum festis secundariis Dominicae Passionis.

Reverendissimus Dominus Isidoras Du Rousseaux, Episcopus Tornacensis a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii resolutionem efflagitavit, nimirum ; ***u*** **An festa primaria ritus duplicis maioris sint praeferenda, in concursu, Festis secundariis Passionis Dominicae, quae sunt etiam ritus duplicis maioris?**

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum ceremoniarum Magistris, sic, rescribendum censuit :

Negative, iuxta Decreta de concurrentia in *Panormitana* **diei 12 Aprilis 1823, in** *Mechlinien,* **diei 22 Maii 1841, et Meliten, diei 6 Septembris 1845.**

Atque ita rescripsit ac declaravit 25 Septembris 1882.

Pro Emo ac Rmo Dno DOMINICO CARD. **BARTOLLNI S. R. C. Praefecto**

CAMILLUS CARD. DI **PIETRO Episc. Ostien. et Veliternen.**

LAURENTIUS SALVATI **S. R. C. Secretarius**

APPENDIX V.

Commentarium brevissimus instructionis editae a S. C. Episcoporum et Regularium die 11 Iunii 1880 (1).

Haud semel, neque unius tantum a Dioecesis Ordinario rogati, ut commentarium adiiceremus quibusdam articulis *instructionis pro Ecclesiasticis Curiis, quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum,* editae a S. C. Episcoporum et Regularium die 11 Iunii 1880; manum operi admovemus, in id sedulo intendentes, ut ab eisdem Curiis ecclesiasticis pro providissimae huiusmodi instructionis applicatione, tutius atque expeditius huiusmodi negotia gerantur. Plura paucis perstringimus, ne brevitati quam nobis proposuimus deficere videamur.

Haud moramur circa instructionis scopum; qui patet ex proemio. Urgente ex una parte iniqua temporum conditione, qua Episcopi ad id redacti sunt, ut quibusdam inter eos impossibile quoque evaserit %>$as Curias regulariter instituere, et libere agere in exercitio disciplinaris iurisdictionis: ex alia, instante canonicae regularitatis et iustitiae tutamine, quod praescriptae a iure procedendi formae maxime praestant; operae pretium erat minus sollemnes et magis oeconomicas procedendi formas permittere, ac una simul, canonicam regularitatenr, iustitiam, uniformitatemque in iudiciis servare. Ideo dum in *accidentalibus* modificatio occurrit, *substantialium* relaxatio interdicitur.

Item haud moramur in his quae in *primo, secundo et tertip* articulo continentur. Etenim nullus est Ordinarius qui probe non noverit, gravissimum sibi onus incumbere disciplinam correctionemque curandi clericorum, queis praeest, ut ordinis perturbationes, tempore opportuno anteversae, facilius eliminentur.

Duplex malis remediorum genus indigitat Sacra Congregatio: diversimode applicandum, prouti vel malum adhuc praecavendum se praebet, vel punitionibus expiandum; ita tamen ut rei resipiscant, et ad bonam frugem redeuntes, admissi consequentias reparare valeant,

(1) Habes hanc Instructionem Volum. XIII pag, 324 har. §phem.

Ad malum praecavendum tria
proponuntur : 1. spiritualia exer-
citia, 2. admonitiones, 3. praece-
pta. De admonitionibus praece-
ptisque nonnulla adduntur in se-
quentibus articulis: de exercitiis
spiritualibus non item. Scitum
iam est omnibus spiritualia exer-
citia quae a Constitutione 126
Summi Pontificis Alexandri VII
quae ineipit *Apostolica Sollici-
tudo,* quaeque ab epistola S. C.
Episcoporum et'Regularium iussu
Innocentii XI felicis recordationis
edita die 9 Octobris 1682, imposita
sunt illis omnibus qui vel reli-
giosum habitum sumere, vel re-
ligiosam professionem edere, vel
sacros ac etiam minores Ordines
suscipere exoptarent ; per aliam
epistolam sacrae eiusdem Congre-
gationis datam die 1 Februa-
rii 1710,de mandato Summi Ponti-
ficis Clementis XI, maxime com-
mendata' fuisse Ordinariis Italiae
Insulárumque adiacentium « ut
» fructu, qui sane' uberrimus ex
n praedictis spiritualibus Exerci-
» tus percipitur, opportune pro-
» posito ác explicato, universos
» ex clero sibi subiecto, sed prae-
cipue animarum' Rectores, Con-
n fessariós, Canonicos aliosque Be-
n neficiâtos, Chori servitio adstric-
ti tos, diligenter excitent ad eadem
» Exercitia, saltem semel in anno
» peragenda, in domibus Religio-
ni sorum Societatis Iesu, seu prae-
» sbyterorum Congregationis Mis-
7> sionis, si adsint, sin minus in
» alia pia seu Regulari Domo ab-
v ipsis ordinariis ad id designan-
di da et approbanda. »

Eadem in epistola qui sit com-
mendati huiusce operis scopus de-
scribitur, *u* Cum diuturna expe-
» rientia compertum sit, ad reti-
y> nendam conservandamque ordi-
n nis dignitatem et sanctimoniam
» maxime conducere ut Ecclesia-
» stici viri spiritualibus Exercitiis;
n aliquando vacent, quibus quid-
n quid sordidum de mundano pul-
ii vere contractum est commode de-
» tergitur, Ecclesiasticus spiritus;
» reparatur, mentis acies ad divi-
ni narum rerum contemplationem
n extollitur, recte sancteque vi-
ri vendi norma vel instituitur vel
» confirmatur; proinde Sanctitas.
n sua, eximio quo flagrat omnium
» salutis zelo, vehementer exo-
» ptans, ut pium hoc et saluber-
» rimum Exercitiorum spiritua-
li lium opus ubique locorum ma-
» gnopere frequente tur, ac vi-
ii geat, universos Patriarchas,.
n Archiepiscopos, Episcopos cete-
ri rosque cum Italiae, tum etiam
v Insularum adiacentium Ordina-
ti rios enixe admonet ac hortatur,,
» ut illud in sua quisque Dioe-
» cesi, quo maiori poterunt co-
» natu, promovere satagant. »

Ast longe alia ratione ac m.
citata epistola S. C. Ep. et Reg.
spiritualia exercitia in istructio-
ne de qua agimus introducta sunt.
Siquidem in epistola diei 1 Fe-
bruarii 1710, Exercitia Italiae:

Episcopis maxime commendabantur. ab unoquoque de clero peragenda, ut *quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est commode detergatur, Ecclesiasticus spiritus reparetur* etc., qui finis, etiam bis qui perfectiorem vitam agunt communis esse potest, immo debet.

Verum, cum spiritualia exercitia inter media ad malum praecavendum opportuna proponuntur, licet intrinsecus eorum finis idem semper maneat, media tus tamen ille fit : immediate enim adhibentur ad correctionem clericorum, qui etiamsi sordis adhuc exspertes maneant, lubricum tamen iter sequuntur. Immo frequenter cum admonitione, aut etiam post admonitiones, praecepto imponuntur : atque eo casu poenae, licet levissimae, rationem exhibent.

Circa huiusmodi remediorum praevenientium applicationem, quaeri potest.

1 Quibus in rerum adiunctis adhibenda sunt?

2. Quibusnam praecedentibus actibus?

3. Paria ne sunt inter se, vel alterum alteri gravitate praestat ?

Quod respicit primum quaestionis caput, facili ratione solvitur. Ait s. Congregatio praeventiva remedia adhibenda esse ad impediendum *quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae causaeque ad delinquendum proximae removeantur.* Opus est igitur ut factum aliquod existat: nam si nihil adsit, nihil applicari potest, nec ex remoti possibilis mali formidine agendum est. Ast factum talis esse debet naturae quae vel culpam, licet levem, ferat, vel etiamsi culpam non contineat, illi tamen proxime accedat. Tales sunt occasiones voluntariae aliaeque causae ad delinquendum proximae, quae Theologiam moralem edoctis optime notae sunt. Tandem actus nonnulli quandoque culpae expertes per se sunt, et tamen respicientium oculis diversimode sese offerunt, et scandalum gignunt.

Insuper tale esse debet factum quod non in occulto maneat, bene vero exterius notum alicui sit. Cautum enim voluit in *articulo IX* S. C. nova hac instructione, nihil detrahi « extraiudiciali re-
V medio *ex informata conscien-*
» *tia,* quod pro criminibus occul-
» iis S. Tridentina Synodus de-
» crevit. » Et de hoc remedio satis abunde loquuti sumus in *Appendice* III Vol. XIV p. 299. Ideo Ordinariis praecipitur, in articulo V ut summariam facti cognitionem sumant, eum in finem ut si ad ulteriora procedere oporteat, vel clericus ad superiorem auctoritatem provocaverit, facti probationes, ipsi in promptu habere, et ad Superiorem transmittere valeant.

Occurrit Loc ïocc secunda ex propositis quaestionibus: nempe, *-quibusnam praecedentibus acti' bus;praeseruativis remediis uti licebit t* **Quae quidem quaestio in aliam traducitur. « In quo con- ni sistit summaria illa facti CO- TÍ gnitio quam Ordinarii praemit- 'V tere debent praevenientium re- nn mediorum applicationi? »**

Duae probationum species, in iure notae sunt: *plena,* **et** *semi- plena.* **Auctor** *.Ferraris verbo* **u probatio ».** *num 4.* **ait:** *Plena illa est* **(probatio)** *quae tantam fidem facit quanta ad definien- das controversias sufficit: ut est probatio,quae fit per duos testes, omni exceptione maiores, per instrumenta authentica, per con- fessionem propriam, et huius- modi. Semiplena illa est quae facit quidem aliquam fidem rei gestae, sed non tantam, quae sufficiat ad definiendas contro- versias, uti est probatio per unum •testem, per confessionem extra- iudicialem, per scripturam pri- vatam, per fugam rei qui de- buisset respondere, perfamam et huiusmodi. Sic in re communis.* **Et inferius sub** *num. 13* **idem Auctor tradit:** *Dantur tamen plures casus in quibus non rae- quiritur probatio plena, sed sufficit semiplena, vel alia ex coniecturis deprompta, ut sunt casus in quibus sententia lata facit modicum praeiudicium. Mota recentior* **part. 3 decis. 466 sub num. 4 part. 4..** *et Doctores communiter per textum in I. 3* **§. « ideoque Divus n** *ff. de testi- bus c.* **u in nostra »** *de testibus»* **Demum sub** *nu m- 19* **addit** *Tan- dem sufficit probatio semiplena in causis summariis ubi agitur de rebus modicis et quasi nul- lius praeiudicii. Rota part. 15 dec. 190 num. 14* **per textum** *in* **C. u ex litteris » de** *iri integrum restituí.* **C u cum Bertoldus »** *18 de sententi et reiudicat.* **etc.**

Hisce positis iuris principiis, urget iterum quaestio: « Plena » ne probatione opus erit, vel se- » miplena sufficiens censenda est, » ut praeventivis remediis uti li- nn ceat? » Rerum et personarum adiunctis plurimum attendendum est nostra sententia. Graviores pro gravioribus rebus probatio- nes, pro levioribus leviores su- mendae sunt, pleniores si de perso- na agatur aetate, morum.integri- tate usque adhuc nulli obnoxia culpae: minus plenae si accusatus, sè alias iam levitatis haud exsper- tem ostenderit. Profecto ad reme- dia applicanda deveniendum non est, quin semiplena saltem proba- tio existat. Verum quoniam hoc probationum caput magni facien- dum est, accuratiores, quo fieri potest huius commentarii brevi- tati accomodata3 **notitias tradi- mus** *de modo* **summariam illam facti cognitionem sibi comparandi, de qua loquitur hoc in articulo S. Congregatio.**

Agitur de remediis canonicis forma extraiudiciali applicandis ad hoc, ut quis ad bonam frugem redeat, vel proximum labendi periculum vitet, vel scandalum tollat. Diligenter igitur inquirere •debet Episcopus de facti existentia et qualitatibus, quod in iure vocatur *procedere per inquisitionis viam.* Episcopis onus inquirendi incumbit iuxta illud Melehiadis Papae praeceptum Hispanis Episcopis datum 2. q. I. can. 13. *Primo semper diligenter inquirite, ut cum iustitia et veritate definiatis: neminem condemnetis ante verum et iustum iudicium : nullum suspicionis arbitrio iudicet is: sed primum probate, et postea charitativam proferte sententiam.* Nec si *notorium* (quod vocant) factum populo sit, omittenda est inquisitio : fieri enim potest ut post diligentem sumptam informationem, res vel falsa vel longe diversa se praebeat, ac notoria dicebatur.

Ast processus per *inquisitionis viam* de quo in iure canonico disseritur, criminalia respicit iudicia: inquisitio de qua loquimur ad extraiudicialia applicanda remedia iter sternit, et extraiudiciali forma instituitur, infamiam accusati haudpraerequirit, prouti antiqui tus, quia secreto adhibenda, -est. Inquisitio autem huiusmodi pro notitia Curiae instituenda,ita ordinario in usu habenda est, ut .nemini iicr^t ve! internae correctioni vel iudicii actui manum admovere, quin inquisitio isthaec praecedat.

Accidit non raro ad Episcopi aures pervenire, vel per rumorem aut famam, vel per denuntiationem secretam, aut etiam anonymam, vel per famam aut rumorem, vel per denuntiationem Promotoris Fiscalis, aliquo in loco tali modo peccari, vel praecepta clero imposita negligi. Frequentius haec in eius oculos insiliunt in discursu s. visitationis. Tum Episcopus a facto, ad delinquentis inquisitionem procedere tenetur.

Pro huiusmodi inquisitione , quae generalis nuncupatur, peragenda methodum *docet Pellegrin. Prax. Vic. Gen. par. 4. sect. 2. n. 73 Episcopus secreto et separatim vocat personas, quae sibi pleniores notitias suppeditare possunt circa tale factum emergentia, dependentia, contingentia ac illi adnexa et connexa, ut delinquentem pro sui poena et aliorum exemplo punire valeat: easque singillatim ad veritatem aperiendam opportunis verbis excitat ac interrogat, an ipse sciat factum eiusque circumstantias, et praesertim an sciat quis illud commiserit. Si ille talis, qui sic secreto interrogaturi dixerit se nescire, interrogetur iterum in genere, an sciat saltem aliquem de tali facto esse infamatum vel suspectum, et illo respondente nega-*

tive, denuo interrogetur an sciat quis possit omnia scire. Et sic poterit procedere cum aliis.

Si ex inquisitione generali super determinata persona non levia cumulentur indicia (de hac autem levitate vel gravitate iudicium ferre Episcopi est) ad informationem *eae, officio* sumendam procedit.

Quod respicit Episcoporum criteria hac in re, prae" oculis tenendum est quod tradit *Van Espen Ius Eccles.univers.par. 3 tit. 8 cap. 1 num. 37.* Ex omnium Doctorum sententia, in materia iudiciorum, non potest statui certa regula: sed totum relinquitur iudicio Iudicis, qui secundum qualitatem personarum et delicti et indiciorum, iudicabit num *indicia sufficiant ad capiendam informationem contra illam personam.*

Patet opus non esse generali inquisitione, quoties una cum facto, delinquentis nomen notum fit. Tunc enim directe ad inquisitionem quam vocant *specialem* scilicet ad eam in qua de alicuius personae reitate quaeritur , proceditur.

Ad inquisitionem tum generalem tum specialem rite explendam, tria ex comuni doctorum sententia praecipue servanda sunt. Et primo loco attendendum est ut fiat ab ipso Ordinario; vel de eius mandato ab ecclesiastico viro, probitate atque integritate praestanti, prudentia commendato, studii aut odii erga delinquentem affectibus haud obnoxio. *Van Espen loc. cit. hum. 25* et in opere cuius titulus *Praxis rerum crimen, cap. 8 num. 1 et 2.* Attendendum est secundo loco, ne ad inquisiti aures inquisitionis notitia perveniat. Tertio loco cavendum est ne inquisitio in vulgus edi incipiat. Ceterum tum testium depositiones secreto et singillatim obtentae, tum informationes aliaeque huiusmodi probationes scripto tradendae sunt et in Curia servandae, pro casu quo vel inquisitus contra, remedii applicationem ad Superiorem recursum faciat, vel ab ipsa Curia, ad ulteriora procedi oporteat.

Post expletam inquisitionem, si vel reitatis, vel periculi proximi, vel scandali existentis probationes adsint haud graves, seu potius indicia aliquo in pretio habenda, prudentis erit Episcopi, ante monitionis canonicae applicationem , delinquenti ad se arcessito, quae contra eum extant accusationes pandere, quin originem notitiae et deponentes eidem notos faciat. Id etiam per prudentem et non dubiae famae ecclesiasticum virum, cui Episcopus-mandatum ad hoc conferat, fieri potest. Poenae comminatio nulla, facienda est inquisito. Qui si ad accusationem destruendam perveniat; iam nihil ultro est agendum.

Eodem modo procedendum est cum his qui ab incepto desistere promittunt, et malum reparare; ac reapse satagunt ut promissa •exequantur. Ast si indicia talis sint naturae, quae haud levis reitatis semiplenam probationem constituant: (inter quae magni facienda est delinquentis vocati ad Episcopum accedendi recusatio, vel extraiudicialis eiusdem confessio), canonicae admonitionis ap, plicatio non est ulterius differenda.

Tertiae ex propositis quaestionibus -ex ipsa instructionis littera et spiritu-pronum est responsum. Ait S^C. in articulo VI, « cano- *r*> nicas admonitiones esse appli- » candas sive in forma paterna et •*n* secreta (etiam per epistolam aut •» per interpositam personam) sive *n* in forma legali, ita tamen ut *ri* de earundem executione aliquo •*n* ex actu constet. » Prosequitur sed in articulo VII. *u* Quatenus *n* infructuosae informationes eva- *V* dant, Ordinarius Curiae prae- *V* cipit, ut delinquenti .analogum *v* iniungatur praeceptum etc. » Ergo praeceptum nonnisi praemissis monitionibus, hisque per delinquentem spretis iniungendum est. Ergo gravitate praestat prae admonitionibus praeceptum. Immo in ipsa admonitione varii gravitatis gradus extant, prouti vel in forma paterna, vel in forma legali perficitur. Et quoniam in actu praecepti saepius delinquenti imponitur sub poena suspensionis etc., ut.spiritualibus exercitiis penes religiosam aliquam familiam operam det, hoc sub respectu, graviora etiam spiritualia exercitia videri poterunt, quia aliquo modo poenae naturam induunt, ceu supra dictum est.

Admonitionum et praecepti formam quod attinet, clara per se sunt quae in articulis VI, VII, VIII, traduntur. Canonicae, monitiones fieri debent *u* sive in forma *n* paterna et secreta (etiam per » epistolam aut per interpositam » personam) sive in forma legali: » ita tamen ut de earumdem exe • » cutione constet ex aliquo actu » Nihil ergo refert utrum unus vel alter, modus eligatur : dummodo, ex aliquo actu, constet monitiones locum revera habuisse. Ergo **si** epistola adhibeatur, ea mittenda erit iuxta praescriptum articuli XV, nempe ope commendationis *u* penes officium tabellariorum, ex- ? poscendo fidem exhibitionis, re- *n* ceptionis aut repudii, *n* Si vero per interpositam personam monitio applicanda sit, profecto cum ad gravissimum huiusmodi scopum, nonnisi illi de clero adhibendi sint qui sanctitate aetate et doctrina ceteris praecellunt, eorum testimonium scriptum de admonitione, exequutioni commissa, plenam sibi fidem vindicabit. Tandem, **si** in forma legali procedere necesse sit, et nullum adsit impedimentum ex parte gubernorum, hoc

est, si Curiae proprios habeant apparitores, monitiones per apparitorem notificantur atque intimantur. Si apparitore uti impossibile evadat, supplendum est commendata epiatola, ceu in citato articulo XIV praescribitur.

n Quatenus infructuosae mo-
n nitiones evadant, (habemus in
r> articulo VII) Ordinarius prae-
» cipit Curiae j ut delinquenti
v analogum iniungatur' praece-
pi ptum, in quo declaretur quid
n eidem agendum aut omittendum
» sit, cum respondentis poenae
v ecclesiasticae comminatione ,
n quam incurret in casu trans-
it gressionis. »

Omnia hoc in articulo diligenter descripta sunt. Officium *a quo* praeceptum edendum est indicatur; substantialia pro intrinseca praecepti forma exprimuntur.

Praecepto praemitti debent *monitiones* (non *monitio)* canonicae. Quot numero? praxis cano-* nica fert *tres* numero monitiones esse adhibendas, sex dierum spatio explendas, hoc est biduo inter unam et alteram intercedente. *Ridolphin. praxis iudic. Part. I Cap. XIV. num. 244 et seqq.* docet *Tertio ut quis possit excommunicari, requiritur trina monitio, vel una cum trino termino dierum distincte assignato Cap.* u Constitutionem » *de Sentent .excommunie^ in 6-Cap.* ¿Sacro n *ubi Gloss, in verbo* u competenti * *de sententia excommunicationis. Et non solum* rae- *quiritur dicta monitio in excommunicatione ut supra, sed etiam in suspensione et interdicto Cap** u reprehensibilis » *in principio ubi Gloss, in verbo* u monitione rr *de appell, et Cap.* u Statutum rr *de sentent, excommun, in 6, quae quidem monitio trina, seu cum trino termine, debet saltem continere spatium sex dierum: et sic duorum dierum pro quolibet termino, seu pro qualibet monitione, ut probatur in dicta constitutione, ibi aliquorum dierum competentia intervalla.*

Monitiones Episcopus applicat, praeceptum a Curia edendum est, monitiones enim etiam in forma legali adhibitae, et per apparitorem executioni commissae, semper aliquid paterni continent; ideo Ordinarii personam non excedunt. Sed cum ad praeceptum deveniendum est, licet in forma, extraiudiciali, et saepe etiam secreta intimandum, res transit in dominium tribunalis Episcopi, unde praeceptum emittitur. In praecepto, quid delinquens agere; vel a quo abstinere debeat declarandum est: atque ita resipiscentiam, quam spontaneam obtinere monitionum scopus est, coactivae iniunctiones vi consequi satagunt. Iniunctiones sequitur sanctio penalis, delinquenti comminanda, atque ab ipso incurrenda si praeceptum transgrediatur. Tria igitur substantialia suni

pro praecepto. 1. monitionum praemissio, 2. expressio eorum quae agere, vel a quibus abstinere debet delinquens, 3 sanctio poenalis. Quae sanctio poenalis rei gravitati accommodata esse debet. Pro levioribus culpis spiritualia exercitia, quae (uti supra diximus) etiam in admonitione applicantur, frequentissime adhiberi solent. Pro gravioribus, suspensio a divinis aliaeque huiusmodi poenae, saepissime cum spiritualibus exercitiis coniunctae.

Perspicua pariter sunt quae in articulo VIII praescribuntur. Praecepti intimatio Cancellario Curiae committitur, et non alteri ; vel coram Vicario Generali, vel coram duobus testibus ecclesiasticis, aut laiois probatae probitatis explenda. Actus intimationis, a praesentibus, et etiam a praevento, quatenus ipse velit, subscribitur.

Rei gravitate crescente, crescunt et iuris sollemnitates. Pro praecepti intimatione Cancellarii persona necessaria fit omnino, atque ne intimationis praecepti existentia in dubium revocetur, praesentium subscriptiones pro actus validitate requiruntur, .juuscribat nec ne praeventus, non refert.

Pro rei natura fieri quandoque potest, ut Vicarius Generalis iusiurandum servandi secretum a testibus requirat: quod valde consentaneum est eximiae illi charitati ac prudentiae, qua Ecclesia in suis actibus semper uti solet, praesertim ad scandali diffusionem in populo praepediendam. Etenim memoria non excidat oportet, praeceptum de quoloquimur, inter remedia extraiudicialia ad malum antevertendum opportuna recenseri : atque in eiusdem applicatione extraiudiciali forma omnino procedi.

Monitum in articulo IX expressum per se patens est. Instructio, pro oeconomicis indicandis huiusmodi agendi regulis, illos tantum casus respicit, illasque Curias in. quibus vel impossibile vel imprudens evaderet sollemnes processus instituere. Nam pro illis locis in quibus nullum adest impedimentum ad iudicia instruenda , firmae manent iudiciorum sollemnitates a sacris Canonibus, Constitutionibusque Apostolicis-praescriptae. Manet quoque pro- occultis reatibus extraordinarium remedium *ex informata conscientia* de quo in *Cap. I. Sess. 14 Conc. Trid. de Reform.*

A remediis ad malum praecavendum opportunis, gradus fit in Articulo X ad modum procedendi in casibus, pro quibus criminaliter agere necesse sit, omnino.

Quibus in casibus criminaliter agendum sit eodem in articulo X expressum est. L ob praecepti transgressionem 2. ob communia crimina 3¿ ob legum Ecclesiae apertam violationem. In

id intendit instructio, nt substantiales iustitiae regulae sarcta^ tectae sint, atque una simul processus summarie et sine iudicii strepitu confici valeat. Patet, -«tiam in casibus qui ab initio malum antevertendum tantum continent, ad iudicium in forma quandoque esse procedendum, si admonitiones et praecepti iniunctiones a delinquente contemnantur.

Qui sequuntur articuli a XI •ad ultimum, ordinem, atque, uti iuridico vocabulo appellatur, *telam* - instituendi iudicii describunt, a qua ne in hoc quidem oeconomico procedendi modo discedere licet : secus delinquentibus via pateret iure ac merito contra processum insurgendi, ac etiam nullitate infectos iudicii actus proclamandi. Ex descripto autem iudicii ordine planum fit ; oeconomicum hunc procedendi modum, toto coelo differre a iudiciis summariis in iure canonico, iam notis, quorum institutio originem duxit a Clementina *Saepe (Cap, 2. de verb signi/.)* et a Clementina *Dispendiosam (Cap. 2. de iudiciis).* Summaria enim iudicia cum criminalibus processibus nihil commune habent, quae vel ratione personae iudicantis et in casibus a iure praescriptis taxative adhibenda sunt.

Summarie procedere tenetur delegatus a Papa cui aliqua causa summarie terminanda commissa est. Summarie procedi potest in causis super electionibus, postulationibus, provisionibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, praebendis, beneficiis ecclesiasticis, decimis, matrimoniis et usuris.

Insuper summarie expediri possunt causae pauperum, viduarum, pupillorum et miserabilium personarum: causae alimentorum, causae spolii, depositi, mercedis et peregrinorum, causae religiosorum, causae levioris momenti , causae quae ob aliquod imminens periculum moram haud patiuntur;.

Articulus XI. Ante omnia quatuor exhibet modos processum instruendi iique sunt:

1. *Ex officio.*
2. *In sequelam supplias libelli.*
3. *In sequelam quaerelae**
4. *In sequelam notitiae quae alia quavis ratione ad Curiam pervenerit.*

Processus ex officio tunc habetur cum Curia episcopalis, proprio motu, reum insectatur. Ast quia non decet iudicem per se reum insectari, accusatoris partes sustinere debet Promotor fiscalis, de cuius praesentiae in unaquaque Curia necessitate dicendum est infra sub articulo XIII. Processus ex officio substratum praebet inquisitio aliaque praemittenda ad praecepti intimationem, de quibus loquuti sumus sub articulis V ád VIII.

Prvesrus in. sequelam supplicis libelli tunc locum habet, cum aliquis se actorem constituit, reumque provocat, ut coram Curia compareat ad respondendum de aliquo facto.

Eadem dicenda sunt de processu in sequelam quaerelae, quam unus vel plures coram Curia deponunt. In huiusmodi processibus, Curiae officium est invigilare ut actus omnes sententiae praemittendi regulariter expleantur, ne adveniat, quod saepe usuvenire solet, ut ob vitia quae *formae* dicuntur, quae iam acta sunt omnia tamquam non essent habenda sint.

Processus ex notitia quae alio quovis modo ad Curiam pervenerit tum praesertim instituitur, cum notorium est rei crimen notorietate facti. Notorium autem facti iuxta ea quae tradit *Schmalzgrueber in tit. 1 lib. 5 Decretal.: erit quando crimen patratum est coram decem aut saltem sex hominibus, qui illud certo et per sensum cognoverint: quia, ut ex hactenus dictis constat, ad notorium facti requiritur ut illud patratum sit coram populo, vel maiore illius parte: ad populum autem constituendum requiruntur decem saltem homines.* Verum quoniam hic etiam modus, persona eget quae actoris seu accusatoris partes suscipiat ex officio , et persona nulla alia esse potest quam promotor fiscalis, cum primo, hoc est cum modo processum instruendi *ex officio* confunditur.

Processus autem , semel ac inceptus est usque ad exitum perduci debet eum in finem, ut omni adhibita cautela atque prudentia veritas detegatur. Quoniam sed processus finis est veritatis cognitio, si reus omnia confiteatur, iam aliis sibi probationibus comparandis indulgendum est.

In *articulo XII* pro confectione processus datur Episcopis facultas delegandi probum idoneumque Ecclesiasticum, dummodo *Actuarius* adsit. De probitatis et idoneitatis notis quae in Ecclesiasticis ab Episcopo deputandis necessariae sunt, nihil est dicendum. Siquidem cuique patet quanti faciendum sit ut illi, quibus tam magni momenti opus committitur, ut de aliorum actionibus inquirant, non modo doctrinae, sed et prsbitatis integritatis sanctaeque vitae fama ceteris praecellant. Huic adstare debet *Actuarius.* Qui vero sub actuarii nomine veniat, describitur ab auctore *Bouix de iudiciis Tom. I part. 2 sect. 2. Cap. 15 %.3. An Actuarii et Cancellarii idem sint ac Notarii. Solent passim a canonistis pro synonimis adhiberi Actuarii et Cancellarii vocabula. Item Actuarios cum Notariis confundunt. Dicuntur quoque Notarii Actuarii seu Magistri.*

actorum, ex eo quod acta iudicialia et processum consignant et confirmant. (Leurenius For. Eccles, in tit. 22, libri 2, decret. 9,687). Idem tradit Cardinalis De Luca (de iudiciis disc.-5 num. I.) Abstrahendo a particularibus locorum consuetudinibus circa modum haec vocabula interpretandi, videtur notarios inter, et actuarios seu cancellarius, eamdem ac genus inter et species suas differentiam intercedere. Nam ex usu loquendi magis ordinario (ut videtur) actuarii vocabulo non tantum intelligitur qui potest acta scribere quae fidem publicam faciunt, sed insuper qui de facto deputatus fuit ad conscribenda eiusmodi acta in aliqua curia seu cancellaria. Qui autem fuit dumtaxat creatus notarius, sed nondum ad exercendum in aliqua curia aut cancellaria officium suum deputatus, servat notarii nomen, non autem, iuxta magis receptum usum,vocatur actuarius seu cancellarius; ne cum altero qui de facto deputatus, atque alienae curiae vel cancellariae addictus,

fuit, confundatur. . . . . Sed quidquid sit de his a nobis indigitatis discriminibus, duo certa sunt: primo *quoad intelligenda eiusmodi vocabula standum locorum consuetudinibus :* secundo *legitime constitutum actuarium ct cancellarium, saltem quoad acta curiae seu cancellariae cut addicuntur, vim notariorum ha bere.* Ergo cum ad processus confectionem *Actuarii* assessio necessaria edicitur, intelligendum est curiae *Cancellarii* praesentiam requiri : nam Cancellarii nomen communiter pro Actuario-usurpa tur, et vicissim.

Articulus XIII. Imponitur hoc articulo unicuique curiae obligatio nominandi *Procuratorem Fiscalem,* (qui etiam *Advocatus Fiscalis* nuncupatur,) pro iustitiae et legis tutela. Cuius officium optime describit *Pellegrinus de Vicario Gener. Episcopi part. 4 sect. 1, num. 19. Fiscalis curiae episcopalis officium est assistere Vicario generali^ instare pro iuribus Ecclesiae r agere ac defendere fiscalia ea in quibus agitur de publica pecunia vel vindicta. . . . . . Propterea potest petere quod detur terminus ad probandum delictum* r *potest petere remissionem, ubi de iure concedi debet : similiter* potest petere citari; nec non publicationem fieri: inquisitos non audiri, repeti testes: ipsos-testes interrogari : reos non comparentes contumaces declarari, et tandem culpabiles condemnari. Potest similiter in omnibus cum iudice intervenire et consilii gratia votum praestare, non tamen iudicare.* Porro, eius actio in processibus quae *ex-officio* instruuntur, ipsam iudicii

essentiam ita afficit, ut eo absente iudicium esse nequeat. Est enim in quovis iudicio essentiale ut tres saltem adsint personae : nempe iudex, actor, et reus, - *Barbosa de iudic. num. 7* iudicium definit *actum trium personarum iudicis, actoris et rei, in iudiciis legitime contendentium.* Si ipsum demas, deberet Episcopus, qui iudex est, accusatoris partes suscipere : hoc est iudex et actor simul iudicio adstare: quod ipsi iudicii essentiae repugnat. "Verum non in iudiciis tantum, quae ex officio instituuntur, sed in omnibus iudiciis eius praesentia necessaria est. Quam quidem necessitatem ita asserit citatus auctor *Pellegrin. part. 4 sect. 1. Est autem adeo necessarium in criminalibus ut citetur in omnibus actibus quae fiunt contra reum Fiscalis curiae, ut si feratur sententia contra reum, ipso non citato, sententia erit nulla* Leg. 1. *Cod. de sententiis adversus fiscalem latis.* Quapropter cum tenendum sit praesupponi in iure in quolibet iudicio Promotoris Fiscalis praesentiae necessitatem, eius praesentiae necessitas in unaquaque episcopali Curia per se patens est.

Articulus XIV. Vel adsunt in Curia apparitores, ipsi curiae addicti, et hoc casu eorum opera citationes intimationes notificationesque ad normam iuris mittendae sunt. Vel desunt, et tunc supplendum est per epistolas tabellariorum officio oblatas atque commendatas cum exhibitionis vel repudii fide (quam *reditus* vocant) ut quaevis non receptionis dubietas absit. Nisi id adamussim observetur, rei contumacia tuto declarari nunquam poterit Quod si non adhibitis huiusmodi cautelis, in iudicio vocatus contumax declararetur, iure ac merito istam contra declarationem, insurgeret, ac contra sententiam nullitate infectam, ad superius tribunal provocaret.

Articulus XV. De fundamento processus agitur hoc in articulo. Vel enim *ex officio* processus instituatur, vel ad alicuius instantiam aut quaerebam, facti expositio cetera praecedere debet quae extant in processu. Sequuntur probationes quae factum convalidant : cuius generis sunt informationes authenticae, extraiudiciales rei confessiones, testium depositiones, aliaeque ante processus exordium sumendae, prouti superius circa articulum XI monuimus. Praesertim pro informationibus authenticis obtinendis adlaborandum est, quales esse possunt parochi delinquentis proprii, si de clerico agatur, vel viciniorum parochorum et Vicarii foranei si de parocho. Casus excipitur quo praecepti transgressio acciderit : tunc enim edere satis est ipsius praecepti decretimi, nec non intimationis act um

ad normam articulorum VII et VIII confectum. Scilicet actus praecepti, cum intimationis testimonio, de cuius transgressione processus instituendus est.

Articulus XVI. Continet monitum pro sententia recte ferenda. Siquidem recta minime esset, quae sine legali probatione ederetur. Legalis autem probatio talibus ex elementis componi debet, quae veritatem in aperto ponant, sin minus moralem convictionem inducant, quolibet remoto rationabili dubio in contrarium. Ergo antequam sententia proferatur, sedulo inquirendum est, num tale sit probationum pondus, quale hoc ex articulo requiritur. Qua super re nulla dari potest certa regula: quae nonnisi ex propria cuiusque iudicis conscientia sumenda est.

Articulus XVII. Quoniam de probationum pondere praecedenti in articulo actum est, et in criminalibus causis testium examina communiter expedienda sunt, de testibus agitur ab hoc articulo ad vigesimum. Et primo quod respicit modum audiendi testes, praecipitur, illos separatim semper esse audiendos. Nihil de eorum intimatione continet articulus : sed indubium est prae primis necessarium esse ut intimentur, atque de recepta intimatione probatio ad acta existat, ut de eorum recusatione mentio fieri possit in processu, pro casu de quo in Articulo XX. Et non modo separatim testes audiri opportunum est, sed etiam impedire ne qui examini subiecti iam sunt, cum audiendis colloquantur. Ita libera magis, nullaque externa insinuatione vitiata individualis facti cognitio ab unoquoquo testium proferetur. Atque hic redeunt quae supra tradidimus *f Artici V et V)* de testibus pro inquisitione audiendis: de quibus docet *Pellegrina Prax. Vic. part. 4 Sect. 4 n. 3 %.Nota. - Nota tamen quod testes pro informatione Curiae semper examinari debent secreto èt singillatim, ita ut quilibet ignoret quid alteri interrogatum fuit, quomodocumque procedatur, sive per denuntiationem, sive per inquisitionem, sive per accusationem, sive per alium modum.* Eadem haec principia continet *Instructio S. C. de Propaganda Fide ad Episcopos Statuum Foederatorum Americae diei 20 Iulii 1878* (1) quae monet: *ne quid in investigatione fiat quod aut ipsos* (inquisitores) *aut alios periculo damni, vel gravaminis exponat, praesertim ne locus detur actioni libelli famosi, vel alii cuicumque processui coram tribunali civili.*

Articuli XVIII et XIX commentario non indigent.

Articulus XX. Casus dari

(1) **Vide Vol. XII pag.** 88.

üotest, et non infrequenter nostris hisce teniporibus,ut facti cuiusdam criminosi illi certiores sint, quos super clericorum criminibus testes adhibere imprudens, immo condemnandum esset. Casus tunc datur, cum huiusmodi testimonia perhibenda essent ab impiis hominibus Religioni adversis, qui valde laetantur si ecclesiasticorum culpa in vulgus edendi et inflatis buccis extollendi opporr tuna ipsis occasio occurrat. Tunc maxime adlaborandum, est ut alii inveniantur testes, qui de relato, hoc est de rebus quas ab aliis narrari audiverunt deponant. - Eadem agendi ratio est adhibenda cum testes, licet vocati, ad Curiam accedere renuant, quod etiam non infrequenter nostris diebus accidit.

Articulus XXI. Non ante reus vocandus est, ut examini subiiciatur, quam omnia collecta fuerint quae facti existentiam atque imputatum culpabilem ostendant. Fieri enim potest ut testes imputati culpam excludant: et hoc in casu processus ad secretum archivium relegandus est : quin imputatus se criminosae actionis accusatum fuisse sciat. - Imputati vocatio per actum intimationis uno vel altero **ex** modis supra recensitis. *(Artic. XIV)* transmittendum, probanda est.

Articuli XXII et XXIII. Haud semper quae sint accusationes in ipsum latae imputato notae fiunt in actu intimationis. Prudentia duce hoc in capite, prouti et in ceteris, agendum est. Siquidem bonum est accusatum ad Curiam accedentem, paratum se praebere, ut accusationibus respondeat: verum si accusationes talis sint naturae, quas nec scriptae intimationi tradere tutum foret, vel aliae concurrant circumstantiae quae circumspectionem servandam suadeant, satis erit in intimationis actu, intimato in genere indicare ipsum examini subiici oportere ut *accusationi cuidam* respondeat.

In *articulo XXIV* plura continentur. Traditur primo loco ad Curiam non accedenti iterandam esse intimationem. Quae in intimatione comprehendenda sunt, deinde explicantur. Debet itaque praefigi accusato congruus terminus peremtorius ad comparendum : ac una simul eidem declarari, quod nisi intimationi obtemperet et diutius resistat, pro contumace habebitur. Tandem eius contumacia decerni poterit, si alteram hanc intimationem spernere audeat, quin legitimi impedimenti probationes afferat. Subiectum ergo articuli est, nova intimatio pro praefixione termini congrui peremptorii cum sanctione declarationis contumaciae, contra reum non comparentem coram Episcopali C uria ,nulla allata legitimi impedimenti probatione. Termini

praefigendo peremptorii necessitas ex eo evincitur, quod agitur de contumacia rei declaranda. Ast cum agitur de contumacia decernenda, actor vel promotor 'fiscalis rei contumaciam accusare debet, et petere quod processu contumaciali negotium absolvatur. *De Luca de iudic.* disc. 10 n° 1. *Sequuta citationis legitima exequutione de mandato iudicis competentis, eiusque legitima productione in tempore pariter legitimo, aliisque concurrentibus de quibus disc, praecede si citatus statuto termino non compareat, adeout incurrat contumaciam, tunc iuris rigore ad ulteriorem processum in contumacia procedi potest, absque necessitate replicandi alias citationes : potissime vero ubi prima citatio fit ad totam causam, iusta stylum hodie pene ubique vigentem, cum monitione ad deputandum, legitimum procuratorem in loco reperibilem, et cum comminatione, quod alias ad ulteriora procedetur, usque ad iudicii terminationem et exequutionem: adeout aliae citationes, etiam per contradictas, sint ex urbanitate, atque ad super abundantiam.* Et *num. 6* addit. - *Requiritur ut citatio fiat legitime, idest personaliter quando ex culpa citandi id non impediatur.* Et num. lé. - *Ad constituendum autem in contumacia, de iure illa in termino debet accusari. Sed in Curia potest semper accusari, etiam post elapsum terminum ad comparendum.* De congruitate termini praefigendo nihil certi constitui potest : varia enim esse debet pro locorum distantia et pro commodioris vel difficilioris ad Curiam accessu. Motu proprio Gregorii XVI diei 10 Novembris 1834 pro regionibus pontificiae ditioni subiectis, terminum trium dierum ad comparendum coram assessoribus aliisque singularibus-iudicibus : octo dierum ad comparendum coram tribunali statutum fuerat. Hoc certe requiritur, ut citato talis detur terminus ad comparendum qui itineri ab eo aliqua commoditate perficiendo congruus sit.

Dari casus potest quo citatus legitime ne ad Curiam statim accedat impediatur. De legitimo impedimento ad comparendum ait *De Luca de iudic. disc. 9. Cum autem contumacia in iudicis contemptu consistat, hinc non debet reputari contumax, qui ex aliquo iusto, non autem affectato impedimento comparare non potest.* Et *Pellegrin. Op.cit. part.4 sect. 7 n. 20. Est tamen advertendum quod quotiescumque quis citatur, et habet aliquod impedimentum ex praedictis, vel aliud simile, tenetur excusatorem ad iudicem mittere, ut eum certiorem faciat super tali impedimento. . . . qui quidem excusa-*

Mores probare debent per aliquam scripturam, vel publicum monumentum , impedimentum quod proponunt pro citato. Innocent, in cap. veniens de accusat. Bart, in dicto §. ad crimen Bald, in Margar .verboofficmmquaest.31. Immo cogi possunt ad iurandum de veritate dicenda.

Articulus XXV habet, *u* Cum •*v* accusatus compareat, examini •» subiiciendus est : et quatenus » inductiones faciat alicuius mo- •» menti, debent istae , quantum *Tf* fieri potest exhauriri ». Ergo ad tramites instructionis quam prae manibus habemus, statim ac reus compareat, non licet ad ulteriora procedere, ne quidem ad litis contestationem, sed illico -eius examini incumbendum est. Et quoniam cum huiusmodi examen scripto traditur, formula adhiberi solet *Constitutus personaliter in Camera etc. coram Periilustri et Brno Vicario Generali etc. Meque Actuario etc. Assistente Brno Promotore Fiscali Curiae Episcopalis etc. D. N. qui delato sibi iuramento veritatis dicendae super quibus interrogantur, prout tactis et, {vel tacto pectore* si sit Clericus) *iuravit, fuit per eumdem Dominum Vicarium Generalem interrogatus etc.,* ideo *constitutum* per antonomasiam vocatur. Circa modum explendi constitutum, liau<l abs re erit notare:

1. U*nìu ferre ut interrogatoria latino sermone clericis deferantur: eorum vero responsiones vernáculo proprio expressae sint. Scripto autem tradantur omnia per actuarium.

2. In interrogatoriis cum ordine esse procedendum : et quidem duplici sub ratione. Ordo enim servandus est, tum in materia examinis, ne scilicet *a)* ab una re ad aliam pene diversam transitus fiat: et deinde reditus ad primam *b)* plura cumulentur quae diligenter separanda sunt, et singillatim proponenda: 6') graviora levioribus praemittantur: sed a levioribus et generalioribus ad proximiora et urgentiora indicia procedatur : ita ut si examen prima vice ad exitum perducere impossibile evadat, quae magis urgent et gravitate praestant, alia die expleantur. Ad rem *Pellegrinus* in opere saepius citato, cui titulus *praxis Vicar, Gener. part. 4. sect. 9. n. 37: Debet autem* (iudex) *examen prima vice, si illud non perficiatur, eousque ducere, ut non deveniatur ad indicia proxima: ista enim reservanda sunt in interrogatoriis, quando examen prosequitur et perficitur, non quando relinquendum est, quia alias si inchoentur, et postea non perficiatur examen, sed differatur in aliam diem, reus non sic facile veritatem fatebitur, sicut forsan faceret, si prosequeretur examen: nam tunc*

quasi defectus si nulla datur intermissio interrogationum; et quodammodo illaqueatus exi- stit.... Alias si examen non fi- niatur, et reus aliquod verbum audiverit ex quo coniecturam possit fuisse indicium contra illum: cum reassumetur examen, cautius respondebit, quia nox, quae intermediai, cum sit co- gitationis mater, suppeditabit insinuabitque illi responsiones captiosas et- aequivocas. Unde magnam habere debet patien- tiam iudex ut examen perficiat, cum ad interrogationes perve- nerit, in quibus sunt urgentiora et proximiora delicti indicia.

S. Cum ad exitum perductuni fuerit constitutum, vel interru- ptionem aliquam patiatur, reo exhibendum erit, ut ipse sua ma- nu quae reposuit subscribat, vel si scribere nesciat, (quod de cle- rico non supponitur) ut signum Crucis propria manu apponat. Dein subscribent iudex et nota- rius seu actuarius". Haec tradit citatus Auctor, eodem in opere *num. 54 et 58.*

Huc usque de examinis seu con- stituti forma.

Prosequitur sed articulus ***a*** et ***v*** quatenus (reus) inductiones fa- ***n*** ciat alicuius momenti, debent ***n*** istae, quantum fieri potest, ex- ***V*** hauriri». Quae sunt inductiones istae haud spernendae quas ante litis contestationem exhauriri expediat? Pro casuum diversitate plurimae eae esse possunt, et fre- quenter tam magni ponderis, ut iudicii prosequutioni locus am- plius non sit. Fac enim accusari, clericum tali die atque hora cum tali persona peccasse. Fac tales ab ipso inductiones fieri docu- mentis confirmatas, quae in con- tinenti probent: eum illa ipsa die atque hora in loco penitus dissito moratum fuisse, cuius qui- dem probationis tantum est **pon-** dus, ut sub *coarctatae* nomine veniat penes criminalis iuris do- ctores: vel tales **ab** eo indicari rerum personarumque circumstan- tias, quae ipsam fasti existen- tiam in dubium revocent ; **fac*** existere quidem factum, sed alium imputabilem designari, testesque indicari, vel quae **Gulpae** ei ap- ponuntur, morbi alicuius probati effectus esse, aliaque huiusmodi. Hisce in casibus quisque facile; percipit ad facti contestationem haud esse procedendum, quin hu- iusmodi inductiones expendan tur, eaque omnia quae ad easdem re- feruntur, ad exitum perducan- tur.

Ar tic. XX VI praescribit, pro- cedendum *inde* esse (hoc est hisce omnibus praemissis quae in prae- cedentibus articulis continentur) ***u*** ad contestationem facti crimi- ***n*** nosi, et conclusionum habita- » rum, ad retinendum accusatum » criminis reum esse, et relativis ***y*** > canonicis poenis subiectum. ***rr*** Itaque contestatio/acíí *criminosi*

tunc locum habet, cum probationibus simul collectis quae vel ex scripturis, vel ex testibus, vel ex accusati contumacia promanant, auditoque inquisito, constituitur eum tamquam reum esse habendum, ac tales illi esse applicandas canonicas poenas. Patet contestationem facti, etiamsi reus in contumacia permanserit, esse explendam: contumax enim, per fictionem iuris tamquam praesens habetur.

Nihil hoc aut sequentibus articulis expresse edicitur de notificanda vel non reo criminis contestatione in casu contumaciae. Et videtur non esse necessariam notificationem, quia cum citatus fuerit ad comparendum, et ipse se contumacem habuerit, sibi imputare debet eum latere quae si praesens fuisset, cognovisset. Immo eius absentia argumentum reitatis maximum suppeditat, quod confessioni comparatur. Attamen quoniam, uti in sequenti articulo XXVII expressum est, facti criminosi contestatio in eum finem est facienda ut *u* inquisitus ha- » beat plenam cognitionem eorum ***n*** omnium quae in actis extant ***r*** contra se » ; cautius et aequius etiam agi arbitramur, si accusato, quae ex litis contestatione in eum exurgunt, notificentur. Cuius aequitatis argumentum ex hoc etiam eruitur: quod nisi de contestatione notitiam habeat, condemnatur accusatus, eorum omnium quae in ipsum contestata sunt, immo quandoque ipsius delicti de quo accusatur penitus ignarus si (iuxta tradita in *Artic.XXII et XXIII)* casus fuerit; accusationes in actu intimationis occultas servandi.

In *articulis XXVI I et XXVIII* ea proponuntur quae reus agere potest antequam processus ad exitum perductus, et, uti communiter appellatur, *clausus* dici valeat. Siquidem accusato, cum ea omnia novit quae contra se in actis existunt , conceditur **1.** ut respondeat, 2. ut suipsius defensionem condere valeat, 3. ut termini praefixionem petat ad exhibendam in scriptis allegationem, idque praesertim si ad normam articuli XXIII citatus fuerit ad comparendum coram Curia Episcopali, quin, ob causas Ordinarii prudentiae commissas, eidem innotuerit accusationum qualitas et materia. Sed cum respondendi facultas reo concedatur , eidem et ad probationes afferendas tempus dandum est. Sunt ergo dilationes quas petere reo permittitur. Quatuor autem dilationum termini recensentur penetv Romanam aliasque principales Curias Episcopales, etiamsi summarie procedatur, sive de civilibus causis agatur, sive de criminalibus. Termini autem huiusmodi sunt **1.** *ad articulandum,* 2. *ad dicendum contra articulos,* 3. *ad producendum omnia,* **4.** *ad di-*

cendum contra producta. Pellegrin. Op.cit. part. 2, sect.2, subsect, 1, intersec. unie, num, 31, et seq. Illi enim quatuor termini, substantiales etiam in criminalibus causis, servari debent, prouti sunt termini ad articulandum, ad dicendum contra articulos, ad producendum omnia, et ad dicendum contra producta: alias oriretur nullitas processus et invaliditas actorum.

Articulare -idem est ac articulos proponere. Articuli autem sunt assertiones factorum principalium, quas unus ex litigantibus alteri proponit. In causis civilibus articuli, *positiones* proprio nomine vocantur, a verbo *ponere* quod in formula adhibetur : in criminalibus *capitula.* Oportet positiones (vel capitula) claras esse: ad facta non iura declaranda ordinatas, non captiosas, non suggestivas, non facta continentes quae cum iudicio seu inquisitione nihil commune habeant, non extravagantes: sed desumptas ex libello vel ex iis, quae habentur in inquisitione pro notitia Curiae. *Pellegrin. loc. cit. part. 2, sect. 2, subsect. 5, num. 2, et seqq. et subsect. 4 num. 14.*

Articuli praesentantur stata die : et actuarius in calce folii quod eos continet, diem, mensem et annum et iudicem, coram quo oblati sunt, notat. Editur a iudice decretum quo praesentatos articulos admittit *si et in quantum, salvo iure impertinentium et non admittendorum.*

Quod si nonnullos articulos resecandos esse et abolendos arbitretur, mandat eos resecari et deleri. Articulans, qui est actor vel promotor fiscalis, post haec iurare debet vera esse contenta in articulis.

Reo tempus indulgendum est ut articulis respondeat. Quosdam admittit, respuit, dilucide infra terminum responsa praebet et iurat. Et hic secundus terminus est ad dicendum contra articulos. Iam patet, intercedente iuramento, articulos et responsa loco veritatis haberi, in iisdemque contenta amplius impugnari nequire.

Tertio termino simultanee utuntur Actor (sive Promotor Fiscalis) et reus , ad probandum contenta in articulis et in responsionibus.Quo elapso termino, iterum simultanee quartus indulgetur terminus, ad dicendum hinc inde contra prolationes.

In terminis ad probandum et ad dicendum contra probationes, hae producendae sunt.

De probationum generibus nihil afferimus, cuique enim nota sunt. De testibus nonnulli auctores notant: eorum depositiones non relevare, si posteaquam auditi fuerint in *inquisitione* pro notitia Curiae, iterum examinati non fuerint in progressu iudicii. Ideo ad vitanda nullitatis exce-

ptiones. tutius est ut iterum in processu examini subiiciantur.

Cum ea quae testis deposuit de visu, directe contraria sunt iis quae reus asserit, adhibenda esset depositionis coram reo renovatio, seu uti eam vocant *confrontatio.* Verum raro fit ut haec media in praesenti Ecclesiae conditione periculis obnoxia non sint: et prudentia suasit, non solum a confrontatione abstineri, sed etiam a testium nominibus reo manifestandis. Quod de testium nominibus heic notavimus , etiam de testibus, iterum examini subiiciendis, dicendum est. Plurima enim quae huc usque uti necessaria habita sunt, Ordinariorum prudentiae committuntur , quorum unusquisque scit quousque progredi sibi liceat.

Pro articulis XXIX et sequentibus usque ad XXXVI commentarium superfluum ducimus. Etenim ^nostrum non est docere actuarios, quomodo actorum restrictus sit exarandus.

Defensorem habere debet inquisitus, quisquis ille sit, vel sacerdos vel laicus.

Si laicus sit patronus, is non antea defensioni sumendae admittitur, quam ab Ordinario adprobetur.

Quod in omnibus criminalibus iudiciis usuvenit, ut indefensus nullus condamnetur, id et instructio S. O. praecipit. Reo enim defensorem sibi eligere recusanti, *ex offi-iio* ab Ordinario patronus est assignandus.

Quae pro processus confectione commendatae sunt cautelae, eae redeunt, cum agitur de processu eiusque restrictu in cancellaria defensori ostendendo.

Ita si sub secreti iuramento totus confectus fuit processus, etiam defensor secreti iuramento subiicitur. Defensio et scriptis tradi potest, et exhiberi antequam causae propositio locum habeat. Nequit typis imprimi, quia expresse de scriptis foliis loquitur articulus XXXII.

Omnia quaecumque ad acta prostant nosse debet Promotor Fiscalis antequam causa proponatur; ut accusationem, quae *r equisitoriae* sub nomine venit parare valeat. Debet earumdem rerum omnium plenam habere notitiam Ordinarius: non enim decet coram eius Vicario Generali, qui eius nomine iudicium ferre debet, causam proponi, cuuis statum deductiones documentaque omnia hinc inde allata ipse apprime non cognoverit.

Vicarius Generalis, Promotor Fiscalis, Defensor et Cancellarius tribunal conficiunt. Vicarius Generalis iudex est, Promotor Fiscalis accusator, Defensor reum reprehesentat, Cancellarius acta excipit. Nequit minori personarum numero causarum criminalium iudicium edi.

Sententia sessione quam vo-

eant *stante,* edenda est, saltem pro parte dispositiva, quae cancellario dictatur una cum mentione canonicae poenae,reo applicatae.

u Sententia (ita in *Articulo* » XXXVI) prae vento indicitur, » qui potest appellationem ad » Auctoritatem superiorem ec- ***n*** clesiasticam interponere. Pro » appellatione (prosequitur *Ar-* ***V*** *ticulus* XXXVII) servantur nor- » mae statutae a Constitutione ***n*** *Ad militantes* s. m. Benedi- re cti XIV 30 Martii 1742, aliae- ni que emanatae ab hac s. Con- ni gregatione Decreto 18 Decem- « bris 1835 et Littera circulari ***n*** diei 1 Augusti 1851. 'i Decretum diei 18 Decembris 1835 dedimus iam in calce instructionis (Vide vol. XIII pag. 333) A littera circulari diei 1 Augusti (1) afferenda abstinuimus, quia praecipuae eiusdem instructiones in allato decreto contineri nobis visae sunt, et quia terminus pro appellatione edenda intra decem dies *(Artic.* XXXVIII) praescriptio pro transmissione actorum immediate facienda a Curia quae sententiam protulit, ad Auctoritatem ecclesiasticam superiorem *ad quam* appellatum est *(Artic.* XXXIX) terminus dierum viginti ab Auctoritate Ecclesiastica superiore pro defensoris deputatione constituendus ; *(Artic.* XL) et tandem effectus neglecti peremptorii termini, **et** exsurgentis peremptionis appellationis *(Artic.* XLI) clare et perspicue constituti sunt.

Urget rogatio. Apparitoris seu Cursoris opera necessaria ne est pro sententiae intimatione, ut dies illi decem decurrere inoipiant qui terminum ad appellandum fatalem continent, seu potius satis erit agere ad normam articuli XIV?

Agitur de re gravissima , hoc est de praepedienda praevento appellatione, per supremam peremptionis exceptionem. Ergo quam maxime interest sententiae intimationem m tuto poni. Sacra Congregatio leges servandas esse iubet editas per decretum diei 18 Decembris 1835. Iamvero in eo decreto expresse praescribitur sub num. II. *Decem dies numerari incipient non **a** die quo sententia lata est, sed a die quo reo vel eius defensori per cursorem denunciata fuit.* Ergo cum memoratum decretum tenendum sit tamquam ad verbum repetitum in instructione, cumque in decreto eodem Cursoris persona, quae relationem actae intimationis conficiat necessaria dicatur , nostra opinione, apparitoris opera, pro sententiae notificatione explenda, necessaria est. Valida sed censenda est intimatio facta reo *vel eius defensori.*

(1) Litterae illius circularis instructionis antiquioris aevi traductio edenda erit sequentibus fasciculis.

Urget alia quaestio. Coram quo proponenda est appellatio? coram iudice *a quo,* vel coram iudice *ad quem f* Tradunt communiter doctores, appellationem esse edendam coram iudice *a quo* appellatur. Ratio adducitur, quia nisi appellatio iudici *a quo* innotescat, ne ulterius procedat, recte ipse ad ulteriora progredietur. Attamen si contingat ad Papam appellari penes S. C. Episcoporum et Regularium vel Concilii, dummodo infra praefixum terminum id fiat, suos parit, ef fectus appellatio, cuius existentiae fit compos per litteras informatorias a S. C. Episcopus *a quo* edita est sententia.

Commentarium certe nullum addendum est dispositioni *Articuli* XZJ7",qua praecipitur: in appellationibus a sententia Episcopalis Curiae ad Metropolitanam, eamdem esse sequendam procedendi methodum, quae pro episcopalibus Curiis in instructione <iata est.

Monitum articuli XLIII vere opportunum est nostris hisce temporibus, cum, posthabitis omnino .Ecclesiae legibus, saecularia gubernia privilegium fori nihili fecerint, clericosque pro communibus reatibus iurisdictioni suae subiecerint. Ordinario praecipitur ut facti criminosi summariam «lotionem capere satagat, videat-is ae num iuxta ss. Canotium disciplinam, infamiae irregularitatis vel alterius ecclesiasticae sanctionis applicationem secumferat. Dein, iudicio pendente, vel quousque accusatus in carcerem degat, provisionales modos non excedat. Iudicio sed ad exitum perducto, et accusato ad libertatem restituto, Curia procedere debet ad normam assumptarum informationum, iuxta procedendi normas in instructione cui incumbimus, praestitutas. Redeunt ergo hic quae circa modum informationes suscipiendi disseruimus de articulis IV et V.

Postremus articulus XLIV longe altioris gravitatis dispositionem continet, ac prima fronte appareat. Finis enim instructionis cum sit plura Ordinariorum prudentiae committere , sed una simul arbitria coercere, ut quaestionibus et recursibus via praepediatur , tutius est pro casuum opportunitate, Ordinarios s. Congregationem sciscitari quid factu opportunum sit, quam in quaestiones et nullitates incurrere.

Haec pro brevitate illa, quam nobis proposuimus attulisse sufficiat. Si quis deinde nobis casus, occurret cuius occasione amplior alicuius articuli explanatio sit conficienda, opus praestabimus. Proximo fasciculo documenta edenda erunt ex Sacra Congregatione "promanantia, quae ad rem faciant.

LITTERAE responsionis Antistitum Hispanorum ad Epistolam Encyclicam SSmi. Patris Leonis XIII (1).

Beatissime Pater

In gaudium conversa est tristitia nostra, ubi legimus Encyclicam *Cum multa,* datam a Sanctitate Vestra die **8** Decembris superioris; nam verebamur ne in catholico ac nobilissimo Hispaniae Regno boni atque amici animi turbarentur cordata sensa, quibus-Episcopi pacificis triumphis decorati sunt. Qui quidem timores, certe ex animorum infirmitate potius quam ex rerum , haud bona indole orti, omnino evanuerunt, ex quo una mente nostro venerando, dilectissimoque Patri, Christi Vicario, litteras gratitudinis et gratulationis plenas mittere possumus , eo quod eximio nos honore prosequutus sit, quum ad suos filios, praelatos Hispaniae sensit, ut tutis ac benignis verbis recreati, in unitatis, perfectaeque obedientiae sensu permanere, et Clerum ac Christifideles sustinere valeant.

Quumque mirabilis Vestra institutio opportune admodum venerit, tanquam ros super terram sitientem, neque volumus, neque possemus meliori modo eam commentari, quam purae, simplicis, germanaeque observantiae erga Summum Pastorem, a quo gregis partes, quas ducimus, regendas pascendasque accepimus, litteris unanimiter subscribendo.

Unus quum sit Episcopatus, a nobis catholici ovilis regionali parte officii ratio nunc postulat confessionem, protestationem atque votum constantis inturbataeque docilitatis. Fatemur igitur, Beatissime Pater, Te nostrum esse doctorem, nostrum ducem, nostrum columen atque praesidium.

Attestamur Sanctitati Vestrae nostram submissionem sinceram esse atque perfectam; et in eiusdem submissionis pignus, nulla interposita conditione, promisimus nihil nos in posterum facturos, neque dicturos, quod ab iis quae ceu Magister humanissime docuisti, nobisque iniunxisti, abhorreat. Quumque suavissimam dignitatem, qua nohis disciplina tradita est ab eo qui confirmat fratre»

(1) Retulimus hanc Epistolam Encyclicam pag. 241 huius Vol. XV.

suos, catholicus orbis iure meritoque plaudat, coram coelo et terra et in aedificationem christiani populi significare volumus, nos omnes in spiritu et veritate nostro Supremo Duci atque invicem vere coniungi, ut in rebus quas Tu, qui Iesu Christi vices geris in terra, nos exequi iusseris, ne unquam vel minimum dissentiamus.

Dam loqueris, erudimur; dum suades, obtemperamus; et quum praecipis, libentissime subiicimur. *Causa ergo finita est : utinam finiantur contentiones I* Idipsum igitur sentimus, ut Apostolus desiderabat, tenemus quod accepimus, tradimus quod didicimus.

Nos etiam urget charitas; nam dictante Augustino, *u* ubi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi *n* malum non operatur; quam si haberent, non dilaniarent corpus» Christi quod est Ecclesia. »

Sanctitatis Vestrae humiles filii et servi obsequentes hispani Praesules suppliciter petunt Apostolicam Benedictionem.

Datum in Epiphania Domini anno 1883.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

BE CONSISTORIO HABITO DIE 15 MARTII 1883.

Sanctissimus Pater hac mane publicum tenuit Consistorium in Aedibus Vaticanis; in quo galerum rubrum tradidit Emis Cardinalibus Angelo Bianchi et Vladimiro Czacki, creatis et publicatis in Consistorio Secreto diei 25 Septembris anni superioris. Expleto publico Consistorio, SSmus Pater aliud tenuit secretum Consistorium, in quo brevi habita Allocutione sequentes proposuit Ecclesias :

METROPOLITANAM ECCLESIAM V* *k* R SAVI F. N. vacan, per transíationem K,. P. D. Sigismundi Ee-*in U* Felinski ad titularonj Ecclesiam Archiepiscopalem Tarsensem, favore *R.* P. D. Vincentii Theophili Popiel, Episcopi Uladislaviensis seu Calissiensis.

TITULAREM ECCLESIAM ARCHIEPISCOPALEM TARSEN, vacan, per assignationem Tituli presbyteralis s. Pudentianae factam Emo ac Rmo Domino Dominico S. R.. E. Presbytero Cardinali Sanguigni, modo vita functo, favore R. P. D. Sigismundi Felicis Felinski, Archiepiscopi Varsaviensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM MOHILOVIEN. vacan, per obitum bo. me. Antonii Fijalkowski, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Alexandri Casimiri de Dziewaltowo Gintowt Episcopi titularis Helenopolitani et suffraganei Plocensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM HISPALEN. vacan, per obitum clar. me. Joachimi S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Lluch •et Gar riga, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Zephirini Gonzalez et Diaz Tunon, Ordinis Praedicatorum, Cordubensis Antistitis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM BÜRGEN, vacan, per obitum bo. me. Anastasii Rodrigo Yusto, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Saturnini Fernandez -de Castro, Episcopi Legionensis ad dictam Ecclesiam ex benignitate Sanctitatis Suae translati, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PLOCEN. vacan, per translationem R. P. D. Vincentii Teophili Popiel ad Sedem Uladislaviensem seu Calissiensem, favore R. P, D. Gasparis Boro-wski Antistitis Luceoriensis ac Zytomiriensis ad Plocen. Ecclesiam ex benignitate Sanctitatis Suae translati.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM ESBONEN. sub Archiepiscopo Bostrensi vacan, per successionem R. P. D. Raphaelis Capone, Congregationis SSmi Redemptoris, ad Cathedralem Sedem Muranam , favore R. P. D. Adami Stanislai Kransinski ad ipsam Ecclesiam ex benignitate Sanctitatis Suae translati.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TTLADISLAVIEN. seu CALISSIEN. vacan, per translationem ad Metropolitanam Sedem Varsaviensem R. P. D. Vincentii Theophili Popiel, favore R. P. D. Alexandri Beresniewicz, Episcopi Maximianopolitani et suffraganei Samogitiensis ad eandem Ecclesiam ex benignitate Sanctitatis Suae translati.

CATHEDRALES ECCLESIAS LAUSANEN. ET GENÉVEN. invicem canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Christophori Cosandey, ultimi Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Gasparis Mermillod, Episcopi titularis Hebronensis, ad easdem Ecclesias ex benignitate Sanctitatis Suae translati.

ECCLESIAM KIELCEN. PER APO-

ÄTOLICAS LITERAS « *Ut primum Catholicae Ecclesiae regimen* » datas die 28 Decembris 1882 a dioecesi Cracoviensi seiunetam, per Sanctitatem Suam ad Cathedralis fastigium restitutam, vel iterum erectam et a sua in Cathedralem restitutione, vel nova erectione vacantem, favóre R. P. D. Thomae Theophili Kulinski, Episcopi titularis Satalae, ad ipsam Ecclesiam ex benignitate Sanctitatis Suae translati.

COADIUTORIAM cum futura successione CATHEDRALIS ECCLESIAE AGRIGENTIN. favore R. P. D. Caietani Blandini, titularis Episcopi Sergiopolitani, et Praelati ordinarii s. Ludae de Plano Melatii.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MONTIS EALISCI, vacan, per translationem ad Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Pharsalien. R,. P. D. Aloisii Roteili, Constantinopoli Delegati Apostolici pro Orientalibus, et Vicarii Patriarchalis pro Latinis, favore R. D. Luciani <Gentilucci, Presbyteri Eabrianensis. Qui ex legitimis, catholicis,honestisque parentibus Eabriani progenitus et in quadragesimo primo aetatis suae anno constitutus est. Alumnis Pontificii Seminarii Pii Romae adiunctus, ibique presbyteratus Ordine ac tum in sacra theologia, tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus , in patrio epheheo Antecessor philosophiae, Vice-Rector, studiorum Praefectus ac Deputatus effectus est. Eabrianetísis Cathedralis Canonicus ad honorem, hucusque Titularis, Examinator pro-Synodalis , in ecclesiastica curia Judex, eiusque dioeceseos Pro-Vicarius in spiritualibus generalis renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ASSISIEN. vacan, per obitum bo. me. Peregrini Tofoni, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R.D. Caietani Lironi, Presbyteri Spoletani. Qui Spoleti progenitus, et sexagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, tum in sacra theologia, tum in utroque iure doctorali laurea dudum donatus, et inter censores academiae theologicae adscitus, in publico patrio gymnasio civiles et criminales tradens institutiones, illaque in Basilica metropolitana Prior hucusque adlectus, archidioeceseos eiusdem Provicarius in spiritualibus generalis semel et hactenus, ipsaque Sede vacante, Vicarius quoque Capitularis renuntiatus est.

CATHEDRALES ECCLESIAS FABRIANEN. ET MATHILICEN. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Leopoldi Angeli Santanchè, ultimi illarum Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Macarii Sorini presbyteri Recinetensis. Qui Recineti progenitus et in qua-

dragesimo nono aetatis suae constitutus, tum in sacra theologia, tum apud romanam universitatem in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in patrio ephebeo philosophiae, canonicarum institutionum atque dogmaticae theologiae antecessorem agens, Pro-Vicarii generalis dioeceseos et Examinatoris synodalis muneribus perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MONOPOLITAN. vacanv per obitum bo. me. Antonii Dalena, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P .D. Caroli Caputo, presbyteri Neapolitani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitus et in quadragesimo aetatis suae anno constitutus, Romae in sacra theologia et in utroque iure doctoralem assequutus lauream, ac tum inter membra academiae religionis catholicae, tum inter Sanctitatis suae domesticos Antistites adnumeratus et sacrae Congregationi negotiis extraordinariis ecclesiasticis praepositae addictus est.

CATHEDRALES ECCLESIAS PISTORIEN, AC PRATEN. invicem perpetuo canonice unitas , vacan, per obitum bo. me. Nicolai Sozzifanti, ultimi illarum Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R.D. Donati Velluti Zati, e Ducibus s. Clementis, Presbyteri Fiorentini. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Florentiae ortus, ac in trigesimo» octavo aetatis suae anno constitutus est. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus in ecclesiasticis functionibus obeundis,, praesertim sacramentales confessiones excipiendo, Deique verbum praedicando, sedulo incubuit. Puerorum serotinis in scholis directorem agens, Canonicus ad honorem penes Florentinam sedem metropolitanam, et hucusque inibi Canonicus theologus renuntiatus , ac inter pro-synodales-Examinatores adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM *ALGAREN. vacan, per obitum bo. me. Joannis Mariae Filia, ultimi illius Episcopi, extra romanam, curiam defuncti, favore R. P. Fr. Elisei Giordano, Ordinis Bmae Virginis Mariae de Monte Carmelo antiquae observantiae .regularis, presbyteri Turritani. Qui in disciplinis philosophicis, atque theologicis penes turritanam universitatem doctoratus^ laurea dudum donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus navam impendit operam; et a triginta fere annis Parochus s. Mariae Transpontinae de Urbe, totius Ordinis Carmelitani Procurator generalis, simulque Collegii theologici membrum hucusque renuntiatus est.

CATEDRALEM ECCLESIAM SALARIEN, vacan, per obitum bo. me. Emerici Szabo, ultimi illius Epi-

scopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Cornelii Hi* dasy, presbyteri archidioeceseos Strigoniensis, ad nominationem sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Josephi I, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

R. D. Cornelius Hisday ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Comaromii, archidioeceseos Strigoniensis progenitus, et in quinquagesimo quinto aetatis suae anno constitutus; sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in functionibus peragendis ecclesiasticis laudabiliter incubuit. Animarum curae, qua Cooperator, aliquando addictus, in archiepiscopali gymnasio Tirnaviensi philosophiae professor, iuventutis educator,, eiusdemque gymnasii et convictus director, atque rector renunciatus est. In consiliarium sectionis penes cultus ministerium Hungariae assumptus , tum Canonici Strigoniensis stallo, tum titulo Abbatis Beatae Mariae Virginis de Szeplak hucusque ditatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM EPERIESSIEN. ritus Graeco-catholici, vacan, per obitum bo. me. Nicolai Toth, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Joannis Valyi , Presbyteri Munkacsiensis, ad nominationem sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Josephi Primi, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae regis Apostolici.

R. D. Ioannes Valyi ex legitimis, graeco-eatholicis, honestisque parentibus progenitus et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutus, et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in seminario TJngvarinensi iuris canonici et ecclesiasticae historiae professor, et inter Sanctitatis Suae Capellanes ad honorem extra urbem adscitus, penes universitatem Budapestinensem membrum collegiatum, et Munkacsiensis Cathedralis canonicus ad honorem renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CRISIEN. Ritus Graeci, S.R. E. uniti, vacan, per obitum bo. me. Georgi Smiciklas, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Eliae Hranilovic, presbyteri dioeceseos Crisiensis, ad nominationem sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Elias Hranilovic ex legitimis, graeco-catholicis, honestisque parentibus Sosice in Croatia, dioeceseos Crisiensis progenitus, ac in tertio supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, pastorem animarum agens in Parochia suae dioeceseos, canonicus templi maximi Crisiensis, et iudex matri-

monialibus causis cognoscendis hucusque renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LUCEORIEN. AC ZYTOMIRIEN. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per translationem R. P. D. Gasparis Borowski ad Cathedralem Plocensem, favore R. D. Simonis Martini Kozlowski, presbyteri Vilnensis dioeceseos. Qui in sacra theologia magisterio atque laurea doctorali dudum donatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis naviter emicuit. In seminario dioecesano Vilnensi professoris theologiae moralis et homileticae, ibique rectoris, ac Petropoli penes academiam ecclesiasticam Romano-Catholicam Historiae ecclesiasticae et Iuris canonici professoris, et hucusque rectoris perfunctus est muneribus.

CATHEDRALEM ECCLESIAM VILIS EN. vacan, per dimissionem a R. P. D. Adamo Stanislao Kransinski e Clericis Regularibus Scholarum piarum ultro, libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam, et ab eadem admissam, favore R. D. Caroli Kryniewicki, Presbyteri dioeceseos Vilnensis.

R. D. Carolus Kryniewichi quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus, et in sacra theologia candidati ac magisterii gradu dudum donatus, penes academiam ecclesiasticam Romano-Catholicam archeologiae biblicae, ritus et cantus ecclesiastici praeceptoris, historiae ecclesiasticae et Iuris canonici professoris ; Petropoli rector seminarii , iurisque canonici praeceptor constitutus, Mohiloviae defensor sacramenti matrimonii, Censor Librorum spiritualium, Canonicus ad honorem prius, titularis dein, et in praesentiarum usque ipsa in metropolitana Praelatus Scholasticus renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SANDOMIRIEN. vacan, per obitum bo. me. Iosephi Michaelis Iuszynski, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Francisci Xaverii Sotkiewicz, Presbyteri Sandomiriensis dioeceseos. Qui in sacra theologia candidatus gradu dudum donatus, penes academiam ecclesiasticam Varsaviensem Iuris canonici professoris, ac referentis in causis matrimonialibus eiusdem curiae muneribus perfunctus, Canonicus hucusque varsaviensis metropolitanae, ipsiusque archidioeceseos administrator renuntiatus fuit.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SAMOGITIEN. vacan, per obitum bo. me. Matthiae Wotonczewski, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D.Mieceslai Pallulon, Presbyteri dioeceseos Samogitiensis. Qui in quadragesimo nono aetatis suae anno constitutus, et in sacra theolo-

già magistri gradum assequutus, in dioecesano seminario linguae latinae, sacraeque theologiae professorem agens, et Caunensi in gymnasio puellarum capellanus hucusque adlectus, Samogitiensi in Cathedrali Canonicus prius, et in praesentiarum usque Praelatus cantor renuntiatus, penes dioecesanum Consistorium assessoris et vice-Officialis munere perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LUBLINEN. vacan, per obitum bo. me.Valentini Baranowski, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore Casimiri Wnorowski,Presbyteri archidioeceseos Varsaviensis. Qui in sacra theologia dudum candidati gradu donatus, in academia ecclesiastica Varsaviensi studii biblici antecessorem agens, plurimis abhinc annis parochiam in Szaniec regens, Collegiatae Kielcensis Canonicus ad honorem prius, hucusque vero Praelatus Scholasticus et seminarii rector atque professor renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PASTOPOLITAN. in Confoederatione Columbiae, Americae meridionalis, vacan, per dimissionem a R. P. D. Emmanuele Canuto Restrepo, ultro libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam et ab eadem admissam, favore R. P. Ignatii Velasco e Societate Iesu, Presbyteri Popayanensis. Qui inter alumnos Societatis Iesu ab adolescentia adnumeratus ibique Presbyter professus, in philosophia, et in sacra theologia doctor effectus, in ecclesiasticis obeundis functionibus naviter incubuit. Novitiorum magistri, superioris domus, ac nuper convictus in urbe *Saltillo* Mexicanae reipublicae rectoris munere perfunctus est

ECCLESIAM COLIMEN, in Mexicana ditione Americae Septentrionalis sitam atque a primaeva erectione sua vacantem, favore R. *D.* Francisci Melithonis Vargas , presbyteri archidioeceseos de Gruadalaxara. Qui in sacra theologia dudum licentiae gradu donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, in paroeciis diversis suae archidioecesis animarum curam gerens, et in archidioecesano seminario rectoris, ac theologalis Magistri munere perfunctus est. Archidioeceseos praedictae , absente Antistite, Vicarius adlectus, eiusdemque Praesulis visitator Apostolicus Californiae subdelegatus, hucusque Canonicus lectoralis penes G-uadalaxarensem metropolitanam renuntiatus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM TANEN. sub Archiepiscopo Damiatensi, vacan, per translationem R. P. D. Eliae Bianchi ad Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Nicosiensem , favore R. D. Iosephi Cavaliere, Presbyteri Cassanensis dioeceseos ; qui

etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Aloisii Mariae Lembo, Ordinis Minorum Observantium s. Francisci, Antistitis Cotronensis.

R. D. Iosephus Cavaliere in sexagesimo primo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus , Consentina in Metropolitana principe Decanatus dignitate hactenus-ditatus; ipsoque in seminario sacrae theologiae antecessor adlectus , archidioeceseos eiusdem convisitator, examinatur pro-Synodalis, atque praedictae metropolitanae Curiae promotor fiscalis renunciatus est.

TITULAREM **E**CCLESIAM **E**PISCOPALEM **M**ILTEN. sub Archiepiscopo Seleuciae, vacan, per translationem R. P. D. Antonii Polin ad Cathedralem Sedem Adriensem, favore R. P. Fr. Ioannis Baptistae Mantovano, Ordinis Minimorum s. Francisci de Paula, Presbyteri Consentinae archidioeceseos ; qui etiam deputatus fuit in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Nicolai de Simone Antistitis Bovensis.

R. P. Fr. Ioannes Baptista Mantovano Consentinae archidioeceseos in sexagesimo primo aetatis suae anno constitutus, inter alumnos Ordinis Minimorum s. Francisci de Paula a prima iuventa adscriptus, lectoris gradu in philosophicis, ac theologicis facultatibus Romae dudum donatus, sacrae theologiae dogmaticae et moralis Magisterium in suo Ordine laudabiliter Romae exercens, hactenus totius Ordinis procurator generalis renuntiatus est.

TITULAREM **E**CCLESIAM **E**PISCOPALEM **A**RATHEN. sub Archiepiscopo Petrensi, vacan, per obitum bo. me. Aloisii Maigret, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. **D.** Iosephi Hollah, presbyteri Varsaviensis archidioeceseos. Qui etiam deputatus fuit in suffraganeum Seynensem vel Augustoviensem.

R. **D.** Iosephus Hollak in dioecesi Augustoviensi, vel de Seyna progenitus et in septuagesimo primo aetatis suae anno constitutus, Varsaviensi clero adscriptus, et gradu canditati in sacra theologia dudum donatus, penes institutum Varsaviense surdomutorum praefectum agens religionis ac moralitatis, et apud oppidum Radzymin in pedagogico instituto docens adolescentes, inibi Curatus adlectus est. Varsaviae paroecialis Ecclesiae sanctissimae Trinitatis ac successive paroeciae Omnium Sanctorum administrator hucusque renuntiatus est.

TITULAREM **E**CCLESIAM **E**PISCOPALEM **D**IOCLETIANOPOLITAN. sub Patriarcha Hierosolymitano vacan, per obitum bo. me. Iacobi "Whelan. ultimi illius Episcopi, extra

lomanam curiam defuncti, favore "R. D. Antonii Zerr, Presbyteri dioeceseos Tiraspolensis;qui etiam deputatus fuit in suffraganeum Tiraspolensem.

R. D. Antonius Zerr in dioecesi Tiraspolensi progenitus, et in tricesimo quarto aetatis suae anno constitutus, catecheseos magister in ipsis scholis centralibus effectus, pro Ecclesiis Catholicis Samarae decanus institutus est. Professoris philosophiae ac theologiae dogmaticae Tiraspolensi in seminario, ibique Inspectons vicibus perfunctus, Consistorii Tiraspolensis assessor , eiusdemque Capituli canonicus hucusque renuntiatus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOLEM CORYCE.N. sub Archiepiscopo Seleuciae, vacan, per translationem R. P. D. Edmundi Knight ad Cathedralem Sedem Salopiensem, favore R. D. Thomae Montefusco , Presbyteri Neapolitani ; qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Aloisii Margarita, e Missionis Congregatione, Episcopi Uritani.

R. D. Thomas Montefusco qua-Iragesimum sextum aetatis suae annum supergressus, ad ecclesiasticas peragendas functiones sedulum intendit animum vel pueros fidei rudimenta edocendo, confessiones excipiendo, vel per pagos et oppida Neapolitani agri missiones tradendo. Conservatorii puellarum a Notariis nuncupati superior ecclesiasticus, Congregationi Missionariorum, cui titulus a Collatione, addictus, et sodalitiis. Raphaelis director spiritualis renuntiatus est.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM CALLINICEN. vacan, per obitum bo. me. Aniceti Ferrante, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Aloisii Sepiacci, Ordinis Eremitarum s. Augustini, presbyteri archidioeceseos Perusinae. Qui inter alumnos Ordinis Eremitarum s. Augustini a prima iuventa adscitus, ibique solemnia nuncupatus vota, a Summo Pontifice Leone XIII, tunc temporis Perusinam sapienter regente Ecclesiam, sacerdotio auctus et in disciplinis philosophicis, atque theologicis doctorali laurea donatus, ad ecclesiasticas peragendas functiones sedulum applicuit animum. Romae in studio Fratrum Hibernorum ad s. Mariam in Posterula, et in Collegio G-andavensi Regentis exercens gradum , studiis moderandis s. Augustini praefectus et angelicae bibliothecae theologus effectus, linguarum hebraicae et arabicae magisterium, atque locorum theologicorum cathedram penes Romanam universitatem assequutus est. Secretarii generalis, et procuratoris generalis Ordinis perfunctus muneribus, inter romani Cleri Examinatores, Academicos religionis catholicae, atque Socios

Genuensium theologorum Collegii s. Thomae Aquinatis cooptatus, consultor Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis, Congregationis a negotiis ecclesiasticis extraordinariis, nec non Indicis renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CORDUBEN. **yacan, per translationem R. P. D. Zephyrini Gonzalez et Diaz Tuñon, Ordinis Praedicatorum, ad metropolitanam Sedem Hispalensem, favore R. P. D. Sebastiani Herrero et Espinosa de los Monteros, e Congregatione Oratorii, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM SANDOMIRIEN. **vacan, per obitum bo. me. Iosephi Mihaelis luszynski, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Francisci Xaverii Sotkiewiez, presbyteri Sandomiriensis. Qui in sacra theologia candidatus gradu dudum donatus , Religionis et moralitatis praeceptorem agens in districtuali quatuor classium Sandomiriensi schola, eiusque seminarii professor et vice-rector effectus, in Stupia, Nova suae dioeceseos Parochus institutus est. Illius curiae Episcopalis assessor, canonicus ad honorem Lublinensis nominatus, pene.î academiam ecclesiasticam Varsaviensem Iuris canonici professoris, ac referentis in causis matrimonialibus eiusdem curiae muneribus perfunctus , canonicus hucusque Varsaviensis metropolitanae, ipsiusque archidioeceseos administrator renuntiatus fuit.**

Per Breve pontificium au~ tem sequentes Ecclesiae collatae fuerunt:

ECCLESIA TITULARIS ARCHIEPISCOPALIS THEODOSIOPOLITAN. **R. P. D. Iosepho Sembratowicz, translata ex Ecclesia Leopoliensi ritus graeci-rutheni.**

ECCLESIA TITULARIS ARCHIEPISCOPALIS CLAUDIANOPOLITAN. **Eugenio Desflêches, translato ex Ecclesia titulari Siniten. et e Vicariatu Apostolico Sut-Chuen. orientalis in Sinis.**

ECCLESIA ARCHIEPISCOPALISPHARSALIEN. **R. P. D. Aloysio Roteili, Delegato Apostolico Orientalium Constantinopoli, Vicarioque patriarchali Latinorum, translato- ex Ecclesia Montisfalisci.**

ECCLESIA TITULARIS ARCHIEPISCOPALI S HERACLEEN. **R. P. D. Mariano Rampolla, corniti e Tindaro, Nuntio Apostolico Hispaniae.**

ECCLESIA METROPOLITANA HALIFAXIEN. **R. ï\ Cornelio O' Briert Dioecesis Carolopolitanensis.**

ECCLESIA CATHEDRALIS CAROLOPOLITAN. **R. P. D. Henrico Northrop, translato ex Ecclesia titulari Rosalien. et ex Vicariatu Apostolico Carolinae septentrionalis , cuius retinet administrationem.**

ECCLESIA CATHEDRALIS FLUMINIS RAPIDI **R. D. Henrico Iosepho Ri-**

eliter archidioecesan. cincinnatensi.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS MEGÄREN. B,. P. Mariae Iosepho Verdier e Congregatione Sacri Cordis, deputato in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Stephani Tanssen, vicarii Apostolici e Tahiti.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS MARROCCHIEN. R. P. Aloisio de Gonzaga Ordinis Capuccinorum, deputato in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ludovici Taurin., Vicario Apostolice* apud Gallas.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS TRICALEN. R. D. Adulpho Grandy, deputato in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Francisci Ioan. Laonenan, Vicario-Apostolico e Pondichery.

ECCLESIA TITULARIS EPÌSCOPALIS SUREN. R. P. Danieli a sancto Donato, e Minoribus Reformatis, deputato in auxiliarem R. P. D. Ignatii Persico, Episcopi Aquinatensis etc.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MATRIMONII

Die 12 Augusti 1882, 17 Februarii et 7 Aprilis 1883.

COMPENDIUM FACTI. Franciscus nobilis vir anno 1856 religiosum matrimonium in Ecclesia parochiali cum Aemilia iniit. Verum huiusmodi matrimonium infenso sydere initum fuisse videtur: quandoquidem pluribus a contracto coniugia elapsis annis, Aemilia talia dementiae signa praebere coepit, ut necesse fuerit eam in publicum valetudinarium adducere, ubi artis salutaris remedia experiri posset: sed omnia tentamina adeo in irritum cesserunt, ut nec in praesentiarum spes ulla affulgeat, quod Aemilia perditam mentis serenitatem recuperare valeat.

Huiusce rerum status pertaesus Franciscus, Sacratissimum Principem adivit, humiliter expostulans, ut, praevio processu canonico, suum matrimonium cum Aemilia irritum declara-

retiir duplici ex titulo: 1. nempe ex illicita affinitate primi gradus matrimonium antecedenti 2. ex defectu consensus. Quod si, in foro externo probari sufficienter nequiret, irritum fuisse matrimonium, tamen Pontificem deprecatus est orator ut dispensaret super matrimonio rato et non consummato.

Impossibile esse, ait orator, instaurare vitae consuetudinem cum muliere, quae etsi demens et histérica, tamen vitam cum aliis degit omni laude indignam.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO FRANCISCI. Primum caput suae defensionis aggrediens orator ait, esse in iure notissimum, ex copula perfecta illicita oriri impedimentum affinitatis, dirimens matrimonium usque ad secundum gradum, ad tradita per Reifienst. *lib. 4 Decret, tit. 14 %. 2 n. 46,* Sánchez *lib. 7 disp. 64 n. 8.* Iamvero in casu Franciscum copulam perfectam atque illicitam cum matre sponsae , tam ante quam post contractas nuptias habuisse colligi 1. ex iurata confessione ipsius sponsi; 2. ex confessione matris sponsae, emissa tempore non suspecto; 3. ex confessione ipsius sponsae antequam amitteret mentem; 4. ex documentis et confessione scripto tradita ipsius patris Aemiliae, postquam epistolare commercium detegerat, quod intercesserat inter suam uxorem et Franciscum; 5. ex testibus, omni exceptione maioribus, 'a sponso adductis; 6. (andern ab ipsis testibus etiam affinibus et consanguineis adductis a fisco ob amentiam Aemiliae. Sane Franciscus interrogatus iudicialiter respondit : sese rem habuisse, coniugum instar, cum matre suae uxoris per duos annos, qui praecesserant matrimonium , nec non per aliquod tempus quod matrimonium subsequutum est.

Hisce expositis, iuratam coniugum confessionem, praesertim accedente testimonio septimae manus, plene probare sustinuit, tum ex *cap. 4 Proposuisti de probat,* tum ex Resol. S. C. C. praesertim in *Burdigalensi Dispensat, matrim. 26 Februarii 1825.* Et iure merito, nam iudicialis confessio habetur uti regina probationum, maxime quando

aliorum testimonio roboratur, ReifFenst. *lib. 3 tit. 18 •num. 52.* Iuratae sponsi confessioni consonat depositio matris sponsae , licet extraiudicialis , quandoquidem illa declaravit affini suae, sese a Francisco perofficiose observatam fuisse, et nonnulla ab eodem accepisse munera. Alius testis retulit audivisse eadem. Idipsum probatur ex confessione sponsae, quae antequam usum rationis amitteret, quatuor testibus enarravit, copulam quam mater cum Francisco ante matrimonium habuit. Qua de re nullo, ait, amore sese prosequi potuisse Franciscum, sed odio habuisse.

In themate autem sponsae confessionem plurimi faciendam esse edicit, tum quia ipsa melius prae ceteris, quia semper domi erat, agendi rationem suae genitricis agnoscere poterat, tum quia praesumi nequit, aliam propriam genitricem calumniis persequi velle.

Obiecto autem quod filia inhabilis est ad testificandum -contra propriam matrem, reponit cum Mascardo *de probat, conci. 1359 num. 1* - ibi - « testes alias inhabiles admit-
» tuntur in iis, quae sunt difficilis probationis, ut sunt ea
» quae communiter occulte fieri consueverunt, ut adulterium,
> furtum et huiusmodi, in quibus, ut plurimum, nulli testes
» intervenire solent, nisi fortasse mulieres et domesticae
» personae ».

Nec satis, sed Franciscum rem habuisse cum matre sponsae annis 1854 et 1855, seu ante matrimonium, ex epistolari commercio, adstrui posse orator ait, quod Franciscum inter et sponsae matrem intercesserat, quodque ex **uteris** sponsae patris colligitur. Sane sponsae pater ita ann. 1874, *22* Aprilis ad Franciscum scribebat : aliquas reperi ex tuis litteris; quae duo mihi revelant, nempe contumeliam mihi illatam, et abusum fiduciae in domo mea, in qua excipiebaris uti amicus. Consuetudo haec tua evincit, infelicem meam filiam crudeliter **tibi** in matrimonium traditam fuisse ad honorem sontis matris protegendum. Deinde minatur omnes epistola» de turpi consuetudine ad Fiscum roiiii itere, nisi curet sponsae infelicis sani tati prospicere, prae-

tìxitque peremptorium terminum bimestris, quo inutiliter elapso, ipsum provocavit ad duellimi. Iam vero arguit Orator, quid est quod constituit mariti dedecus, nisi infidelitas uxoris- et thori violatio? Quanam ratione uxorem suam culpabilem cum Francisco deprehendit, nisi quia ex epistolis adulteri— num eorum commercium erumpit? Si Epistolas Pater regio Fisco tradere minatur, ad stabiliendam criminaliter uxoris et Francisci culpabilitatem, quomodo dubitari potest de existentia copulae ante matrimonium filiae ? Ex his aliisque colligit Orator, impedimentum affinitatis ex copula illicita in primo gradu, proindeque matrimonii nullitatem.

Allatis testimoniis concinere ait, alios testes qui de publica fama referunt circa turpem relationem inter Franciscum et Aemiliae matrem, sive ante, sive post sequutum matrimonium. Sed maiora urgent; orator enim edisserit quod ipsi testes, favore Aemiliae ab Adsertore vinculi adducti, relationes Francisci cum matre sponsae pro veritate fatentur, quamvis ipsi dicant nunquam credidisse , quod huiusmodi relationes usque ad extremum compulsae fuerint.

Post haec orator adduxit theoriam Alae *Foro criminale t. 7 das. 2 n. 58* qui ait: quando agitur de carnis criminibus, quae odio habent lucem, et ideo clam patrantur, locum habent et valorem indicia, praesumptiones et coniecturae; regula constituta a Farinacio... Zacchia... et firmata per Rotam in Calaguritana *praetensi matrimonii 11 Februarii 1647 coram Meltio num. 10.* Has autem probationes praesumpti vas, sive ex antecedentibus, sive ex concomi tantibus, sive ex subsequentibus cum in casu omnes concurrere affirmet, orator concludit dubitandum non esse de existentia affinitatis illicitae in primo gradu, quae nullum reddidit matrimonium Francisci cum Aemilia contractum.

Adstructa matrimonii nullitate, fere inutile esse edicit; eam ex alio capite, nempe ex defectu libertatis evincere. Ceterum hac quoque super re aliqidd dicendum putat, tum in iure tum in facto, ut iudices sententiam ex integra causae cognitione ad normam iuris ferre valeant. In iure adnotavit

cum De loriis in *tract, de sacram. Matr. p. 8 q. 21 n. 5* quod: « In Matrimonio requiritur consensus Uberrimus cap. » Cum locum de sponsal. quia hoc sacramentum continet > vinculum indissolubile, et si ab initio gratum non est, » vi vel metu interveniente et cogente, felices exitus ha- *y*> bere non potest. *Cum praesens 20 quaest. 3.* > Unde fit quod dum celeri contractus metu gravi initi sunt rescin- •dibiles *L 9 Cod. de contract.* matrimonium tali metu ini- tum, etiam iuxta legis civilis censuram, nullum est *L. 21 •et 22 ff. de ritu nuptiarum. Metus autem gravis* iuxta praedictum auctorem, *loc. cit. num. 4, est metus mortis propriae, filiorum, parentum, aut rei suae magnae et no- tabilis amissionis, veluti etiam metus infamiae iuris vel facti, cum melius sit bonum nomen, quam divitiae multae.*

Atqui haec adamussim in themate concurrere probavit defensor. Sane matrimonium non sponte ab Aemilia fuit «contractum, sed contra propriam inclinationem, nempe ut genitrici morem gereret. Ait enim Curatus: quod ex aliis sciam, Aemilia videtur aegre suum praebuisse consensum in matrimonium cum Francisco; sed solum, ut matris precibus indulgeret; dum alium praediligeret. Eadem haec repetunt alii testes. Deficientiam libertatis arguit orator ex infelici exitu huius matrimonii. Et ideo, prosequutus est, nullum renunciandum venit, nedum ex impedimento affinitatis ob «copulam illicitam, verum etiam ob defectum plenae libertatis in Aemilia.

Ad aliud caput suae defensionis progressus orator, ait: Si, ex hypothesi, validum renuncian libeat matrimonium huiusmodi, dispensatio denegari nequit: quia tantum ratum est, gravesque adsunt causae ad relaxationem. Quod non fuerit consummatum ex iurata Francisci depositione sategit evincere. Ego credo, ait vir, numquam matrimonium con- summatum fuisse, quia uxor semper obstaculum consumma- tioni posuit. Depositioni huic omnis adhibenda est fides; quia iurata unius coniugis affirmatio, pro veritate habetur,

et quia testes referunt virum bonis exornatum moribus, et mentiendi omnino incapacem. Hisce concinunt alii testes* qui positive loquuntur de religione et moralitate viri et de publica opinione eidem favorabili testantur. Quo vero ad testes fiscales orator animadvertit, quod ii quoque vel bene de Francisco loquuntur, vel certe non male. Unde concludit, dubitandum non esse quin affirmatio viri, sub iuramenti vinculo edita de non sequuta consummatione, tamquam veridica et a falsitate immunis sit retinenda. Verum Francisci confessioni magnum pondus addere urget septimae manus testes, qui veluti uno ore in hoc conveniunt, quod coniuges vixerint separati, quodque Aemilia odio prosecuta sit maritum, quia sciebat illicitas eiusdem relationes cum genitrice. Omnes pariter testantur de publica fama non sequutae matrimonii consummationis, quodque nulli filii nati sint sive legitimi sive illegitimi. Deinde progrediens orator ad expendendos septem testes, a Fisco adductos, observavit quod tres primi vel nihil de consummatione asserunt, vel asserunt, coniuges vixisse separatos et certe filios non habuisse. Testimonia autem illorum qui referunt mulierem abortum habuisse, vel per octo dies cum coniuge in eodem lecto cuba visse apud amicos quos visitaverunt, inverosimilia sunt. Constat enim quod hos amicos non visitaverint, et Aemiliam iam ab anno initi matrimonii amicitias fovisse cum aliis amatoribus. Hinc presumi etiam potest ab aliis praegnantem factam fuisse, abortumque procurasse ne res a marito cognosceretur, ad lites vitandas.

Ad causas tandem dispensationis transitum faciens, dua& intercedere, orator contendit, easque adeo graves esse censuit, ut ad dispensationem obtinendam sufficiant. Primam harum causarum in morbo insanabili consistere ait, quo, ex utriusque medici confessione, Aemilia laborat. Secundam causam reponit in periculo incontinentiae in quo Franciscus versatur et in amore quo ipse flagrat consulendi suae posteritati. Porro, subdit orator, ipsamet s. Mater Ecclesia neminem impellere cupit ad subeundum statum violentiae,

quando gravissimo animae detrimento occurri possit aliquo remedio, ex quo nullius iura laedantur.

Cum igitur in themate sive de impedimento affinitatis-oh copulam illicitam, sive de defectu alterutrius partis consensus dubitari nequeat, vel sin minus matrimonium ratum et non consummatum fuisse, luce meridiana clarius constet; cum pariter constet binas adesse causas easque ad obtinendam dispensationem urgentissimas, sponte sua fluere, conclusit orator, matrimonium nullum declaratum iri, vel sin minus imploratam dispensationis gratiam Francisco concedendam esse.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Ad primum suae orationis caput defensor de veniens, praetermissa disputatione super impedimenti natura, totam quaestionem versari autumavit super probationibus existentiae impedimenti, praesertim cum agatur de dissolvendo Matrimonio iam contracto. Quandoquidem iuxta ss. Canonum praescriptiones et praesertim *cap. 3 De eo qui cognovit consang.* etc. et sententias DD. quando de matrimonio, iam inito, irritando agitur, plena et quidem iuridica impedimenti certitudo requiritur, qua deficiente, matrimonium haud dissolvi posse asseruit. Ita Alexander III *in capit. Super eo.* Cosci *De Separat. Thori lib. 1 cap. 6 n. 35.* Rota *decis. 1317 coram Lancetta.* Nec aliter sensit S. C. C. in *Asculana 4 Iulii 1668 §. De modo.* Harum autem probationum difficultatem augeri si causa impedimenti occulta sit, fortius vero si contra partem defunctam esset evincienda. Sed quidquid sit de hac speciali circumstantia, quae in themate occurrit; ad naturam et qualitates talium probationum expendendas accedens, animadvertit, solam coniugum confessionem cum septimae manus testimonio ad impedimenti probationem aliquando non sufficere.

Quin oggeri valeat *cap. Proposuisti 4 De probat,* citatum siquidem caput ad rem non facere inquit, ex eo quod de illo loquitur, qui post triennale experimentum matrimonii inconsummationem asserit. Speciales at vero in themate

praescriptiones iuris haberi et praecise cap. 3 *De eo qui cognov. cons.* ubi Alexander III statuit *« De illo qui uxorem fratris sui* antequam in Matrimonium iungeretur se proposuit cognovisse, hoc tuae prudentiae respondemus, quod nisi hoc publicum et notorium fuerit, aut idoneis testibus comprobatum, praedictum matrimonium suasione illa ipsam impetere non permittas.* Idemque tradit Caelestinus III *in cap. 5* eadem de causa *propter eorum confessionem tantum vel rumorem viciniae separari non debent.* Consentanee ad hos textus eamdem tradiderunt doctrinam Reiffenstuel *in lib. IV tit. 19 n. 16,* Schmalzgrueber *in idem,* et Cosci *lib. I, cap. 6, de Separat, thori:* ea ducti ratione quod confitenti suam turpitudinem in sui favorem non est fides praestanda *Digest, lib. 48, tit. 18, §. T.* Nec aliter sentiunt aetatis nostrae criminalistae Renazzi, Carmignani, Desquiron, quorum ultimus utens Quintiliani verbis ait: huiusmodi confessio censenda est a demente peracta: nam qui seipsum accusat agi videtur a furore vel ab ebrietate, aut ab errore, sive a dolo.

Haec quae sancita reperiuntur, quando coniuges ambo crimen fatentur, eo magis servanda esse, autumavit vinculi defensor, si unus tantum crimen fatetur, prout in themate verificatur; ex eo quod sponsa dementia laborat, eiusque mater, criminis insimulata, demortua est. Neque ex demortuae confessione proprii facinoris, licet tempore non suspecto peracta, aliquid in contrarium evinci posse contendit. In epistola enim a defunctae marito ad Franciscum missa, ex •qua assertum adulterium patratum fuisse depromitur, de completo adulterio sermo explicitus non habetur. Quo vero ad literas amatorias , a Francisco defunctae matri uxoris scriptas, et a viro defunctae repertas, ex quibus adulterii crimen Francisci patronus erui posse confidit, matrimonii •defensor animadvertit, eas in nullo pretio habendas esse: ex ***eo*** quod cum apud acta non existant, examini subiici haud possunt.

Qua de re **S.** C. C. in similibus casibus respondit, non

constare de «nullitate matrimonii ceu videre est in *Verulana 5 Iulii 1856* et in *Pisauren. 22 Maii 1875:* in quibus idem responsum prodiit, licet utriusque sponsi iurata adesset confessio. **(1)**

Post haec ad secundam disquisitionem descendens, praeprimis adnotare existimavit, testes tales minime esse debere, ut factum de visu agnitum referant, quandoquidem accidere extraordinario potest, quod in fragranti amasii deprehendantur. Sed eos testes a iure requiri evidens est, qui circa indicia vel circumstantias ita referant, ut per inductionem actus comprobetur; indicia vero huiusmodi esse debere et talibus circumstantiis suffulta, ut carnalem commixtionem de vincant. Quam carnalem commixtionem nullo modo argui posse contendit ex reliquis indiciis ordinariis et remotis, quae inhonestae amicitiae suspicionem ingerunt, sed actum carnalem perfectum intercessisse profecto non probant. Quandoquidem quotidiana experientia docet, plures amasios reperiri, qui spe ad actum habendum vivunt, sed invicem frustrantur, licet ab obscoenis sese non abstineant. Quaenam autem indicia *violenta* ad perfectam copulam demonstrandam acta dicantur, deduci posse ait *Ex cap. litteris 12 de praesumat,* ubi traditur esse grave indicium quando *nudus •cum nuda, solus cum sola secretis locis et latebris, ad hoc commodis et locis celatis,* reperiatur. Quapropter testium depositiones importare dicuntur gravem praesumptionem, si viderint nudum cum nuda vel solam cum solo; ita tradunt omnes Doctores et praesertim Cosci *lib. II cap. 2, n. 29,* Barbosa *in Collect, doct.,* Ursaia *in tom. III part. 2 Discept. 9 n. 26.*

Quin obiiciatur theoria ex Ala desumpta, quae leviora signa ad probationem constituendam de facto admittere videtur; quandoquidem in genere de criminibus carnis loquitur, haud vero de copula ad impedimentum gignendum .habita.

(1) *Pisauren.* in qua reperies quaestionem huic consimilem, relata fuit Vol.VIII pag. 630 har. ephem.

Hac iuris dispositione quoad probationes praemissa, ad singulorum testium depositiones enucleandas accedit; praetermissa tum epistola mariti defunctae, de qua supra, tum depositione Aemiliae: quandoquidem contra propriam matrem venire abnorme est, et praeterea improperia in virum prolata momento irae et furoris, sunt nonnisi expressiones genericae, quae eamdem patiuntur exceptionem ac aliorum testium : qui quidem omnes generice et *de auditu* referunt.

Ex hac testium summa nihil evinci posse conclusit, nec adminiculum ullum hauriri, ex quo praesumptio *violenta* copulae habitae erui possit, unde impedimentum oriatur. Unus tantummodo '"testis, vestem a Francisco donatam fuisse deponit: verum hoc certe non signum habitae copulae vel pretium meretricii est; ad summum pro expugnanda mulieris reluctantia factum fuisse dicendum est: quinimo huiusmodi donum ceu indicium recti animi idem testis interpretatur aiens: credo id fecisse futuri matrimonii ineundi gratia. Unde quanti pretii habendus sit iste viciniae et vulgi rumor, docet caput *Super eo 5, De eo qui cognov-* Nec secus docuerunt doctores, inter quos citat Devoti *Ius. Can. Univ. lib. II tit. 19 §. 13* et Reiffenstuel *Lib. 11 tit. 20 num. 391.* Potius admiratione dignum esse subdit, tantam famam rumoremque viciniae circa inhonestam Francisci cum matre sponsae ante Matrimonium consuetudinem, ita Parochum latuisse, ut tuta conscientia matrimonium, dispensatio denuntiationes, celebrari permiserit. Qunm quidem Parochi agendi rationem demonstrare urget, de tali impedimento, quod solummodo viginti post annos Francisci amicis innotuit, nullam vel minimam suspicionem, tempore initi matrimonii ortam fuisse.

Pergens in suis animadversionibus s. vinculi adsertor, ait: ad matrimonium irritandum non quamcumque libertatis imminutionem, sed eam requiri, quae gravis et quae a principio extrinseco procedit, ob metum iniuste incussum ad actum extorquendum. Admisit autem opinionem, metus causam verificari, licet malum quod imminet non respiciat ipsam..

agentis personam, sed aliam cum eo stricto vinculo coniunctam. Sed intelligere non posse ait, quomodo Aemilia acta fuerit ad matrimonium ineundum ex hoc metu gravi, ut nempe nuptiis matris honori prospiceret, et ut iurgia et scandala averteret.

Etenim vel Aemilia turpem Francisci cum matre consuetudinem non agnoscehat, et in hoc cmsu metus causa atque mentis trepidatio ob instans malum deerat. Vel agnoscebat, et tunc animadvertit illud non esse malum quod minabatur, nisi nuptiae fierent, sed esse iustam vindictam quam vir contra uxorem sumpturus esset, a filiae matrimonio omnino independens, quae etiam matrimonio contracto evenire poterat. Hinc sponsus vel sponsa ad illud impediendum per matrimonium inutiliter cogebatur. Sed dato, quod Aemilia praeviderit futurum esse, ut per matrimonium malum matri imminens impediret, matrimonium potius electivae quam coactae voluntatis actum fuisse ait, ut scilicet matri in obscoènis inserviret.

Quod cum repugnet admitti posse in filia benemorata et sagaci, qualem fuisse Aemiliam omnes testes praedicant, potius dicendum esse subdit, filiam turpem hanc matris cum Francisco relationem penitus ignorasse, ceu ex testium depositionibus dubio procul erui datur.

Addit etiam: si post initas nuptias, huiusmodi pravae relationis dubium zelotipiam et iram mulieris sic movet, ut ipsa reiiciat virum suum, quomodo concipi potest antea impedimento haud fuisse, quominus nuptias cum Francisco concìliaret? E contra, ait, tanta animi quiete Aemiliam Francisco nupsisse apparet, ut pluribus primo nuptiarum tempore protestata sit, contentam fuisse suo matrimonio.

Neque dicat Patronus adfuisse in themate metum reverentialem ante nuptias; etenim defecerunt minae, verbera, et mala intollerabilia ad Aemiliam cogendam. De iisdem ne verbum quidem faciunt testes; quinimo testes ab Episcopo acciti excludunt omnino, Aemiliam inivisse matrimonium cum Francisco ex metu reverentiali. Iis vero testibus, utpote

septimae manus, maiorem fidem praestandam esse ait, quam ceteris a Francisco deductis, ex eo quod cum ipsis amicitiae vinculo hic coniunctus existit.

Tandem parumper admisso quod metus reapse extiterit, monuit tamen, metum tunc graviter incussum, perdurare debere etiam in actu celebrationis matrimonii, secus de eodem metu non constare tenendum est. Quod in themate defuerit, metus iste, eruitur etiam ex testimonio viri et parochi. Rogati enim a iudice quomodo sponsa se gessisset in Ecclesia, primus respondit: sponsa suum praebuit assensum, quin cernerem in ea ullam difficultatem; alius vero ait: sponsa libere coram" me proprium emisit consensum. Hinc adsertor s. Vinculi miratus est quomodo quaestio de consensus defectu fuerit, quum pene deficiant argumenta, etiam ad suspicionem ingerendam.

Contra autem, ait Vindex, ex factorum historia eruitur, consummationem matrimonii plane de vinci posse. Sane ex. viri ipsius depositione, manifestum apparet, sponsos una simul cohabitasse , manentes post celebrationem matrimonii in domo matris, et in eodem cubiculo noctu dormientes; tum denique in domo mariti, praeter alia loca, per plures annos condormivisse, usque dum sponsa dementiae causa nosocomium ingressa fuit. Ex his quisquis videt enasci gravissimam praesumptionem de matrimonii consummatione. Quae praesumptio haud cedit veritati, nisi gravissimae adsint contrariae probationes. Quas tamen probationes perperam reponi in sola coniugum confessione, licet iuncta septimae manus testimonio: quandoquidem contra omnium Canonistarum doctrinam hoc assereretur, ceu recte tradit Cosci *lib. III cap. 2 num. 147 de Separat, thor.* Insuper quum sponsa nihil proferre valeat, deest concors coniugum assertio. Post haec inutile est, ait vindex, de causis disserere pro dispensatione ; quae tamen omnino deficiunt. Nam veram causam qua Franciscus matrimonii solutionem quaesivit in hoc esse plures autumant testes, ut se liberaret a solvenda

menstrua pensione pro infelici uxore, in dementium Inospitali detenta.

Hisce ex utraque parte adductis, quaesitum est quomodo dimittenda essent sequentia

(Dubia

I. An constet de nullitate matrimonii in casu.

Et quatenus Negative

***II.** An sit consulendum SSmo pro dispensatione matt monii rati et non consummati in casu.*

RESOLUTIO. Sacra **C.** O. re ponderata, sub die **12** Augusti **1882,** censuit respondendum:

Ad primum et secundum negative.

CAUSAE PROSECUTIO. Beneficium novae audientiae petiit, obtinuitque Francisci orator; simulque institit ut penes Curiam per novi processus confectionem tres alii testes audirentur , ut validiori fulcimine matrimonii nullitas , ob impedimentum dirimens, ex copula illicita , adstrueretur. Et re quidem vera tres testes formiter auditi fuerunt; quorum primus, famulus Francisci, retulit sub iuramento, sese probe cognovisse matrem Aemiliae , et scivisse eamdem pessimae famae apud omnes ; ita ut viveret cum Francisco ceu maritus et uxor. Insuper retulit, sese vidisse pluries in cubiculo domini sui matrem Aemiliae et Franciscum, vestibus omnino exutos et semel conspexisse eosdem in unione carnali. Haec autem omnia accidisse, ait testis , ante matrimonium ; quo tempore Franciscus biduo in hebdomada mulierem illam invisebat dum rusticaretur. Alius testis pene eadem retulit quoad pessimam famam mulieris, et quoad turpes relationes cum Francisco, quamvis eosdem non viderit nudos , vel unione carnali copulatos.

Medicus autem Hospitalis, in quo mulier detinetur, uti tertius testis , ait : sese interrogare potuisse Aemiliam quoad turpes relationes eius matris cum Francisco. Haec uti memor rerum, quibus olim cruciata fuerat, ait: sibi probe innotuisse relationes carnales suae matris cum Francisco; quod a matre

ipsa sciverat; quae insuper filiae patefecit locum in quo conveniebant ad explendas libidines, delectationesque habitas cum Francisco filiae enarravit ut eamdem impellerei ad matrimonium cum illo ineundum. Adiecit autem etiam a patre suo scivisse, amasios petere rus matris ad explendas libidines.

Haec omnia satis esse, ait Francisci orator, ad plenam probationem impedimenti inducendam, cum violenta indicia actus necessarii habeantur, ad tradita per *cap. Litteris 12 de praesumpt.* Cosci *lib. 2 cap. 4 n. 19.* Habemus nudum cum nuda , non una tantum vice sed fréquenter ; habemus locum secretum, nempe cubiculum , denique actum copulati vum. Praeter haec adest biduana visitatio Francisci in hebdomada, dum amasia rusticaretur, et morae viri eiusdem, ibi productae usque ad noctis horas et quandoque ad primum mane et publica fama de his illicitis amoribus.

Neque respui possunt Aemiliae depositiones , utpote dementis ; quia consonae sunt aliorum testium depositionibus quoad substantiam et quoad loca; et quia indicant scientiae causam, nempe matris et patris confessionem.

Vindex autem s. Vinculi contra insurgit, et refutatis argumentis , quae iterum ex adverso prolata fuerunt, ait, nupera allata testimonia, ad opportunitatem composita, omni robore destituta esse.

Quibus praemissis , proposita fuere diluenda sequentia

Bubia.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C C . re iterum perpensa, sub die **17** Februarii **1883,** censuit respondere:

*Ad **I.** Eoe noviter deductis, recedendum a decisis.*

*Ad **II.** Provisum in primo.*

Tertio proposita fuit quaestio haec ad instantiam vin-

dicis sacri vinculi sub die 7 Aprilis 1883 : Sacra autem Congregatio respondit dubio proposito:

In secundo loco decisis.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Adfuisse in themate impedimentum affinitatis ex crimine adulterii ortum retineri posse videtur, neque iuridicam omnino defuisse de eius existentia probationem.

II. Etenim ex *cap. De eo qui cognovi, cons.* erui, publicum et notorium esse debere aut idoneis testibus probatum impedimentum dirimens, ut validitas matrimonii impeti possit.

III. Neque ex rumore viciniae aut ex coniugum confessione, propriam turpitudinem re velantium, probatio sufficiens semper erui ad irritandum matrimonium; eoquod qui se accusat agi videtur ab errore vel a dolo.

IV. Etsi non requiratur quod testes tales sint, ut factum de visu agnitum referant, quod saepius impossibile esset; tamen tales esse debent ex iure, qui circa indicia vel circumstantias ita referant, ut per inductionem actus comprobetur.

V. Ex nuperrima testium depositione impedimentum esse «victum patere videtur: nam omnia adfuere extrema, quae iuridicam faciunt probationem : adfuit nempe nudus cum nuda, locus secretus, actusque copulativus.

OSCEN.

DISTRIBUTIONUM

Die 12 *Augusti* 188$,

Per summaria precw

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Oseen, datìs Uteris die 15 Martii volventis anni, Sanctissimum Principem adivit exponens : in civitate episcopali extare Capitulum ecclesiasticum a s. Laurentio nuncupatum, in quo beneficia in distributionibus quotidianis tantum consistunt. Ob inopiam sacerdotum Episcopi praedecessores ex benefìciatis laudati Capituli aliquot elegerunt, quibus docendi munus commiserunt in Seminario conciliari, accommodatis tamen horis magisterii cum horis ofificii choralis. Ex his nonnulla procedebant incommoda : 1. ordinarie tempus deficiebat discipulis ad addiscendam lectionem serotinam, quia ex aula matutina egrediebantur hora duodecima; *2* explicationes, erant breviores, quam necessitas expostulabat; 3 deerat admodum in Seminario desideranda disciplina, quia alii professores diversis et convenientioribus horis suos alumnos educebant; 4 interdum eo quod protendebantur officia capitularia, beneficiati qui simul erant professores, aut non assistebant Seminario, aut perbrevi temporis spatio explicationes absolvebant.

Quibus malis occurrere cupiens Episcopus statuit, ut in gratiam disciplinae et ad maiorem profectum scholasticorum omnes professores beneficiati iisdem et quidem opportunioribus" horis, quibus alii cathedralia, docendi munus implerent. Ex hoc decreto contigit ut professores beneficiarii non possent choro interesse, nisi diebus vacationis : et exinde suborta fuit quaestio, an beneficiarii, professores diebus quibus a choro absunt, ut in Seminario alumnos edoceant, iure

potiantur saltem duas tertias partes fructuum beneficii percipiendi. Episcopus non audens suo iudicio causam dirimere,, ad S. C. Congr. confugit ut, re mature perpensa, pro qua. parte extet ius declarare auctoritative dignetur.

Di&eeptatlo synoptlea.

QUAE FAVORE BENEFICIATORUM PRODUCUNTUR. Praeprimis beneficiati professores contendunt pollere iure percipiendi saltem duas tertias partes distributionum, tum canonum dispositione, tum interpretum doctrina, tum praxi S. C. Congr. Sane explorati iuris est, legem praesentiae in choro eum non attingere, qui ob evidentem ecclesiae utilitatem abest: imo taliter absens, iuris fictione tanquam praesens habetur, ad effectum tum fructus praebendae, tum quotidianas distributiones lucrandi *cap. Consuetudinem de Clericis non residentibus in 6;* ubi Bonifacius VIII constituit : absentes a choro distributionibus carere, *exceptis illis, quos infirmitas* seu iusta ac rationabilis corporis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusar et:* » quam dispositionem Tridentini Patres *Sess. 24 de Ee form. cap. 2* confirmarunt.

Praeterea beneficiatis professoribus favere videtur *cap. Super Specula lib. 5 tit. 5 de magistris §. docentes;* ubi docentibus conceditur facultas percipiendi proventus praebendarum et beneficiorum suorum, non obstante aliqua consuetudine vel statuto : cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Et Fagnanus in *cit. cap.* apertissime docet, magistros habentes beneficia, quae in distributionibus tantum consistant, duas tertias partes lucrari, amissa alia tertia parte, quae praesentibus accrescit.

Hactenus deductis adde interpretes fere omnes qui una voce tradunt, quod in ecclesiis ubi beneficia tantum in distributionibus quotidianis consistant, duae partes distributionum assumunt naturam praebendae: alia tertia pars uti vera distributio permanet, et hanc praesentes lucrantur, absentes amittunt; Lucidi *de Distrib. num. 29,* Piton. *Di-*

scept. Eccl. XXXIV num. 1, Pignat. *Consul. 1J5 num. 42 tom. 9.*

Quod si per hypothesim beneficiati professores hoc iure non polleant, tamen, aequitate suggerente, attentis precibus Episcopi, stante necessitate, et Ecclesiae utilitate, indultum ad quinquennium saltem concedendum esse videtur ob sequentes rationes; quia 1 sacra Congreg. Concilii saepe saepius magistris hoc indultum concedere in more habuit: **2,** quia in casu Episcopus aliter consulere nequit disciplinae Seminarii, nisi tres professores bénéficiâtes in munere suo conservet: 3 quia stipendium magistris assignatum augeri minime potest r 4 tandem quia ipse Episcopus preces praebet s. Congr. ut saltem indultum benigne concedat ad quinquennium favore trium beneficiatorum, quibus onus docendi incumbit.

QUAE CONTRA BENEFICIATUS PRODUCUNTUR. Altera vero ^ex parte videtur ius obstare precibus beneficiatorum professorum. Ac primo obstant patulae ecclesiastici iuris sanctiones, quae diserte disponunt, ut solum choro praesentes lucrentur distributiones: ad rem in *cap. unie, de clericis non residentibus in 6,* Bonifacius VIII constituit, ut distributiones ipsae quotidianae canonicis ac aliis beneficiatis, qui officiis in iisdem ecclesiis adfuerint, tribuantur: qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, rerum sic receptarum dominium non acquirat. Unde processit theoria in scholis et in foro notissima, quod nempe distributiones beneficiatis debentur non ratione beneficii, sed ratione servitii, in Ecclesia praestiti. His dispositionibus concinit *cap. 3 Sess. 22 de reform.* Concilii Tridentini, ratum habendo quod disposuit Bonifacius in *cap. cit.* imo mandans, ut omnino servetur.

Insuper Capitulum opponit beneficiatis professoribus consuetudinem, qua professores in Seminario docentes semper distributiones amiserunt.

Obstat ulterius declaratio s. Congr. Concilii relata a Barbosa pag. 544, et pariter doctrina ab eodem exposita, nec non Gonzalez ad *reg. 3.* Tandem Capitulum opponit vo-

iuiitatem testatorum fuisse adigere bénéficiâtes ad assistentiam choro: et quoniam testatorum voluntas semper est servanda, uti omnia iura clamant, hinc concludi posse videtur beneficiorum preces huiusmodi haud esse, ut excipi valeant.

His rationibus hinc inde adnotatis, remissum fuit EE.PP. decernere quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re ponderata, sub die 12 Augusti 1882, respondit:

Pro gratia ad quinquennium diebus, quibus docent, amissa tertia distributionum parte.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quum laborantes in vinea Domini denario defraudari non debeant: ideo ex DD. sententia lucrari posse duas tertias distributionum partes Magistros qui beneficia possident quae in distributionibus tantum consistant.

II. Magistros Beneficiatus in themate, quando docent, abesse a choro in Ecclesiae utilitatem : ideo gratiam obtinuisse percipiendi duas tertias distributionum partes.

NEAPOLITANA - VISITATIONIS

Die 9 Septembris Î882.

COMPENDIUM FACTI. Franciscus Pignatelli, supplici dato libello, retulit: sese frui iurepatronatus laico super Ecclesia s. Mariae, vi cuius rectores nominat, statuta constituit atque reformat, et agnatorum cadavera excipit, independenter ab Ordinario. Cum iura exemptionis ab Ordinario exercuerit orator, iuxta Bullam Leonis X, ab anno 1697, praescriptio adest in sui favorem plusquam centenaria, numquam internirtn. A .tamen archiepiscopalis Curia nunc, super dicta

Ecclesia suam exerere iurisdictionem praesumens, s. Visitationem indixit. Quamobrem orator Sanctitatem Vestram exorat, ut declarare dignetur, Ecclesiam illam exemptam esse ab omni episcopali iurisdictione, haud excepta s. Visitatione, vi Bullae Leonis X, iurisque praescriptionis.

Rogatus de more Antistes, copiam trasmisit Bullae Leonis X; addiditque per eamdem Bullam, concessam fuisse gratiam quam comes Pignatelli supplici libello expetiverat; sed nullum in ea fieri verbum de praetensa exemptione **ab** episcopali iurisdictione.

Disceptatio «y»«optica.

DEFENSIO PATRONI. Ut exemptionem Ecclesiae s. Mariae evincerei ille, retulit haec verba Bullae: « et insuper tu-
» tori et aliis nobilibus masculis dumtaxat de familia de
» Pignatellis, pro tempore existentibus, ius patronatus, et
» praesentandi personam idoneam ad dictam perpetuam ea-
» pellaniam, quoties illa pro tempore, quoquo modo vacare
» contigerit, et deputandi capellanos, sacristam, et mi-
» nistros in dicta Ecclesia. »

Iamvero, citata Bullae Leonis X verba, quae plenissimam libertatem familiae Pignatelli concedunt, nedum a parochi iurisdictione, sed etiam ab Episcopi potestate exemptionem importare, nullatenus dubitari posse videtur; quandoquidem Barbosa in *Allegat. 123. n. 14. de offic, et potest. Episcopi* tradit, quod Summus Pontifex exemptionem a potestate Ordinariorum tunc concedere videtur, cum plenam libertatem alicui vel personae, vel loco indulget: Franc. *in Cap. 1. §. illum num. 3. de verbor. signif. lib.* ***6.*** Erasm. a Cochier. *quaest. 9. num. 1. vers. Gaudeat.* Porro in themate patrono plenam libertatem super omnibus quae memoratam Ecclesiam attingunt concessam fuisse, quisque ingenio suo facile percipit, dummodo in praefatae Bullae verba oculos vel obiter convertat. Supposito autem quod huiusmodi Ecclesia ab Ordinarii potestate exempta sit, et s. Sedi

immediate subiecta, plane consequitur, Episcopum nullum iurisdictionis actum in ea exercere, ideoque neque sacram visitationem in ea peragere valere; Conc. Trid. ***sess. 22 cap. 9 de Reform.*** **Pitonius** ***de controv. patr. alleg. 23. n. 2;*** **Lucidi** *de visit. ss. LL i tom. 1. p. 132. n. 29.*

Propugnatam exemptionem confirmari ait ex longissimi temporis observantia, vi cuius orator exercuit huiusmodi ius exemptionis ab auctoritate Ordinarii, ab anno 1698 usque adhuc, efformando praescriptionem plusquam centenariam. Quaenam autem sit vis et efficacia consuetudinis centenariae erui datur, non modo ex censura iuris tum civilis, tum canonici, ***L. de quibus ff. de leg. C. Cum dilectus de consuet.*** **verum etiam .ex omnium interpretum doctrina et sacrorum Tribunalium praxi.**

Quin regerere valeat textum in ***cap. Cum ex offic, de praescript.*** **ubi decernitur visitationem praescribi non posse. Huic enim offensioni occurri posse videtur, animadvertendo iura episcopalia praescriptioni obnoxia esse** ***ex Cap. audistis,*** **et ex** ***Cap. Cum olim, de praescript.*** **ideoque et visitationem praescribi posse, quippe quae est de iuribus episcopalibus** ***Cap. Conquerente de offic. Ordin.*** **Mox autem obiecto** ***cap. cum ex officii de praescrip.*** **directe respondent allegando Barbosam qui in** ***Allegat. 129. num. 9. et seq. de Offic, et Potest. Episcop.*** **haec ad rem habet. - ibi - « Praescriptio tollens omnino visitationem iure communi » iniunctam merito prohibetur, quamvis admittatur, quae » illam transfert, vel aliis accumulât, sicut etiam admitti- » tur, quae omnino tollit visitationem iure speciali compe- » tentem. »**

Hisce in iure praeiactis, cum in facto consistat, hic agi non de praescriptione quae omnino tollit visitationem, iure communi Episcopo competentem, sed de ea quae ius visitandi Episcopo competens, ad s. Sedem transfert : hinc sponte sequitur huiusmodi praescriptionem admitti oportere. Et iure merito, quia, ut sapienter observat Barbosa ***loc. cit. n. 13. talis praescriptio, absolute loquendo, non est contra visita-***

tionem, quam non tollit, sed contra Praelatum, cui praeiudicat. Cum igitur de exemptione Ecclesiae s. Mariae ab Episcopi potestate dubitari nequeat, pleno alveo fluere videtur, ipsam nullo modo subiectam esse iurisdictioni episcopali, ac per consequens ab eodem visitari haud posse.

DEFENSIO ORDINARII. Contra studuit hic evincere, Ecclesiam s. Mariae nullo modo exemptam esse a sua iurisdictione; eamque proinde visitationi obnoxiam esse, ex eo quod in Bulla s. m. Leonis X, quae ad alium finem implorata fuit, ne verbum quidem inveniri, ait, quod praetensam exemptionem importare valeat.

Et re quidem vera per hanc Bullam, concessit Summus Pontifex ius perpetuae praesentationis corniti Pignatelli eiusque lineae masculinae: nempe id concessit quod dictus comes, supplici libello, expoposcerat; sed de exemptione a iurisdictione Ordinarii ne verbum quidem; hinc ius visitationis haud laesum fuisse, sed in suo robore permanere patet. Et recta videtur argumentatio nam agitur in themate de re, quam maxime odiosa et restrictiva iurisdictionis episcopalis, quae proinde admitti nequit, nisi aperta legis verba id expresse suadeant, vulgatum cum sit odia restringi oportere *L. Cum quidem ff. de lib. et posthum. Cap. odia de reg. iur. in 6.*

Quin imo dato etiam, sed non concesso quod in vim citatae Bullae, ecclesia s. Mariae tamquam exempta censeri debeat, tamen visitationi Ordinarii subiecta remanet, quia tradit Barbosa in *Alleg. 123 num. 30 de Offic, et Potest. Episcopi,* quod in causis visitationis, *ab his simplex exemptio neminem eximit, si de illis specialis et expressa mentio non fiat.* Concinit Paul. Fusch. *de Visitat, lib. 2 Cap. 20 num. 10.* Pitonius *de Controv. Patron, alleg. 23 num. 2;* Rota *decis. 186 num. 2 part. 1 divers.* Privilegium enim exemptionis non includit exemptionem a visitatione, Lucidi *de visit. ss. LL. tom. 2. p. 487 n. 244.*

Neque difficultatem facessere videtur quod in themate agatur de iuspatronatus laicali. Ex verbis enim decreti Con-

cilii Tridentini omnia loca pia possunt ab Episcopis visitari, licet eorumdem cura ad laicos pertineat. Quapropter laicalis loci qualitas impedimento non est quominus in eodem, visitandi ius ab Episcopo exerceatur Monncel, *Form. leg. t. 5 form. 1 num. 10;* Pitonius *op. cit. alleg. 32 num. 5;* Gonzalez *de benef. p. 1. eo. 2 num. 104;* Castrop, *oper. moral, tract. 13. de benef. disp. 1,* et confirmatum fuit a S. C. C. in *Imolen. 25 Novemb. 1692 et 20 Iulii 1693 apud* Monacell. *I. c.* et apud folium *Faventinae Red. rat. 8 Augusti 1772.*

A iure deinde ad facta descendens Ordinarius pro sua iurisdictione tuenda, animadvertit sacrum visitationis munus in hac s. Mariae Ecclesia per plura saecula expletum fuisse a suis praedecessoribus usque ad annum 1698. Praeterea, ait Antistes, praesentati ad dictam capellaniam, institutionem iugiter receperunt ab Ordinario loci : quod factum innuit, ius recognitum fuisse in eodem Dioecesano.

Iamvero observantia optima dicitur interpres legis fundationis ex Lotter. *de re benefic. lib. 2. quaest. 1 n. 125.* Card. De Luca *de Iur. patron. Disc. 60 num. 9.* Tondut. *Quaest, beneficiai, part. 3 cap. 157,* et maiorem omnium auctoritatem sibi vindicat, si, ut in casu, sit illi proxima et coaeva Piton. *Discep. Ecclesiast. disc. 159 num. 44 §. Habemus.*

Perperam vero obiicies, Ecclesiam s. Mariae, post annum 1698, nunquam visitatam fuisse ab Ordinario, ideoque eius ius visitandi in posterum praescriptum esse. Antistes enim animadvertit, sacram visitationem esse ius et munus episcopali iurisdictioni inhaerens, in cuius exercitio Praesul plena libertate pollet. Cum autem in illa latissima Archidioecesi quamplures adsint Ecclesiae et pia loca, eiusdem antecessores impotes singula perlustrando illa seligebant quae pastorali vigilantia magis indigere videbantur, uti ex sacrae visitationis relationibus S. C. C. eruere potest. Quare ex non exercitio actus mere facultativa nequit amitti ius positivum,, et ab ipsa natura iurisdictionis episcopalis immediate dimanans.

Re sane vera agi in casu de actibus mere facultativis nemo cordatus inficias ibit. Porro explorati iuris est in hisce actibus praescriptionem non induci; nisi constet ipsos fuisse prohibitos et partem adversam per tempus habile ad praescribendum prohibitioni acquievisse; *Gloss, in L. Y. Commun, dividundo* **6** *de Annali praescript.;* De Luca *de Benef, disc. 97 num. 13;* Rota in millenis decisionibus praesertim vero in *Decis. 253 num. 8p. 3 recent.* - ibi - « Mi-
» nus resistit quod hic murus diu steterit et per multos an-
> nos in ea forma, quia nihilominus potest elevari, cum
» istud sit merae facultatis, non praescribitur, quamvis per
» mille annos non fuerit elevatus, nisi praecedente prohi-
> bitione et legitima acquiescentia ».

Tandem in damnata hypothesi quod oratores praetenso privilegio reapse fruantur, tamen impedire nullo modo valent quominus Archiepiscopus utens iure sibi a Conc. Trident. *Sess. 7 Cap. 8 de Reform,* indulto, tamquam *Delegatus Apostolicus* visitationis actum in Ecclesia s. Mariae perficiat.

Hisce praenotatis, propositum fuit derimendum

llubium

An Ebclesia s. Mariae a iurisdictione et visitatione Archiepiscopi Neapolitani exempta sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re perpensa, sub die 9 Septembris 1882, censuit respondere:

Negative et amplius.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Privilegium exemptionis haud includere exemptionem a visitatione Ordinarii ; ceu colligitur ex variis resolutionibus S. C. C. in quibus, si ex una parte exemptionis privilegium haud denegatum fuit, ex altera tamen recognitum fuit in Episcopo ius visitandi.

II. Hinc simplicem exemptionem alicui Ecclesiae aut **loco**

pio concessam, haud eximere eamdem a visitatione Episcopi, nisi de ea specialis et expressa mentio fìat; et in dubio an vera adsit exemptio, standum est pro iurisdictione Episcopi.

III. Quum ius visitandi, ad Episcopos pertinens, sancitum firmatumque fuerit per Tridentinum, contra quod plures docent non dari praescriptio, ideo contraria observantia ad illud infringendum haud proficeret, etiam quia ex non exercitio actus facultativa ius positivum amitti nequeat.

IV. Antistites ita iure fulciri quoad s. visitationem Ecclesiarum locorumque piorum, ut si aliquam Ecclesiam iure ordinario visitare nequeant, id facere valeant iure delegato, seu tamquam Delegati Apostolici, *Trid. Sess. 7 cap. 8 de ref.*

V. In themate certum non esse exemptionem a iurisdictione Episcopi concessam fuisse, aut ex contraria observantia fuisse partum huiusmodi privilegium; ideoque ius Ordinarii visitandi Ecclesiam s. Mariae sartum tectumque mansisse. (1)

(1) Nonnullae hac in nota referuntur declarationes s. C. C. ad firmandum quod enunciavimus in deductionibus, et ad tutiorem tradendam normam pro similibus casibus. In Perusina Visit. ss. iim. 26 Augusti 1851 agebatur de quatuor Sodalitiis, diversas causas exemptionum sibi arrogantibus, inter quas ea erat circa unum et alterum, quod ecclesiae regularium adnexa de exemptione regularium participarant. Nihilominus propositis dubiis, an constaret de bono iure Emi. Episcopi (nunc Leo Papa XIII) visitandi singula ea Sodalitia; s. Cong. respondit ad omnia: « Affirmative et amplius. » In Bergomen. Exemptionis 18 Decem. 1858 propositum fuit dubium: « An constet de «exemptione, seu potius de bono iure » Episcopi visitandi Sodalitium B. M. V. » Gratiarum,ac exigendi administrationis » rationes abeiusdem officialibus in casu.» s. Cong. rescripsit: « Negative ad primam •» partem, affirmative in omnibus ad se--cundam. »

In Bergomen, exemptionis 18 Decembris 18E8 Pontifex Nicolaus V praecepe-rat per bullam 1453, ut nulla potestas sese intromitteret in administrationem Basilicae s. Mariae Maioris, quae extructa fuerat civitatis expensis, et in qua erectum est Sodalitium sub titulo misericordiae. Proposita fuere dubia: « l°An » et quomodo constet de exemptione Ec- » clesiae s. Mariae maioris, ac Sodalitii » a misericordia nuncupati, a iurisdictione » Episcopi in casu? et quatenus negative: *n* 2° An et quomodo competat Episcopo » ius visitandi tam Ecclesiam, quam So- » dalitium in casu.» Emi. Patres responderunt: «Ad 1. Affirmative ex Bulla Ni- » colai V; servatis tamen moderationibus » a s. C. Trid. decretis. Ad 2. Affirmative, » iure delegato. »

Concinunt Telatis resolutionibus Eegien. Exemptionis 30 Ianuar. 1856, Civitatis Castelli Vis. sac. Iim. 18 Iulii 1857, aliaeque complurimae.

MATRIMONII

Die 16 Decembris 1882.

COMPENDIUM FACTI. Anno **1851** Ioannes et vidj&a Eleonora coram sacerdote Ladislao , de Parochi consensu , matrimonium rite iniverunt. Sed infausto sydere nuptiae celebratae fuisse videntur ; nam brevi dissentiones et iurgia inter sponsos exorta sunt; iisque in diem increbrescentibus, Ioannes tribunale laicum adivit, atque Eleonoram ebrietati plus aequo deditam , ac adulterii crimine ream accusans , separationis seu legalis divortii sententiam petivit. Voti compos factus, ut secundas nuptias rite contraheret, Summum adivit Pontificem ; et exposito *« quod ante quatuordecim annos, coactus a parentibus, duxit in matrimonium viduam Eleonoram,* expostulavit, *ut Consistorium episcopale Culmense, cum Dioecesis orbata sit Praesule, possit suum matrimonium irritum declarare, quod ipse invitus et coactus inivit. »*

Hoc accepto supplici libello, S. C. C. die **15** Martii **1880*** rescriptum edidit: Sanctissimus . . . benigne commisit Episcopo Culmen, ut servatis rite servandis, causam super matrimonii nullitate, ex capite *vis et metus,* inter Ioannem et Eleonoram cognoscere ac de eadem iudicare queat usquead sententiam definitivam. Curia ecclesiastica Culmen, utriusque coniugis confessionibus ac testium depositionibus perpensis, rata nullam vim sive metum ex parentum parte adfuisse, sub die **15** Martii **1881,** pro matrimonii validitate definitivam sententiam edidit.

Ab hac sententia se gravatum reputans Ioannes, appellationem , tempore utili, interposuit. Causa tractata fuit oeconomice apud S. C. C. ob coniugum paupertatem, cum

voto Theologi et Canonistae, nec non cum animadversionibus defensoris s. vinculi; quorum inferius synopsim damus.

Ittsreptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Quaesivit iste an in themate sufficiens adesset vis et metus ad matrimonium dirimendum ; censetque adesse. Nam, ait, apud omnes receptum est, matrimonium dirimi ex vi ac metu , qui cadit in constantem virum. Salmaticenses autem *Tract. 9. de matrim, cap. 9. punct. 1. n. 18 et seqq.* tradunt: « Sequentes conditiones » pro metu gravi cadente m constantem virum assignant » communiter Doctores. Prima conditio ad metum cadentem » in virum constantem est, quod malum quod timetur, grave » sit . . . Secunda requiritur , ut quis non leviter credat » sibi malum imminere, sed probabiliter et rationabiliter . . . » Tertia ut metum incutiens potens sit minas executioni » mandare . . . Quarta ut metus incutiens minas exequi > solitus sit, vel in eodem genere mali, vel in alio simili . . . » Quinta et ultima , ut non possit timens facile occurrere » malis imminentibus vel per se vel per superiorem , vel » per amicos. »

Hisce praemissis audiendum est quid Ioannes deposuerit; ait enim: nisi in uxorem duxeris viduam Eleonoram, dixit mihi pater, amodo haud vocaberis filius meus * domusque mea tibi erit derelinquenda, nihilque tibi dabo , et nolo amplius aliquid scire de te. In hac depositione luculenter verificatur prima et quinta conditio. Est omnino grave, uti aiunt Salmaticenses, *loc. cit. n. 25:* « Dicendum » est quod timor amissionis omnium bonorum vel maioris » partis, vel certae rei magnae et notabilis , quamvis non » sit maior pars bonorum : est timor gravis , quia iure > optimo talis amissio virum constantem terrere potest. »

Neque aliunde poterat Ioannes occurrere propriae sustentationi si expelleretur a domo paterna ; nondum enim vigesimum expleverat annum , nec uilam callebat artem.

At minis recensitis addendum est quod pater violentas manus intulerit in filium, verberibusque affeeerit, ut eum compelleret ad hasce nuptias ineundas.

Per hanc coactionem a Ioanne passam minis et verberibus, dum eundum erat ad altare , verificantur aliae tres conditiones supra recensitae. Nam quod pater fuerit capax et potens ad exequendas minas demonstrat factum tantae severitatis ac inhumanitatis; ad tradita per Bossium *de Matrim, cap. 12. n. 68.* Et Pontius *de consensu ex metu et dolo lib. 4. cap. 5 n. 4* addit: « Minae graves ac verbera » sufficiunt metum gravem incutere, multo magis si adiun- » gantur metui reverentiali. » Cum ergo omnes concurrant in casu praedictae conditiones in coactione Ioannis, merito tenendum quod in ipso fuerit metus ad eius matrimonium dirimendum sufficiens.

Praeterea coactio haec aliqua comitatur singularitate, quae magis libertati opponitur: nam hoc coniugium initum fuit tribus hebdomadis ab ipso patre ; ita ut filius tempus et opportunitatem non habuit sese aliquo modo liberandi a paterna vexatione. Hinc defuit illa libertas, quae prae aliis contractibus in matrimonio requiritur; quod cum maturitate magna , et pleno consilio faciendum est. Sed ad hoc rite peragendum, tempus haud fuit sufficiens. Rixae autem, iurgia, odia quae statim matrimonium initum sequuta sunt, magis magisque revelant invincibilem aversionem, effectum praedictae coactionis in contractu huius matrimonii.

Censuit praeterea Consultor satis constare in themate de vi ac metu , ex depositione iurata trium testium , de quorum veracitate respectivi parochi haud dubitarunt. Hinc Cosci de Spons. *cap. 8 n. 61 et seqq.* « Metus tamen pro » annullando matrimonio non probatur per testes non con- > cludentes de circumstantiis minarum ; deponere namque » debent de metu et circa metum de quo in specie agitur, » alias nihil revelant. » Similiter Rota *decis. 334 part. 2 n. 9 - 40. 301 part. 2 n. 24 et seqq.* « Metus reveren- » tialis, de quo agitur, non sit habenda ratio, nisi sit qualifi-

> catus minis et verberibus, vel gravioribus circumstantiis. » Ex iuratis depositionibus patet metum Ioannis qualificatum esse minis.

Neque trium testium depositiones infirmantur ex eo quod nonnulli testes retulerint, numquam audivisse aut vidisse huiusmodi coactionem : nam depositiones hae argumento negativo aequivalent. Ast haud obliterandum est quod argumentum negativum nil valet in concursu argumenti positivi. Dicere enim possumus cum Sperelli *decis. 5 n. 88:*
« Attestatio autem parochi et testium probat quidem non
» fuisse in illo actu contracti matrimonii a quoquam me-
> tum illatum ; non autem excludit quin ante illorum ad-
» ventum praecesserit metus, ita respondet in puncto Rota
» in *decis. 64 n. 25 par. 1* in recentioribus. » Tandem animadvertendum est cum Bossio *cit. cap. 344:* « Cum
» actus praesertim a patre seu parentibus illatus , sit diffi-
» cilis probationis, quia clam et intra domesticos parietes
» infertur, ideo ad illius probationem non requiri testes,
» omni exceptione maiores , sed admitti eos qui alias non
» admitterentur . . . . »

Quaesivit etiam Consultor an per diutinam cohabitationem revalidatum fuerit matrimonium, de quo agitur; censuitque non fuisse revalidatum. Nam ut cohabitatio ratificare matrimonium queat, variae exiguntur a DD. conditiones, nempe ut cohabitatio sit diuturna, spontanea et metus cessaverit, ut vere consensus adfuerit saltem virtualis, qui in ipsa libera habitatione inveniri censetur , nisi animum oppositum habuerit, Conditio haec ultima ita essentialis est, ut licet aliae adfuerint, nullae fiunt si haec desit, iuxta illud Alexandri III *in cap. 9 de Spons. « matrimonium autem solo consensu contrahitur* » . . . Qua de re ex doctoribus requiritur, ut qui flete contraxit apponat novum consensum maritaliter cohabitandi; et ut adeo perseveret consensus alterius partis , ut adhuc contraheret matrimonium si sciret eius nullitatem. Hae conditiones omnino deficiunt in casu nostro; neque praesumi possunt: nam praeter Ioannis

protestationes, qui ait numquam, ceu uxorem suam habuisse Eleonoram, vita ipsorum coniugum id satis probat. Revera ab ipsis matrimonii primordiis inter coniuges exarserunt continua iurgia, dissidia et odia. Hinc per diutinam cohabitationem matrimonium, de quo agitur, haud ratificatum fuit. Praeterea etiam ex iure novo Ioannes et Eleonora consensum renovare debebant coram Parocho et duobus testibus, ut revalidare possent eorum matrimonium, ad formam Tridentini, quia coactio in foro externo iuridice probata fuit, et impedimentum est publicum. Ad rem Barbosa *de offic. Episc. part. 2 alleg. 32 n. 149: « hodierno iure cohabitatio efficere nequit matrimonium, sed novus consensus requiritur, et forma Concilii. »*

Ex quibus aliisque conclusit consultor, matrimonium nullitate laborare, illudque solvendum esse ad instantiam partis.

VOTUM CANONISTAE. Quum semel initum amplius dissolvi nequeat sacrum coniugii foedus, iure cautum est, ut irritum vel ab initio sit, si metu illato compulsus, verba quis protulit consensus, licet animo dissentiret, deficiente ob metum incussum plena libertate consensus. *Plenus etenim,* ut dicit Coscius, *de Separat, coniug. lib. 1 c. 8, requiritur consensus ad matrimonii validitatem, totalis libertas ac securitas . . . . ne quis propter timorem dicat amare quod odit; et idcirco exinde sequatur infelix exitus, qui ex invitis nuptiis provenire solet . . . .*

Hinc non solum metus de quo dicitur in virum constantem cadere, sed etiam metus reverentialis, dummodo sit qualificatus, aut importunis precibus et suasionibus, quae emissae a persona, cui resisti non possit, vim habent coactionis; Sánchez *de matrim, lib. 4 disp. 7 n. 4 et seqq.;* aut minis praecisis, percussionibus, increpationibus assiduis et saepius repetitis, ac gravioribus circumstantiis. Attamen probationes pro statuenda nullitate vinculi matrimonialis, ex cap. vis et metus, debent esse concludentes ex consensu omnium theologorum et canonistarum; Schmalzgrueber *Ius can. univ. t. 4 p. 1 tit. 1 n. 432.*

Ad matrimonium deveniendo de quo agitur , consultor censuit ipsius nullitatem haud probatam fuisse sufficienter, variis de causis. Et L quia assertiones Ioannis, postulantis declarationem nullitatis matrimonii, nullam fidem merentur, tum quia testimonium profert de seipso et in propriam utilitatem , tum quia eius testimonium falsitatibus et contradictionibus comitatur , ceu ex actis processus facile evinci potest. Agitur enim de homine qui minatur relinquere religionem catholicam, ut in secta protestantica uxorem haereticam ducere valeat. Parochus autem retulit, Ioannem esse hominem garrulum , impium, vilem , et talem qui patriam, patrem fidemque denegare capax omnino sit, pauco pro argento. Nec affectum erga fidem eum movere ad quaerendam declarationem nullitatis matrimonii , ait Parochus idem. 2. Quia testes inducti ad probandum matrimonium contractum fuisse per vim et metum , haud concludenter probant, revera adfuisse vim et metum. Primus testis qui nunc in aetate 43 annorum constitutus est, tresdecim annos natus erat quando anno 1851 matrimonium celebratum fuit. In prima sua depositione loquitur de morali coactione patris erga Ioannem, et adiecit nil aliud possem dicere quoad actus violentiae. Postea addidit quod in die nuptiarum locum habuerunt physicae violentiae. Sed de hisce gravibus circumstantiis , neque Ioannes , neque alii duo testes mentionem faciunt.

Secundus testis est de auditu , non de visu, et rogatus fuit non a iudice ecclesiastico, sed a iudice laico in tribunali civili.

Tertius testis fuit Noverca Ioannis in aetate annorum 85 •constituta, infirmae valetudinis et morti proxima, quando depositionem fecit, quae omni caret iuridica forma. Insuper hanc depositionem et relationem sibi a semetipso Ioannes procuravit.

Brevibus ex hisce animadversionibus erui datum est, ait Canonista, quod testes adducti a Ioanne haud concludenter probant, ipsum inductum fuisse per vim et metum,

iniuste a patre incussum, ad matrimonium cum Eleonora celebrandum. Quinimo deprehenditur sponte ac libere a Ioanne celebratum fuisse dictum matrimonium , si perpendantur assertiones sponsae, aliorumque testium depositiones. Licet enim sponsae assertiones non sint habendae in omnibus firmae et veritati consonae, quia pro seipsa testimonium perhibet, videntur tamen fidem mereri prae assertionihus Ioannis, quia testium depositionibus roborantur, et quia post separationem ipsa honestam et tranquillam ducit vitam. Sufficiat quoad testes , aliis omissis, pernoscere relationem Sacerdotis qui nuptias Ioannis benedixit. Ait iste : ignotum omnino mihi est, Ioannem a patre adactum fuisse ad matrimonium contrahendum cum Eleonora : hinc mendacium esse pro certo mihi est. Ergo violentiae non extiterunt ; et ex his quae matrimonium praecesserunt matrimonii nullitas adstrui nequit. Ad examen revocando quae matrimonium subsequuta sunt, animadvertit consultor, per 24 annorum spatium , seu per longaevam cohabitationem cum uxore sua vixisse Ioannem. Ex qua longaeva cohabitatione, matrimonium huiusmodi ratificatum fuisse , retineri debet, etiamsi per vim et metum, a patre iniuste incussum, initum fuisset. Coscius *de Separat, thori lib. i cap. S n. 68* ait : <c excluditur metus si subsequuta fuerit, sine ulla quaerela, » longaeva cohabitatio. » Schmalzgrueber,/^, *can. univ. t. 4. p. 1 tit. 1 n. 419.* Quis enim diceret Ioannem ex metu cohabitationem per 24 annos continuasse ? Insuper ex actorum serie clarum fit, Ioannem propria industria et proprio labore vixisse, et ideo evanescit etiam probabilis ratio vis et metus ex parte patris.

Sententiae autem quod revalidan possit matrimonium ex metu initum, subscribit Ecclesiae doctor s. Alphonsus de Ligorio *Lib. 6 de matrim, cap. 3* aiens: sufficere consensum partis metum passae , vel ficte consentientis, expressum per copulam coniugalem vel per cohabitationem, una cum consensu alterius prius dato , ad faciendum vali-

dum matrimonium. (1) Nunc si impedimentum ex vi et metu adfuit, fuit occultum ; dum neque Sacerdos qui nuptias benedixit, et apud quem Ioannes morabatur ratione officii organistae, id noverit. In casu autem nostro adsunt etiam conditiones requisitae a Schmalzgrueber *loc. cit. n. 421;* nempe ratificans novit matrimonium, prius contractum, esse invalidum. Ioannes fatetur dignovisse matrimonii nullitatem, tamen per 24 annos cohabitavit. Adest longaeva cohabitatio, quae omnino spontanea fuit, ita ut cessaverit etiam causa timoris. Quibus praemissis , conclusit Consultor , non esse recedendum a sententia in prima instantia, in favorem sacri vinculi prolata.

ANIMADVERSIONES S. VINCULI DEFENSORIS. Cum, ait ille, lex civilis prohibeat ne quaevis auctoritas, extra civilia tribunalia, iuramentum excipere possit, ideo necessario deprehenduntur variae irregularitates in processus instructione. Quidquid tamen sit de his irregularitatibus, quarum pars si sananda sit videant Emi Patres, defensor s. yinculi ait, sese adhaerere voto Canonistae, qui pro validitate matrimonii suffragium tulit. Hinc defensor amplexatus est sententiam, quod nempe neque metus sufficiens adfuerit, neque si adfuit , eius existentia probata fuit. Hanc secundam partem sapienter a Canonista disputatam fuisse et proinde ne dicta repetat tantum sibi superesse, ait, demonstrandum, metum eiusque causam defuisse.

Optimo iure vis et metus inter impedimenta matrimonii dirimentia adnumeratur; ast non quivis metus matrimonium dirimit, sed ille quem describit Schmalzgrueber *Iur. can. part. 5 tit. 40 n. 2:* seu *metus gravis, qui et iustus et probabilis dicitur, et qui in virum constantem cadit, seu qui talis sit, ut eum qui illum patitur, etsi alias fortis et constans sit a proposito dimovere valeat.* Hinc omnes doctores conditiones quasdam enumerant, quae metum ipsum, tum in gravitate, tum in sua efficacia determinant ut inde

(1) Recole Vol. XI har. epliem. pag. 338.

dici possit gravis, iustus et in virum constantem incidens. Quas conditiones enucleant Schmalzgrueber *loc. cit.* n. *3;* Sánchez *de Matrim, lib. 4 disp. 1 n. 19.*

Age nunc : impenderat ne Ioanni grave malum , prout prima conditio expostulat ? Quid ipse formidabat ? Minas sibi illatas a patre , quasque supra retulimus , tales non fuisse quales canones requirunt, certum est. Nam non agitur de puella quae e domo reiecta, quo se confugiat nescit; sed agitur de iuvene qui in eo est, ut vigesimum aetatis annum compleat. Agitur de adolescente, cui non desunt patroni, praesertim inter presbyteros, quibus ipse et pater pulsantibus organis" inserviunt. Et quatenus iuvenis fuisset relictus a patre, poterat sibi consulere, ceu evenit paulo post a celebratione matrimonii, quia iam officio organistae fungebatur in Ecclesia parochi, qui eius nuptiis benedixit. Qua de re fame perire nequibat. Sed pater addebat, se nihil ei de familiae bonis daturum. In primis e processu nescitur quaenam fuerit patris conditio; at non videtur grave patrimonium is possidere, ex quo dicitur vivere officio organistae. Hinc quorum bonorum amissionem Ioannes timere potuit, ut, spe illa consequendi , contra voluntatem , abominabile -vinculum perpetuo iniret ? Neque pater ex lege civili exhaeredare potuisset filium, absque legitima causa in iure expressa. Si autem agatur de metu bona libera amittendi, iuxta doctores, hoc non constituit metum cadentem in virum constantem , quia filius, quoad illa, ius ad rem non ha,bet, et patri libere de iis disponere ius est. Ideo timor huiusmodi reducitur ad metum lucri amittendi, quod requisitum metum non constituit ; Pontius *de Matrim, lib. 4 cap. 5 n. IO,* Sánchez *de Matrim, part. 4 disp. 5 n. 28.*

Admissa quoque malorum gravitate, nescitur ex processu an pater esset levis vel pertinax et solitus minas exequi, vel potius esset homo iactabundus et facile iram deponens. Quod autem pater addiderit minis percussiones, ceu aliquis testis retulit, rite probatum non fuit ; idque satis demonstravit Canonista in suo voto.

Verumtamen admittamus, ait defensor, graves saevitias et gravia mala a patre ei minitata fuisse , quaeri adhuc potest, erant ne omnia haec inevitabilia? Nullum ne aderat medium , quo agimus patris temperari possit ; eumque adduci ad saniorem mentem ? Hoc requirunt canones : qui aperte loquuntur, quaecumque mala, etiam gravissima exulare vel inefficacia esse ad metum constituendum , quando ad consanguineos , ad amicos , ad probos viros facilis est recursus , ut qui ea minitatur, animum mutandum ab eis suadeatur. Aliter imputetur ei qui facile potuerit vitare malum, si timore illius aliquid egit.

In casu aderant Presbyteri, patri atque Ioanni noti et amici, ad quos facile erat recurrere. Ioannes haud erat timida puella , quae domi restricta animo et potestate carebat coram eisdem sistere, eosque adprecari, ut patrem a proposito dimoverent, et in filium non esse inseviendum hortarentur. Omnia omisit Ioannes.

Ast orator recursum facere ad metum reverentiae videtur quando ait : quum meum patrem vere amarem, eius minis cedere debebam. Inficiari nequit, doctores ad calculum ponere reverentiam erga patrem, sed etiam quaedam mala evitanda adesse requirere. Ita Sánchez, aliis praeteritis, in *lib. 4 disp. 6 n. 7* € ultima sententia quam multo verio-
» rem puto, docet, solum metum reverentialem, nisi minae
» aut verbera, aut alius metus gravis illis adiungatur non
» cadere in virum constantem, ac proinde nec annullare ma-
» trimonium. » Item Reiffenstuel *lib. 3 tit. 41 de reg. et trans. n. 165.*

Hisce in iure statutis , facile ex antea disputatis, resultat, non utiliter invocari huiusmodi metum in casu. Sed admisso etiam uti sufficienti nudo metu reverentiali, requiritur ut agatur de filio benemorato, optimae indolis, et non communi amore erga parentes fragrante. Ioannes autem hoc amore affici erga patrem dici videtur non posse; si attendatur quod ipse rogatus deposuerit apud Consistorium Culmen, sese habuisse patrem uti praecipuam causam ea-

lamitatis suae, ideoque nihil curavisse scire an viveret vel mortuus esset. Ab hac depositione iam ante sex menses, diem pater obierat supremum. Ast si post matrimonium tanto odio tantoque aspernatu patrem prosecutus est, ut neque agnoscere curaverit an viveret, dici ne poterit tali indole naturaliter praeditum antea esse, ut ne patri displiceret tanto sacrificio eius amore se subdiderit?

Praeterea quum agatur de matrimonio, causa abominationis necessario adesse debet, ut evinci queat, vim metumque adfuisse. Ast in casu qualis esse potest ? forsan amor castitatis ? Ast quis id serio asserere valebit ? inopportunitas temporis, ut'magis studio incumberet? Ast iam capax fuit magisterii exercitio; et eius indolis erat ars, cui indulgebat, ut etiam uxoratus'eidem operam im pendere potuisset, auctus praesertim mediis ex bonis uxoris.

Hisce omnibus absolutis enodandum propositum fuit

Dubium

An sententia Curiae Ecclesiasticae Culmen, sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . re discussa, sub die 16 Decembris 1882 censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex QUIBUS COLLIGES I. Etiam ex divo Thoma *in 4 dist. 29 quaest, unie. art. 3 quaest. 1 in corp.* matrimonium, metu gravi iniuste incusso, initum in utroque iure nullum irriturnque fieri.

II. Attamen standum esse pro validitate matrimonii, quatenus omnibus consideratis, dubium supersit, an metus iniuste ad matrimonium contrahendum incussus, gravis considerandus sit nec ne ; vel quatenus gravis extiterit, sed concludenter probari nequivit.

III. Etenim, praeterquamquod cum contractus celebratus est, possessio , seu praesumptio stat pro eius valore , idem exposcere videntur tum reverentia sacramento debita , tum respublica, prolesque educanda , quarum interest ut matrimonia non solvantur.

IV. In themate videri aut nullimode adfuisse vim metumque ad matrimonium ineundum ; aut, si adfuit, rite probatam non fuisse.

V. Quum, ex parte patientis vel inferentis metum, agatur de re difficilis probationis, indicia et coniecturae, et etiam consanguinei materque ipsa ad probandum admittuntur, ut morali certitudine innotescat, an metus, cadens in constantem virum, incussus sit.

VI. In themate existentiam metus, ad matrimonium ineundum incussus, concludenter haud probatam fuisse videri neque ex coniecturis aut indiciis, neque ex testibus consanguineis aut extraneis.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Responsum
respiciens tempus medium quoad ieiunium naturale servandum, et officium divinum recitandum.

Die 29 Novembris 1882.

Hac sub die s. Tribunali s. Poenitentiariae Apostolicae sequens propositum fuit

Dubium.

« Utrum, ubi horologia adhibentur, tempori medio accommodata,
» ipsis sit standum, tum pro onere divini officii solvendo, tum pro
» ieiunio naturali servando; vel debeat quis, aut saltem possit uti
» tempore vero? »

Sacra Poenitentiaria huic dubio respondit: « *Fideles in ieiunio naturali servando, et in officio divino recitando, sequi tempus medium posse, sed non teneri.* »

EX 3. CONGREGATIONE RITUUM

NOVARCEK.

Usus invaluit in Dioecesi Novarcensi, ut super Altaria, una cum candelis ex cera confectis, lumina ex gaz accendantur; ad maiorem splendorem obtinendum. Dubitans porro hodiernus Episcopus Novarcen. utrum id liceat, a Sacra Rituum Congregatione exquisivit: An super Altari, praeter candelas ex cera, tolerari possit, ut habeatur etiam illuminatio ex gaz, vel an usus praedictus prohiberi debeat? Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, eiusmodi dubio rescribere censuit: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.* Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 8 Martii 1879.

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis. In quorum fidem etc. Ex eadem Secretaria hac die 13 Aprilis 1883.

Pro R. P. D. **L**AURENTIO **S**ALVATI S. R. C. Secretario
IOANNES Cñcus **P**ONZI Substitutus.

RAVENNATEN.

Metropolitanae Ecclesiae Ravennaten, sacrarum Caeremoniarum Magister a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem, de consensu sui Rmi Archiepiscopi, humillime expostulavit, videlicet:

In quibusdam Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis die sancti Marci aliisque diebus Rogationum, post Nonam fit Processio, Litanias Sanctorum decantando. Hisce absolutis, unus e Beneficiatis, sive Capellanis, canit Missam Rogationum, in qua Crux Capituli adstat in cornu Evangelii. Post Missam capitulum et clerus redeunt in Sacrarium cum Acolythis, absque Cruce, prouti diebus ferialibus. Quaeritur:

L In Missa Rogationum, quae canitur a Beneficiatis, sive Capellanis, collocari ne potest Crux Capituli in cornu Evangelii, sicut fit in missis canonicalibus?

II. Absoluta Missa, reditus in Sacrarium fieri ne debet processionaliter cum Cruce?

Sacra porro eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, audi taque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative, iuxta consuetudinem Sacrosanctae Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis.*

Ad II. *Provisum in primo* - Atque ita rescripsit die 5 Ianuarii 1883.

D. Cardinalis **B**ARTOLINIU» S. R. C. Praefect.
Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

APPENDIX VI.

De nativitate Raphaelis Sanctii saeculari festo recolenda

Sicuti quum saecularia festa agerentur ad recolendum Michaelis Angeli Bonarotae natalem diem, in eius viri honores noster menstruus libellus suam symbolam contulit; ita nec per hos dies, quibus eadem de causa Raphaelis Sanctii memoria celebrantur, siluisse fas erit. Imo eadem prorsus ratione, ipsique libello admodum apta, tributum sol vemus nostrum. Tunc enim Pauli tertii romani pontificis ad Michaelem Angelum epistolas exhibuimus, editas licet at non passim obvias, per quas monumentum aere perennius tum Michaeli Angelo, tum ipsi Paulo Pontifici exigitur .Modo vero duas Leonis X, qui eodem quo Paulus saeculo, romanae praefuerat Ecclesiae, damus epistolas, quibus tum illud firmatur, bonorum artium studio adeo fere ac divinae religionis sollicitudine, Pontificum pectora caluisse.

Quae epistolae quamvis inter alias niteant, quas Petrus Bernbus Leonis X nomine scripsit, attamen , non quidem lectoribus nostris, sed certe illis qui hodie palmam litterarum ac historiae, nullo permittente, sibi arripiunt, oblivioni penitus, ne dicam sepulturae, traditae videntur. Nisi enim ita esset, nec Raphaelis saeculare festum cum iniuria Romanorum Pontificum agere se posse sommassent, nec ab artium bonarum favore et patrocinio eam. gentem extulissent, quae omnem bonarum artium curam publice perpetuoque , historia teste , neglexit.

RAPHAELLO URBINATI.

(**Lib. IX,** Ep. **13.**)

LEO **P**APA X.

Cum praeter picturae artem, qua in arte te excellere omnes homines intelligunt, is a Bramante architecto etiam in construendis aedibus es habitus, ut tibi ille recte Principis Apostolorum templi romani, a se inchoati aedificationem committi posse moriens existimaverit, idque tu nobis forma eius templi confecta, quae desiderabatur, totiusque operis ratione tradita docte atque abunde probaveris; nos quibus nihil est prope antiquius, quam ut fanum id magnificentissime quamque celerius construatur, te magistrum eius operis facimus cum stipendio numum aureorum trecentorum tibi annis singulis curandorum a nostris pecuniarum, quae ad eius fani aedificationem erogantur ad nosque perferuntur,,

magistris: a quibus id stipendium aequis pro tempore portionibus dari tibi cum petieris, sine mora etiam mensibus singulis iubeo. Te vero hortor, ut huius muneris curam ita suscipias, ut in eo exercendo cum existimationis tuae ac nominis, quorum quidam in iuvenili aetate bona fundamenta iacere te oportet, tum spei de te nostrae paternaeque in te benevolentiae, demum etiam fani, quod in toto orbe terrarum longe omnium maximum atque sanctissimum semper fuit, dignitatis et celebritatis, et in ipsum Principem Apostolorum debitae a nobis pietatis rationem habuisse videare. Dat. Cal. Aug. Anno secundo. Roma (1514).

RAPHAELLO URBINATI.

(Lib. X, Ep. 52.)

LEO **P**APA **X.**

Cum ad Principis Apostolorum fanum romanum exaedificandum maxime intersit, ut lapidum marmorisque copia, qua abundare nos oportetdomi potius habeatur quam peregre advehatur, exploratum autem mihi sit magnam eius rei facultatem urbis ruinas suppeditare, effodique passim omnis generis saxa fere ab omnibus, qui Romae quique etiam prope Romam aedificare aliquid vel omnino terram vertere parumper moliuntur, Te, quo magistro eius aedificationis utor, marmorum et lapidum omnium qui Romae quique extra Romam denum millium passuum spatio posthac eruentur, praefectum facio ea de causa ut quae ad eius fani aedificationem idonea erunt mihi emas. Quare mando omnibus hominibus, mediocribus, summis, infimis: quae posthac marmora quaeque saxa omnis generis intra eum quem dixi loci spatium'eruent, effodient, ut te earum rerum praefectum de singulis erutis effossisque quamprimum certiorem faciant. Id qui triduo non iecerit, ei a centum usque ad trecentum numum aureorum quae tibi videbitur mulcta esto. Praeterea quoniam certior sum factus multum antiqui marmoris et saxi litteris monumentisque incisi, quae quidem saepe monumenta notam aliquam egregiam praeseferunt, quaeque servari operae pretium esset **ad** cultum litterarum romamque sermonis elegantiam excolendam, a fabris marmorariis eo pro materia utentibus temere secari, ita ut inscriptiones aboleantur, mando omnibus qui caedendi marmoris artem Romae exercent, ut sine tuo iussu aut permissu lapidem ullum inscriptum caedere ¡secare ve ne audeant, eadem illi muleta adhibita qui secus ac iubeo fecerit. Dat. sexto Cal. Septemb, anno tertio. Roma (1515).

BREVE, quo Sodalitio ab ADORATIONE REPARATRICE nuncupato variae conceduntur Indulgentiae.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Hac in adversitate temporum, dum tot tamque scelera videt lugetque Christianus Orbis , atque incredibili prorsus impietate profligatissimis ab hominibus praecepta Dei conducantur, Nobis innumeris quotidie amaritudinibus saturatis, haud levi solatio est studium et sollicitudo bonorum, qui in Dominum ausu temerario illatas iniurias pro viribus rependere nituntur. Gratus idcirco Nobis est atque acceptus ille piorum consensus fidelium, qui sodalitia instituentes, in réparatrices preces Deo iugiter adhibendas, nec non domus divinae cultum provehendum, aeternamque animarum salutem ^procurandam, curas suas omnes cogitationesque collocarunt. Haec inter sodalitia fidelium qui alacriter in vinea Domini adlaborant illud praecipue adnumerandum esse censemus quod ab Adoratione Reparatrice gentium Catholicarum titulum obtinet, et in hac alma Urbe Nostra canonice institutum existit; frugifero enim ab hoc Instituto quod in universum terrarum orbem extenditur, longinquae regionis dissitaeque gentes, una precum communione sociantur. Nam •cum praecipuus sit dicti operis finis, precibus quadraginta horarum •continuatarum quae perpetuo in Urbe habentur, Reparationis Universalis vim tribuendi, Christifideles in pium huiusmodi opus adlecti, qualibet e Christiani populi gentes sint orti, si in Urbe commorentur, constituto per hebdomadam die, pro unaquaque natione, in Urbis Ecclesiis, quadraginta horarum expositioni, stata hora, per aliquod temporis spatium adstare, si vero extra Urbem degant, similibus pro quaque natione per hebdomadam die et hora constitutis, Ecclesiam in qua Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur visitare, pariterque per aliquod temporis spatium iuxta Sodalitii instituta orare solent. Nunc autem cum dilectus filius Presbyter Antonius .Brugidou dictis pii operis moderator supplices Nobis preces humiliter adhibuerit, ut pium hcc Institutum coelestium munerum, quorum dispensationem Nobis Altissimus credidit, «largitione augere dignaremusj Non hisce votis quae in spirituale

Universi Orbis Christifidelium bonum cedunt, quantum in Domino» possumus, annuendum benigne censuimus.

Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et pro tempore dictum in pium opus adlectis fidelibus extra Urbem degentibus , qui iuxta Sodalitatis supra memoratae instituta , in sua quisque regione quamlibet Ecclesiam devote visitaverint in qua Sacramentum Augustum asservetur , et coram ipso per mediam circiter horam oraverint, dummodo reliqua quae iniuncta sunt pietatis opera in Domino rite praestiterint , ut, quotidie , omnes et singulas Indulgentias , peccatorum remissiones , ac poenitentiarum relaxationes consequantur , quas consequerentur , si orationi quadraginta horarum iisdem diebus in Ecclesiis Urbis adfuerint, de Apostolica Nostra auctoritate vi praesentium concedimus. In Urbe vero Nostra, Instituti centro, nunc et pro tempore item existentibus sodalibus , dummodo vere poenitentes et confessi ac s. Communione refecti, cuiuslibet hebdomadae die per Sodalitatis statuta ipsis designato , vel alio die , quatenus legitime fuerint impediti, pium opus Adorationis in Urbis Ecclesiis in quibus fit quadraginta horarum Oratio, rite peregerint, praeter quadraginta horarum Indulgentias, omnes et singulas, uno die singulis per annum mensibus cuiusque eorum arbitrio sibi eligendo , etiam Plenariam omnium peccatorum suorum misericorditer iu Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus-perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis , et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis , eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub Annulo Piscatoris , die VT jnensis Martii arari MDCCCLXXXIII Pontificatus Nostri Anno Sexto-

TH. Card. **MERTBL.**

LITTERAE ad Praesidem catholicae Societatis Hungariae.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam benedictionem.

Incorruptae fidei et egregiae in ISos voluntatis vestrae testes gratissimae Nobis exstiterunt obsequiosae litterae, quas post conventum Orosházae habitum ad Nos dedistis. Fieri enimvero non poterat quin iucunda Nobis acciderent ea quae retulistis de exordiis ac felicibus incrementis societatis vestrae, deque concordi studio, quo sub ductu et auspiciis ecclesiasticae auctoritatis ad tuendam provehendamque rem catholicam in Hungariae regno, salutemque proximorum curandam incumbitis.

Imprimis vero Nos delectarunt ea quae per vos in nuperrimis comitiis decreta et constituta fuisse nunciastis, ut nempe iuventus iuxta sanam doctrinam instituatur, scriptaque salutaria ad custodiendam et servandam integritatem fidei comparata, quam latissime fieri potest ope ephemeridum, librorumque edendorum propagentur. Ac nihil sane antiquius aut optatius esse Nobis potest, cernentibus gliscentem in dies audaciam impiorum et omnia molientem, ut fidem ubique moresque corrumpat, quam ut videamus ex adverso excitari et incendi zelum bonorum, qui connitantur alacriter reparare damna religioni illata, veritatis causam defendere, pietatis ac virtutum ceterarum cultum amplificare. Firmiter itaque confidimus sedulam quam conferetis operam ut inita consilia et proposita exequamini, decori fore Ecclesiae et patriae vestrae, subsidio et solatio Sacrorum Antistibus, ac plurimum cunctis Hungariae fidelibus profuturam. Nos interim praepotenti Deo preces convertimus ut propitius coetum vestrum respiciat, fortunet ac sospitet: dirigat Ipse gressus vestros, mentes illustret, manus roboret, ut feliciter operemini opus vestrum, et laetamini in misericordia Eius. Auspicem denique ubertatis caelestium munerum, et paternae Nostrae charitatis testem, Apostolicam benedictionem vobis universis et singulis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 8 Martii an. 1883. Pontifit ìli- Nocivi Anno Sexto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DISPENSATIONIS

SUPER DEFECTU NATALIUM

Lie 9 Septembris 1882.

Per summaria 'precum.

COMPENDIUM FACTI. Franciscus illegitimo thoro natus, opera cuiusdam sacerdotis, nunc defuncti, studiis theologicis feliciter absolutis, cupiens militiae ecclesiasticae nomen dare, ab Ordinario promotus fuit ad tonsuram ac minores ordines. At nunc optans ad sacros ordines maiores ascendere , ad suum votum implendum, supplici dato libello humiliter sacratissimum Principem deprecatur, ut dispensationis beneficium, circa irregularitatis impedimentum, benigne concedere dignetur.

Precibus oratoris Ordinarius propitium votum adiunxit, causasque nonnullas pro consequenda dispensatione, super defectu natalium proposuit, et tandem circa ingenium ac bonos Francisci mores testimonium non leve fecit.

Disceptatio SynoptJca.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Illegitimos omnes ab ordine suscipiendo arcendos esse usque ad evidentiae fastigium scatet *Cap. Inter dilectos de excess, praelat.* idque salubriter tribus potissimum de causis constitutum fuit. Primo, ob Ordinis praerogativam seu excellentiam atque dignitatem: unde indignum censetur, ut conferatur personis tam vilibus et

quae notam turpitudinis contraxerunt. Deinde ob detestationem atque execrationem paterni criminis , quod punitur in filio, ut per hoc puniatur ipsemet pater, *arg. I. Isti quidem §. fin. ff. de eo quod metus causa et 6 vergentis 10 de Haereticis.* Tertio tandem propter incontinentiam paternam, quae merito timetur in filio, *arg. Com. si gens dist. 56,* quia iuxta illud vulgatum : *saepe solet similis filius esse patri.* Neque cum iis facile dispensari solet, speciatim si publici scandali periculum adest, vel cum eo dispensandum sit, qui, ceu in casu , a personis progenitus est, inter quas matrimonium iure consistere non poterat. Quin imo tanto difficilius cum illegitimis dispensari solet, quanto eorum origo est turpior, ad tradita per D. Thomam *in 4. sententiar. dist. 25 quaest. 2 art. 1 quaest. 3* - ibi - « Ordinati in quadam dignitate prae aliis constituun- » tur. Ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas » quaedam-, non de necessitate sacramenti, sed de necessitate » praecepti, ut scilicet sint bonae famae , bonis moribus » ornati, non publice poenitentes. Et -quia obscuratur ho- » minis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo » thoro nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis » dispensetur: *et tanto est difficilior dispensatio, quantum » eorum origo est turpior* ». Cum igitur in casu origo clerici Francisci turpissima censeri debeat, quandoque ex sacrilega unione genitus existit; cum pariter prudentem timendum sit, quod ex dispensatione publici scandali periculum oriatur, hinc prudenter concludi posse videtur, ipsius preces excipi non posse.

GRATIA CONCEDENDA VIDETUR. Altera vero ex parte animadvertendum occurrit, quod licet de veritate expositorum minime dubitari queat , tamen in facto est quod Ecclesia imploratam dispensationem indulgere soleat, quoties rationabiles adsunt causae, quae ipsam indulgendam esse suadent, «'ansae vero ob quas s. Sedes solet dispensare circa irregularitatem, ex defectu natalium, sunt praecipue evidens Ecclesiae" utilitas , probati oratoris mores cum optimo ipsius

ingenio coniuncti. Porro huiusmodi rationabiles causas in quo versamur themate adesse, nullo pacto ambigi posse videtur. Sane quod adsit Ecclesiae utilitas scatet ex Episcopi informatione, qui inter causas pro dispensatione imploranda recenset parvum et imparem sacerdotum numerum in sua dioecesi existentem. Quoad probatos oratoris mores Episcopus haec habet: « Quod attinet mores eiusdem, pariter sperare licet, fore, ut idem iugi conatu in melius semper proficiat, et statui clericali ignominiam haud afferat. »

Tandem relate ad oratoris ingenium ipse Episcopus retulit, quod *dictus iuvenis bono successu studia theologica absolvit ;* et ideo eumdem commendat Apostolicae Sedi, ut *pro recipiendis ordinibus omnibus maioribus gratiose dispensetur.* Propitium Episcopi votum magno in pretio a S. C. C. haberi plurima exempla testantur. Quin a tali dispensatione concedenda retrahere valeat publici scandali periculum ; nam sacrilega clerici oratoris origo ita vulgata haud est, ut publicum quod timetur scandalum, reapse contingere valeat. Sane Episcopus perhibet, quod *in communi hominum opinione filius legitimus* existimabatur, licet, « mortuo patre *adoptivo in quorumdam notitiam* venit eiusdem origo vitiata; ita ut sacrilega haec Ioannis origo *non sit omnino occulta.* »

Cum igitur ex una parte publici scandali periculum valde remotum sit; ex altera vero cum rationabiles causae existant, quae dispensationem super natalium defectu inducendam esse suadeant, pleno veluti alveo fluere videtur, oratoris precibus annuendum esse. Idque praesertim quia huiusmodi gratias a S. C. C. pluries concessas fuisse erui datur ex *Neocastren. et Cathanen. Dispensationis et aggregationis diei 8 Augusti 1847.*

Quibus hinc inde cribratis, quaesitum fuit quomodo oratoris preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra Cc C. re cognita, sub die 9 Septembris 1882 respondit :

Pro gratia dispensationis et habililationis ad susci-

piendos sacros ordines, usque ad presbyteraUtm inclusive: ita tamen ut, si commode fieri possit, orator post ordinationem transferatur in aliquam dioecesis partem, in qua defectus penitus ignoretur, facto verbo cum SSmo.

Ex **QUIBUS COLLIGES.**

I. Ecclesiam velle clericorum ministerium esse *utile* et *honorabile :* hinc exclusit nonnullas personas , quorum ministerium in alterutro, vel in utroque deficeret, easque constituit esse irregulares.

II. Ordinatos enim in quadam constitui dignitate prae aliis , ambigi nequit ; ideo etiam illegitime nati a susceptione ordinum repelluntur , quia vitiosa eorumdem origo claritatem inficit, in hominum aestimatione (1).

III. Illegitime natos, per Apostolicam dispensationem ad ss. Ordines promotos, iuberi, ut plurimum sacrum exercere ministerium in locis quibus defectus ignoretur « *ut » paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis* > *longissime arceatur; Trid. Sess. 25. cap. 15.* » (2).

(1) Ivo carnutensis in sua praefatione haec habet : « Quidam RR. Pontifices docuerunt, ne filii presbyterorum assumerentur ad presbyteratum , non quod personarum acceptio apud Deum alicuius sit momenti, vel natura, quae omnium par est genitrix, ab aliquo possit reprehendí , vel filius pro iniquitate patris -condemnari... sed ad reprimendam quo-, rumdam presbyterorum incontinentiam, vel tutius muniendam aliorum continentiam. »

(2) Ex interpretatione *Constit. Cir~ <sumspecta* - Gregorii XIV negantsr filio illegitimo quaecumque iura in Ecclesia in qua Pater ministravit. Qua de re in Oritana diei 4 Iul. 1645 (lib. 18 decret, pag. 492) quaesitum est: « an filius illegitimus patris Parochi, iam defuncti, posset audire confessiones, in Ecclesia, in qua Pater fuit Parochus, vel saltem esset locus dispensationi. » S. Cong. respondit: « Non posse. « Quae omnia iure communi procedunt, nisi Apostolica Sedes dispensandum censuerit ex causis gravibus et iustis, sibique bene visis, ceu factum fuisse in themate liquet.

FLORENTINA

PENSIONUM

Die 16 Decembris 1882

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Florentinus die 14 Decembris anni 1880 S. C. C. exposuit : quasdam pensiones, ex decreto Archiepiscopi Martini, anno 1782 paroeciali praebendae parochi s. Mariae a Fagna impositas esse , favore octo parochorum , easque iugiter exsolutas fuisse. Verumtamen parochus nùperrimus, addidit Praesul, renuit easdem rependere pensiones, his rationibus innixus, quod nempe Ordinario Florentino ius non erat perpetuam imponendi pensionem , et quia in eius decreto nulla mentio fit de facultatibus Apostolicis. Archiepiscopus de voto rogatus, ait: quaesivi in archivio Cancellariae documenta, quibus quaestio clarescere valeret: et quamquam haud repertum fuerit pontificium rescriptum , tamen supplex inventus fuit libellus ad R. Pontificem pro necessariis facultatibus obtinendis admotus. Quamobrem si factum hoc cum verbis decreti Archipraesulis conferimus - *auctoritate nostra ordinaria et quocumque alio meliori modo* - praesumi licet, Praesulem illum obtinuisse quidem Apostolicas facultates, sed de eisdem mentionem aperte facere nequivisse in decreto, ratione iniqui temporis. Etenim neminem latet tristis servitus , cui florentina aliaeque Hetruriae Ecclesiae subiiciebantur a tempore Petr Leopoldi, magni Ducis.

Disceptatio synoptiea

IURA OCTO PAROCHORUM. Sive in possessorio, sive in petitorio res inspici placeat, illud semper consequitur , quod Parochus pensiones solvere teneatur. Revera quod attinet possessorium iudicium, cum Parochus s. Mariae ab anno 1782

usque ad annum 1880 hasce pensiones adamussim solverit, ac proinde memorati Parochi eas pacifice semper perceperint, nulla profecto pretiosa excogitari potest ratio, qua repente ab antiquissima et pacifica sui iuris possessione exturbari queant. Neque aliud iudicium in praesenti casu institui posse videtur, quam possessorium. Cum enim de antiqua praestatione res sit, quam ipsi a suis praedecessoribus acceptam habuerunt, atque una cum parochiali praebenda fuerint adepti, hinc non de re aliqua vindicanda , sed de sola possessione retinenda agendum est.

Verum etsi in petitorio iudicio disceptanda res foret, haud tamen Parochorum ius vacillaret. Nullatenus enim dubitari valet quin Archiepiscopus Martini, Apostolica praeditus facultate , pensiones istas constituerit. Quandoquidem ab exemplari supplicis libelli, Romano Pontifici porrecti, constat, quod animadvertens ipse praebendam Ecclesiae s. Mariae ad ingentem summam scutatorum 548 tunc temporis, demptis taxis, ascendere , et contra octo alias Ecclesias praebendas admodum exiguas possidere , in votis habuerit harum Ecclesiarum rectoribus, aliqua ratione, consulere.

Neque refert quod impetratae Pontificiae facultatis vel nullum vestigium modo reperiatur , vel Archiepiscopus in suo decreto expressam mentionem facere omiserit. Quoad primum siquidem obiectum quaevis difficultas corruit, si perpendatur a die impositae pensionis ad nostra tempora spatium centum annorum lapsum fuisse. Porro si lapsus 30 annorum tantam vim habet, ut beneplaciti Apostolici existentiae vehementem praesumptionem inducat, multo magis in themate huiusmodi beneplacitum haud exulasse retinendum est, cum constet non per 30 annorum spatium , sed per 100 annorum lapsum, pensionem persolutam iugiter fuisse.

Quo vero ad alterum obiectum, ex historia impositionis harum pensionum apparet, rationem admodum gravem ita se gerendi Archiepiscopo fuisse. Sane ipse Materassi refert quod cum Florentina Respublica bona omnia Ristoris Ma-

-chiavelli, in seditionis poenam fìsco addixisset, ipsa acquisivit etiam iuspatronatus super memorata Paroecia, una cum Marcinone Rangoni Machiavelli exercendum. Anno vero 1780, vi cuiusdam conventionis inter praedictum Marchionem, et magnum Hetruriae Ducem initae, hic iuripatronatus nuncium misit, ille vero consensum praebuit ut paroecialis praebenda quibusdam pensionibus gravaretur. Hinc mense Iulii anni 1781 expositum fuit Vicario capitulari Florentinae Ecclesiae, voluntatem esse magni Ducis, tertia parte reditus huius praebendae, consulendi quinque vel sex Ecclesiis, magis indigentibus^ regionis vulgo Mugello ; et ipsi facultas committebatur hasce Ecclesias indicandi. Cum itaque magnus Dux in hac re partem habuerit, facili negotio intelligitur cur obtentae facultatis mentio facta haud sit ; ne scilicet zelothypia magni Ducis excitaretur, qui pontificiam potestatem ut sibi hostilem respiciebat.

Cum ex hucusque dictis satis aperte constet, istas pensiones legitime constitutas fuisse, iniuria prorsus Materassi ab hoc onere adimplendo modo eximi conatur; et inutili labore Parochus idem inficiatur hasce pensiones perpetuas esse , eo quod in decreto id expressis verbis haud dicatur, nam legenti decreti verba clare patet, Archiepiscopum Martini declarasse hoc idem per verba aequipollentia. Ex quibus decreti verbis etiam quisque ingenio suo facile percipit, rationem , qua Archiepiscopus ad pensiones imponendas motus fuit, duplicem fuisse; inopiam scilicet in qua illae octo parochiae versabantur , atque redituum excedentia, quibus Plebania s. Mariae a Fagna fruebatur. Tamdiu igitur huiusmodi pensiones perdurare debent, quamdiu praedictae paroeciae in eadem miserrima conditione reperiuntur, et donec Plebaniae reditus tales pensiones sustinere valent. Porro cum ex facto erumpat quod Plebaniae reditus adhuc pingues sint, quodque praedictarum Ecclesiarum rectores congruam sufficientem neque in praesentiarum habeant, omnia iura suadent etiam ab hodierno Parocho pensiones persolvendas fore-

Verum etsi ratio aliqua Parocho s. Mariae opitulari aliquando potuisset, ea tamen praesenti tempore praescriptionis vi sublata ac perempta dici deberet; siquidem omnia requisita praesefert, quibus praescriptio vallari debet, ut vim suam exerere valeat. Sane non deest temporis diuturnitas; nam spatio 40 annorum res vel immobiles Ecclesiarum praescribuntur *cap. de quarta 4; cap. ad aures 6; cap. Illud autem 8 et cap. Quia iudicante de praescript.* In casu vero plusquam centenaria praescriptio habetur, cum ab anno 1782 usque ad annum 1880, huiusmodi pensiones adamussim fuerint solutae: quod temporis spatium ad praescribenda bona immobilia ipsius Ecclesiae Romanae sufficeret. Neque iustus titulus desiderari potest. Namque in primis intelligi nequit quomodo Parochi s. Mariae sine ulla difficultate annuas hasce pensiones iugiter exsolverint, nisi titulo et obligatione aliqua ad id fuerint obstricti. Cum enim de solutione res est non multum homines proclives esse solent, nisi prius titulum et causam apprime noverint. Deinde centenaria praescriptio, uti habetur in themate, natura sua vim habet veri et legitimi tituli et privilegii: ac proinde illam habens meliorem titulum de mundo allegare potest *in summa 2 ff. 7 de aqua, et aquae pluviae arcendos, I. hoc iure 3 §. 4 ff. de aqua quotid. d. super quibusdam de verbor. signif., et s. Bota* in *Praenestina mutae 23 Martii 1819 par. 3 coram Marco* - ibi - « Qui » possessione fruitur centenaria, is certe quocumque meliori » ac potientiori titulo iureque suffultus est. Vis pactum ? » Vis privilegium *1* Cuncta haec , et si quid aliud exoptes » ex possessione centenaria sunt praesumenda. » Huic demum sententiae ipsa S. C. C consonat in *Spoletana Annuae praestationis 24 Aprilis 1875* (1). Quare quocumque sub respectu quaestio consideretur parochorum ius, hasce pensiones exigendi, indubium apparet.

IURA PAROCHI S. MARIAE. EX altera sed vero parte parochus Plebaniae s. Mariae a Fagna ostendere sategit, nulla

(1) **Habes hanc quaestionem relatam Vol. IX pag. 132 har, ephem.**

obstringi obligatione huiusmodi pensiones persolvendi, eo quia non ab Apostolica Sede. sed ab Archiepiscopo Martini, *sua potestate ordinaria* suffultus, impositae fuerunt. Porro quod Episcopus nequeat sua potestate ordinaria pensiones parochialibus beneficiis imponere, docent unanimiter doctores. Inter quos citat Fagnanum, qui in opere - Commentaria in III librum Decretalium Innocentii **1$.** *C. nisi essent; Cap. 26 de praebend. et dignitatibus* in confirmationem huius theoricae affert binas S. C. C. resolutiones ; e quibus, luce meridiana clarius patet, Episcopum, absque Pontificio beneplacito Ecclesiis , quibus animarum cura adnexa est, pensiones ""im ponere haud valere.

Hisce in iure praestitutis , cum in facto consistat quod Archiepiscopus proprio marte dictas pensiones Parochis reservaverit, prono veluti alveo fluit , ipsas quovis firmitatis robore destituías esse. Et re quidem vera legere est in decreto haec verba : *cupientes, quantum in nobis est . . . ideo auctoritate nostra ordinaria . . .* quae dictiones clare innuunt, auctoritate apostolica usum non fuisse Praesulem.

Verum admisso etiam, sed non concesso , quod Archiepiscopus Martini, Tamquam Sedis Apostolicae delegatus, in tali negocio processisset: nihilominus tamen ad harum pensionum satisfactionem sese haud teneri, subdit Plebanus, quia eae perpetuae non sunt. Idque in primis argui posse, asserit, ex ipsius Archiepiscopalis decreti conclusione, quod nempe plebanus Michael Pini dictas pensiones praestare deberet,. *quoad dictam Ecclesiam retinuerit.* Qua de re si onus huiusmodi haud cessaret cum vita plebani Pini, otiosum fieret illud - *quoad dictam Ecclesiam retinuerit.*

Ulterius animadvertit, quod si pensiones hae impositae fuissent perpetuae, hypotheoa ad hoc inscribenda erat: nam per *impositionem pensionis realis inducitur hypotheca specialis super fructibus beneficii, in favorem pensionarli;* Fagnan. *de Praeb, et Dignit. tom. IL et III. pag. 110 n. 58.*

Ast numquam inscripta fuit hypotheca ob hunc titulum

contr¿a paroeciam s. Mariae. Neque inscribi poterat quia decretum Ordinarii satis non erat ad hoc, ut hypotheca inscribi potuisset. Neque- pensionum perpetuitas melius evincitur dicendo: illas impositas fuisse favore Ecclesiarum: nam Ordinarius ait, sic egisse ne cogeretur tot renovare decreta, *toties quoties* aliquis octo Parochorum, aut moreretur, aut Paroeciae nuntium mitteret, sospite plebano Pini, - *quoad dictam ecclesiam retinuerit.* Praeterea nulla fit pensionum mentio, neque quum institutionem orator acciperet, neque in curia Archiepiscopali, aut quando indictus fuit concursus per publica edicta. Haec omnia omitti nequibant, quatenus huiusmodi pensiones perdurare, ultra plebani Pini vitam, debuissent.

Obiectioni autem quod Parochi illas minime suivissent, nisi reapse perpetuae forent, Materassi reponit, id evenisse, quia iidem impositas fuisse censuerunt a competente auctoritate, ut perpetuo rependerentur, ceu asseruit oratoris antecessor, adhuc in vivis agens. Quare videtur quod successores Pini, decreti Archiepiscopalis vim ignorantes, eas persolverint, quod certo certius haud fecissent , si plenam rei notitiam habuissent. At S. C. in *Terracinen. 2 Iunii 1838 §. Post* haec habet « Éx errore nulla invehi potest consuetudo. » Reiffenst. *I. 1 decret, tit. 4 §. 5 num. 25;* s. Congreg, in *Interamnen. Optionis 14 Augusti 1824.* Ex errore itaque praedecessorum nulla actuali Parocho obligatio videtur exurgere.

Ad praescriptionem autem in casu evincendam iustus titulus deesse videtur. Etenim solutio harum pensionum, ex parte duorum successorum parochi Pini, pro iusto titulo habere nequit decretum Archiepiscopi Martini, quia ab eo evidenter excluditur , cum Archiepiscopus onus istud parocho Pini personaliter imposuerit.

Nec magis adversarios iuvat, ait Plebanus, quod ipse Ecclesiam s. Mariae obtinens, pensionis onus minime respuerit: nam parochus, antequam beneficium consequeretur, oppositionem facere nequibat, sed fecit simul ac titulum habuit.

Cum itaque ex hactenus disputatis ambigi nequeat quod Archiepiscopus Martini dictas pensiones, absque beneplacito Apostolico imposuerit; vel dato quod beneplacitum Apostolicum intercesserit, cum ex facto liqueat quod eae pensiones perpetuae haud sint, parochus Materassi conclusit, eas haud amplius esse solvendas.

Hisce breviter expositis propositum fuit dirimendum sequens

Dubium

An Parochus Materassi teneatur persolvere pensiones eco decreto Archiepiscopali anni 1782, favore octo Parochorum impositas in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata, sub die 16 Decembris 1882 censuit esset respondendum: *Affirmative et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES I. Doctores unanimiter docere, locorum Ordinarios propria auctoritate , absque Apostolico beneplacito, imponere non posse pensiones beneficiis parochialibus.

II. Praescriptionem vero centenariam, iuridice evictam, quoad pensiones, locum tenere posse beneplaciti Apostolici, praesertim si adsit iustus titulus.

III. In themate non defuisse iustum titulum, certamque obligationem pensiones praestandi, facile praesumi posse etiam ex ipso facto, quo a Plebanis s. Mariae, cursu centum annorum, absque ulla difficultate , pensiones exsolutae fuerint.

IV. Neque facile argui posse, in themate vere defuisse expetitum beneplacitum Apostolicum, quia de eo nulla facta mentio fuerit quum pensiones imponerentur : etenim forsan tristitia temporum illorum Ordinario suasit magis expedire, ut de eo taceretur, ne infensius Ecclesiae fieret gubernium civile, liberalium nostrorum antesignanum, a quo Apostolica Sedes, uti hostilis potestas habebatur.

PAMPILONEN

PRAEBENDAE THEOLOGALIS

Die 16 Decembris 1882.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Eugenius Lara, Canonicus theologus Ecclesiae Cathedralis Pampilonensis, supplicem libellum Sacratissimo Principi porrexit, exponens quod licet, iuxta illius Ecclesiae consuetudinem, publicas conciones de s. Scriptura non habeat, eamdem tamen ab initio octobris usque ad mensis maii exitum in seminario dioecesano explicat. Verum cum dubium exortum fuerit, utrum orator a Choro abesse valeat, nedum iis horis quibus docet, sed etiam pro tota die, qua lectiones habet, ut suae conscientiae consuleret,solutionem quaestionum sequentium enixe postulavit.

« I° An Canonicus lectoralis, sive theologus Pampilo-
» nensis excusetur a chorali adsistentia pro tota die, diebus
» illis quibus legit in seminario, a prima nempe mensis
» octobris, usque ad mensem maii sequentis.

» 2° An excusetur etiam a chorali residentia pro matu-
» tinis, quae pridie semper iuxta consuetudinem in hac Ca-
» thedrali Ecclesia recitantur.

» 3° An lucrari possit quotidianas distributiones pro-
> tota die, qua legit, etiam si choro non intersit ».

Episcopus rogatus, retulit: in Hispania anno 1852 editum fuisse, de consensu Nuncii Apostolici, regium diploma, quo commendabatur, ut Canonicis *de officio* nuncupatis onus edocendi seu legendi in seminariis imponeretur.

Mea quidem sententia expedit, ut Episcopi in his luctuosis temporibus uti valeant Canonicis *dé officio* ad legendum ia seminariis, si id opportunum iudicaverint.

Disceptatio Syitoptìc».

QUAE THEOLOGO ADVERSANTUR. AC praeprimis perpendendum occurrit, quod cum officium Canonici theologi ad hoc a iure institutum sit, ut *Clerus* et *populus* in divinis elo•quiis publice instruatur, sponte sua sequi videtur, huic muneri minime satisfieri per lectiones, quae privatim ab Oratore traduntur seminarii alumnis. Quin imo Concilium Tridentinum *Sess. 5 Cap. 1 de Reform,* non solum *o.a. populi* instructionem respexisse, sed etiam locum designasse, cathedralem videlicet vel collegiatam, ad s. Scripturae lectionem habendam, diserte declaravit s. C. C. in *Amerina 15 Martii 1710,* in qua proposito tertio dubio: *An lectio s. Scripturae sit facienda publice in Ecclesia, an vero in Sacristia,* responsum datum fuit: *affirmative quoad primam, negative quoad secundam partem.* Et quamvis Card. Petra in *Comment, ad Const. Apost. tom. 4 num. 52* locum Cathedralis ab Episcopo, maxima urgente causa, immutari posse autumet, tamen animadvertens loc. cit. Conc. Trid. sic suam conclusionem limitat: « dummodo . . . huiusmodi lectio fiat » omnino publice in loco publico: et nedum ecclesiastici, sed » omnes de populo in lege divina instruantur. » Cum igitur orator suo canonici theologi muneri haud fungi censendus sit, dum scholae vacat, consequens est ipsum, a chorali residentia numquam eximi posse. Idque eo fortius in themate retinendum esse putarem pro illius diei horis, quibus non legit: praesertim quia huiusmodi exemptio tam Canonico poenitentiario, quam canonicis magistrali et doctorali tribui deberet: quod in evidens servitii Chori damnum vergeret.

In vado autem posito, oratorem a chori servitio haud eximi, supervacaneum videtur de distributionibus disserere, quae, ut tradit s. Rota *decis. 789 recent.* Benedictus XIV *lnstit. 107 num. 58,* Piton. *Discept. Eccles. 1 num. 36,* Canonicis debentur ratione *servitii,* non tituli, illis exceptis,

-quos, iuxta *cap. un. de Cler. non resid. in 6°, infirmitas, seu iusta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusar et.*

Quid tandem sentiendum sit de matutinis laudibus, quae de sero praecedenti recitari solent, declaravit **S.** C. C. Nuncio Hispaniarum sub mense Decembri 1587, lib. 5 decret, pag. 71 - ibi - « Theologus, qui divinis pro praesenti ha-
» betur diebus quibus legit, non est censendus praesens
» matutinis, quae dicuntur sero praecedenti pro die se-
» quenti. »

QUAE THEOLOGO FAVENT. Altera sed vero ex parte animadverti posse videtur, quod licet melius respondeat menti Concilii Tridentini, ut lectiones s. Scripturae ad Cleri et populi instructionem in Cathedrali vel Collegiata publice habeantur; attamen dubitari nequit, quin modum hac in re praescribere prudenti arbitrio Episcopi relinquatur. Sane constans s. C C . sententia fuit, ut Episcopus possit arbitrio suo Theologum compellere vel ad s. Scripturam explanandam, vel ad theologiam sive dogmaticam sive moralem explicandam, ut resolutum fuit in *Pacen.* 28 Septembris 1675 ad primum dubium, et tradit *Gallemart.* ad Sess. 5 Conc. Trid. Cap. 1 de Reform, n. 16, Fagnan. in cap. *Quia nonnullis,* de Magistris, et Benedictus XIV *Synod. Dioeces, lib. 13* ***cap*** *9.* Unde et illud sequebatur, ut arbitrium Episcopi probaretur quoad loci mutationem; nam theologia vel in seminario, ut plerumque fit, vel in loco separato cathedralis, non autem in publico et e suggestu explicatur. Nec desunt exempla, quibus expresse probata est translatio lectionis e Cathedrali in seminarium, ut in *Sarsinaten. 9 Septembris 1843, Piscien. 23 Martii 1839* et aliis quamplurimis. - Neque diversa dicenda est praxis hodierna; licet enim s. C. C. in *Dertbonen.* VV. SS. LL. Iulii 1844 ad tertium dubium mandaverit omnino observantiam Encyclicae s. m. Gregorio XVI, *Inter praecipuas machinationes,* commutationem s. Scripturae in casus conscientiae denegans, idemque declaraverit in *Casalen. 26 Iunii 1847* arbitrium

tamen Episcopi rationabile non quoad locum, sed quoad materiam tantummodo cohibuit.

In casu autem eadem lectionum materia servata est; locus tantum fuit commutatus, et quidem iustis de causis,, et ad tramites sive regii diplomatis, a Nuntio Hispaniarum approbati, sive statutorum Capitularium, quae ius particulare- Ecclesiae Pampilonensis constituunt.

Cum igitur dubitari nequeat, quod Canonicus orator suo Theologi muneri plene satisfaciat docendo, ex Episcopi mandato, s. Scripturam in seminario, prono alveo fluere videtur, illum omnibus frui posse privilegiis, quae Canonicis theologis concessa""sunt. Porro Theologum dispensatum existere ab integro chori servitio illius diei, qua ipse legit, atque simul distributiones lucrari tamquam praesens, res est extra controversiam posita. Scatet id ex innumeris s. C. C. resolutionibus, praesertim vero ex *Oriolen. 5 Augusti 1816, Bisarchien. 26 Septembris 1857, Barchionen. 3 Iunii 1860, Arbor en. Theologalis 7 Decembris 1861, Verulana, Emolumentorum, 15 Decembris 1877.*

Quae quidem theorica distributionibus extraordinariis aptanda videtur, prout resolutum fuit in *Amnionen. Octobris 1586, lib. 4 decret, pag. 189, ad dub. 17,* et tradit Scarfantonius ad *lucubr.* Ceccoper. *lib. 2 tit. 10 num. 1 seq.* praesertim cum in Ecclesia Pampilonensi vigeat consuetudo, ex qua huiusmodi quoque distributiones legitime absentibus conceduntur.

Tandem posito quod orator privilegio perfrui valeat abessendi a choro pro integra die, qua s. Scripturae lectiones alumnis in seminario tradit, videtur quod ipse excusandus quoque sit a chorali residentia pro matutinis, etiamsi iuxta consuetudinem in Ecclesia cathedrali pampilonensi vigentem, pridie semper recitari soleant.

Rebus igitur ita se habentibus, remissum fuit Emis Patribus decernere quonam responso oratoris postulata dimittenda essent.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 16 Decembris 1882 re discussa, respondit:

*In casu, **de** quo agitur, Canonicum theologum choro abesse ac distributiones lucrari posse pro iis tantum diei horis, quibus legit in seminario, onerata conscientia.*

Ex QUIBUS COLLIGES

I. Apprime respondere menti s. Tridentinae Synodi, ut lectiones s. Scripturae ad Cleri populique instructionem habeantur in Cathedrali vel Collegiata.

II. Harum vero lectionum materiam esse debere ss. Scripturarum explanationem, colligi ex pluribus resolutionibus s. C. Concilii, editis praecipue post Encyclicam *Inter praecipuas machinationes,* Gregorii XVI.

III. Huic iugi observantiae haud refragari resolutionem in themate; nam eadem servatur lectionum materia, et tantum indulgetur *in casu de quo agitur,* ut lectiones habeantur in Seminario, attentis forsan peculiaribus loci circumstantiis (1).

(1) Iugem esse S. C. O. praxim, ut Canonicus Theologus revocetur ad explanationem ss. Scripturarum, quoties occasio id innuendi sese offerat , plane colligitur recolendo harum ephera. Vol. VIII,336; Vol, IX 505; et 510 Append. I quoad originem et onera Canonici Theologi ; Vol. X, 509; Vol. XIII, 87. Animadverte etiam Theologo in casu de quo agitur, haud indultum fuisse lucrari distributiones pro tota die , sed *pro Us tantum diei horis, quibus legit.* Nam in illa Cathedrali, ex consuetudine, matutina pridie recitantur. Ast pro matutinis quae recitantur post vesperas, Canonicum Theologum non haberi uti praesentem docet *Fagnan.cap.licet de praeb, n.117; S. C. O. lib. 5. decret, pag. 7, a terg.*

TROPIEN.

IURIUM CANONICALIUM

Die 20 Ianuarii 1883.

COMPENDIUM FACTI. Cum Episcopus coadiutor, ad maiorem Dei gloriam ac Tropiensis cathedralis cultum, duos canonicatus erigere constituisset, die 23 Maii 1881 ea desuper re interrogavit Capitulum ; quod consensum libenter praebuit sub hac expressa reservatione, salvis omnibus iuribus, emolumentis et "praeminentiis, omnique ratione ad Capitulum spectanti, iuxta leges canonicas. Hinc sub ipsamet die idem Episcopus utrumque canonicatum fundavit, tributoque singulis annuo reditu libell. 210, statuit tertiam partem ex ducentis libellis... pro distributionibus quotidianis; ideoque duo canonici, ait Antistes, subiicientur multae tertiae partis, quae cedet favore praesentium.

Quamquam iuspatronatus collatum fuerit Episcopo pro tempore, tamen fundator pro prima vice has duas praebendas contulit independenter a concursu. Novi canonici autem per assuetam possessionis formam in fratres recepti, rati sunt paria omnino iura se habere cum antiquioribus Cathedralis canonicis. Aliter sed vero isti autumabant, eisque denegabant, praeminentiam super illos qui posterius immissi sunt in possessionem canonicatus, vocem in capitulo, in his quae respiciunt administrationem bonorum capitularium, et participationem communis massae. Quam exclusionem aegre ferentes canonici noviter admissi, suas querelas ad **S. C. C.** detulerunt.

Disceptatio Synoptica

CAPITULI ANIMADVERSIONES. Capitulum extra discrimen ponit, quod Episcopus, non praebendam subrogaverit pro duobus iam extantibus canonicatibus, qui iniustam a Fisco

direptionem passi fuerant, sed duos ex integro distinctos canonicatus fundaverit, atque erexerit supra vigintiquatuor antiquiores. Quod sane scatere videtur ex toto fundationis contextu, ac praesertim ex propriis distinctisque titulis et oneribus, ex iurepatronatu, cui sunt specialiter obnoxii, ac tandem ex concursu peragendo super peculiaribus quibusdam disciplinis pro eorumdem assecutione. Huiusmodi porro canonicatus utpote propriis legibus ac reditibus praediti, haud videntur Capitulo quidquam commune habere cum canonicatibus de massa, nec proinde praeiudicium afferre posse antiquioribus. Idque praesertim attenta limitatione consensui adiecta, quae sarta tectaque voluit favore antiquiorum omnia iura, emolumenta, et praeminentiae.

QUAE DEDUXERUNT CANONICI NUPERRIME Recurrentes recentioris erectionis animadvertunt, sibi negari non posse iura canonicalia, et praesertim distributiones chorales, et massam communem. Lege enim civili capitulo Tropien, ceu omnibus capitulis Cathedralibus, relicta est massa choralis favore omnium praesentium, choro inserviendum. Ast capitulum hoc coram Ecclesia, vigintiquatuor constat canonicis. Hinc omnibus choro interessentibus cedere debent chorales distributiones quotidianae, ad mentem sanctionum Tridentinae Synodi; quae voluit ut praebendati ad chorum evitarentur, nedum pietatis sensibus, sed etiam aliquo pecuniario lucro, ut divina officia decore celebrarentur. Ex hoc erui datum est quod distributiones chorales haud constituant partem integralem singulorum beneficiorum, sed omnino a praebendis distinguantur; ita ut duabus partibus constent beneficia. Lex suppressionis duodecim Capitulo adempsit praebendas, sed totum reliquit quotidianum praemium pro chori adsistentia et frequentia. Hinc si Episcopus , sua munificentia restituit duos canonicatus, haud intelligi potest quomodo Capitulum praepedire valeat ne novi praebendati , de massa chorali participent. Quod si canonicatus ab Episcopo erecti habeantur ceu praebendae novae erectionis, tunc omnis difficultas adimitur per s. C. C. cuius referimus verba:

Canonicatuum erectionem ab Episcopo fieri posse, ac propterea Canonici ab eo instituti habent stallum in Choro et vocem in Capitulo, aliisque canonicis, post eorum istitutionem provisis, praecedunt, atque honoribus et praeminentiis frui debent, quibus canonici antiquiores potiuntur; ut in Senogallien. 25 Februarii 1627, teste Barbosa collect, bullar. verbo canonicus fol. 95 verso 1. Quod autem in facto praxis huius Ecclesiae, haec fuerit, colligitur ex erectionihus praebendarum, quae variis temporibus ab Episcopis factae fuerunt; quarum canonici chorales distributiones obtinuerunt. Qua de re haud intelligi potest cur nuperrimis distributiones denegentur. Forsan vi reservationis capitularis? Ast Capitulares reservare sibi nequibant quod suum non erat. Quopropter quisquis videt, canonicos novae erectionis parifìcandos esse ceteris canonicis quoad honores et quoad emolumenta. Quonam vero iure duodecim canonici id sibi addicerent de massa, chorali quod etiam ad alios pertinet?

ANIMADVERSIONES PRO UTRAQUE PARTE. Indubium in iure est, Episcopum novos canonicatus sive in Cathedralibus sive in collegiatis erigere posse, una tamen cum Capituli consensu. Ceccoper. *lucubr. can. lib. 1 tit. 14 num. 35,* S. Congr. in *Aquinaten. 20 Februar. 1677. Sabinen. 14 April. 1696.* Quae quidem erectio fieri potest vel pure et simpliciter, vel quibusdam conditionibus ac reservationibus, sive a fundatore, sive a Capitulo adiectis. Si primum fiat, nonnulli doctores tenent nihilominus novos canonicos non aequiparari omnimode antiquioribus, ob legalem iuris praesumptionem, quod admissio facta censeatur sine ulla proprii iuris diminutione ac iactura; Scarfanton. ad Ceccoper. *lib. 1. tit. 14 num. 59 et seq.* Tondut. *Quaest, benef. cap. 68 num. 15.* Alii vero tradunt per puram et simplicem admissionem fieri plenariam novorum canonicorum aggregationem in corpus Capituli, adeo ut noviter admissi iisdem honoribus, iuribus ac emolumentis una cum antiquis fratribus perfrui debeant: Card. De Luca *de Canon.*

disc. 37 num. 2; Panimoll, *dec. 98 annoi. 1 num. 6;* Pigliateli, *consult, can. 48 tom. 6 per tot.* Collatis tamen hisce diversis sententiis cum iis, quae traduntur ab eodem Card. De Luca *eod. tit. disc. 6, num. 3 et a* Piton, *de Controv. Patr. alleg. 64 num. 5.* res facile componi videtur, siquidem distinguatur, utrum novi canonici pure et simpliciter admittantur cum separata praebenda, distinctisque fructibus et emolumentis, vel eorumdem substantia immittatur in communem capituli massam. Ex facto enim haud immerito arguendum foret, Capitulum in primo casu omnia iura sua atque emolumenta distincta atque intacta praeservare voluisse, in altero vero una cum reditibus et emolumentis omnia iura et onera ex aequo novis confratribus communicare.

Ubi vero fìat novae erectioni locus sub certis conditionibus et reservationibus, communis est sententia, cui constanter adhaesit S. C. C. novos canonicos easdem servare debere, utpote adiectas in limine fundationis, nec proinde ulterius praetendere posse; Panimoll. *loc. cit. n. 1 et seq.* Card. De Luca *loc. cit. disc. 6 n. 3.* Ceccoper. *Lucubr. can. lib. 1 tit. 14 n. 35,* S. C. in *Aretina Erectionis Canonicatuum 5 Maii 1703, Alatrina 8 Februar. 1727, Toletanae Archipresbyteratus 1 Februar. 1767.* Cum autem stallum in choro et vox in capitulo sint de substantia canoniae Barbos, *de Can. et dignit. cap. 12 n. 1.* Reiffenst. *Ius can. tom.* 3, *de canon,, num. 57,*probe intelligitur praedictas conditiones et reservationes, quoties agatur de veris proprieque dictis canonicatibus erigendis, non circa substantiam, sed circa modum tantummodo exercendi praedicta iura ac praerogativas, incidere posse: secus namque si per fundationem vel capituli consensum detraheretur iisdem substanfialibus iuribus, eo ipso novi canonici inter meros honorarios recensendi forent, prout late docuit Rota in *Novarien, Praecedentiae 3 Iulii 1713 cor. Lancetta, et in confirmatoria 11 Decembr. 1713 cor. Barbadico,* ac tenuit S. C, in *Vinfimilien. Vocis in Capitulo 17 Decembr. 1836.*

Memoratae autem conditiones et reservationes f inicere in primis possunt ius participandi de distributionibus aliisque* Capituli emolumentis. Quamvis enim canonici noviter erecti de aliorum distributionibus ac emolumentis participare valeant prout et quatenus et ipsi propriam conferant portionem, Barbos, *de Canon, et dign. cap. 21 n. 25.* **Pignatell.** *Cons. can. 134 tom. 9 num. 35,* **Gallemart.** *ad Conc. Trid.* ***sess.*** *21 cap. 3 num. 8* **verb.** *proportionabiliter ;* **quoties tamen per fundationis legem vel Capituli consensum a participatione emolumentorum iam antiquioribus canonicis acquisitorum .excludantur, S. Congregatio hanc exclusionem approbavit. Sane in** *Nullius seu Terrae Pontiant Praecedentiae et distributionum, 26 Martii 1735* **proposito dubio II. «** *An et cui debeantur distributiones et emolumenta de quibus agitur* - **responsum fuit -** *distributiones et emolumenta provenientia ab exercitio curae animarum, et a legatis relictis ante erectionem novorum canonicorum deberi canonicis antiquis* **» Similiter in** *Fabrianen. Iurium et Emolumentorum 8 Aug. 1820* **ad dub. - I.** *An canonici secundae erectionis iure polleant lucrandi distributiones quotidianas aliaque emolumenta, quibus fruuntur Canonici primae erectionis in casu* **- responsum prodiit -** *Negative.*

Aliisque pluribus praetermissis, in *Veliterna Participationis 20 Dec. 1851* **dubiis - I.** *An canonici secundae et tertiae erectionis admittendi sint ad participationem omnium emolumentorum Capitulo obvenientium tam pro missis aliisque functionibus adventitiis et a communitate seu pietate fidelium obvenientibus, quam ex funeribus in casu.* **II.** *An praedicti canonici participare debeant de piis legatis ac anniversariis capitulo relictis in casu.* **- Rescriptum fuit -** *Ad T et II negative quoad emolumenta provenientia ex dispositionibus relictis Capitulo ante erectionem canonicatuum et ab exercitio curae animarum. In reliquis affirmative.*

Quo vero ad emolumenta incerta Gard. De Luca *disc. 6*

num. 14 subtiliter distinguit, utrum emolumentum consistat in certa ac determinata portione singulis canonicis distribuenda, vel in quadam summa inter canonicos dividenda pro maiori vel minori eorumdem numero: ac prioris generis emolumenta etiam canonicis novae erectionis deberi censet. Quam distinctionem tenuisse videtur S. O. in *Faventina 12 Decembris 1564:* siquidem dubio : - *An idem Archipresbyter, ut supra exclusus a participatione distributionum et emolumentorum, possit participare de eleemosynis, quae dantur Capitulo pro funeralibus et anniversariis, occasione funer alium, quae inter praesentes distribuuntur* - rescripsit: - *Archipresbyterum participare non debere de his, quae proveniunt ad manus Camerarii, ex quibus diminueretur portio aliorum canonicorum.*

Pariformiter conditiones et reservationes a fundatore vel a capitulo adiectae afficere possunt praecedentiam. Qua de re animadvertebatur in folio edito super causa *Romana Praecedentiae iurium et emolumentorum canonicalium 18 Februarii 1865 §. Ad primum* « Seclusa voluntate funda-
» torum reprobandum non est in iure, ut 'canonici novae
» erectionis ultimas in choro sedes occupent, ac iure prae-
» cedentiae cum antiquioribus canonicis careant, iuxta mo-
» nitum s. Congregationis in *Pisana, Erectionis canoni-*
» *catus 5 Decembris 1846 §. Si placuerit ;* adeoque eam-
» dem s. Congregationem confirmasse aliquando monent,
» conditionem in receptionem novorum canonicatuum appo-
» sitam, qua praecedentia quoad antiquos novis denegabatur
> ceu videre est in *Nepesina 1 Decembris 1704* relata in
» *Arianen. Canonicatuum 1 Februarii 1733.* »

Ac re sane vera in una *Civitatis Castellanae Iurium canonicalium 16 Iulii 1836,* cum Capitulum pro nova duorum canonicatuum erectione assensum praestitisset sub conditione: quod duo novi canonicatus haud fruerentur praeminentiis sedium; ita ut semper tenere debeant duas ultimas sedes, neque ad superiores ascendere in casu vacationis, proposito dubio - *An sit confirmanda vel infirmanda condi-*

tio a Capitulo apposita in erectione in casu - rescriptum prodiit - *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Quae huc usque adnotata sunt quoad emolumenta ac praecedentiam pronam veluti viam sternunt quaestioni circa vocem in Capitulo. Haec enim utpote fructus canoniae, omnibus quidem canonicis in genere competit, sed in specie tantum quoad singulos patet quantum quisque interesse habet in respectivis negotiis. Si igitur antiquiores canonici sibi praeservare possunt iura et emolumenta iam acquisita, sponte sequitur, novos canonicos vocem habere non posse quoad negotia praeservata. Hinc S. C. *in Eugubina Erectionis canonicatuum 26 Mart. 1703* cum quaesitum fuisset. - *An et in quibus negotiis iidem canonici ius habeant Capitularibus sessionibus interessendi* - Respondit - *Affirmative in omnibus, exceptis iis, quae respiciunt interesse et iuria particularia veterum canonicorum.* - Et in s. Miniati 24 Nov. 1827, dubio - *An et in quibus negotiis canonicus theologus gaudeat voce activa et passiva in casu* — rescriptum est - *Affirmative in omnibus, exceptis negotiis respicientibus massam communem et bona, ad Capitulum spectantia, ante erectionem praebendae theologalis.*

Hisce praemissis, remissum fuit EE. Patribus diiudicare quousque in themate porrigeretur reservatio adiecta capituli consensui, ac dirimere

Dubia

I. *An Canonici secundae erectionis gaudeant omnibus iuribus, atque emolumentis ceterorum Canonicorum in casu.*

II. *An iidem Canonici frui debeant eadem praecedentia quoad stallum, uti ceteri Canonici in casu.*

III. *An et in quibus negociis iidem Canonici ius habeant capitularibus sessionibus interessendi in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. Congr. die 20 Ianuarii, re ponderata, censuit esset respondendum :

Ad I. *Quoad distributiones quotidianas affirmative, quatenus et in quantum immiserint in massam communem distributionum. Quoad emolumenta provenientia ex dispositionibus relictis Capitulo ante erectionem novorum Canonicatuum, negative. Quo vero ad iura providebitur in sequentibus.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative in omnibus, exceptis iis, quae respiciunt interesse et iura particularia veterum canonicorum.*

Ex QUIBUS COLLIGES '.

I. Episcopos posse de consensu capituli novas erigere praebendas canonicales ; quibus adiici possunt a fundatore vel. a Capitulo quaedam conditiones ac reservationes, tum quoad distributiones, tum quoad iura et praeeminentiam in choro.

II. Doctores communiter iugemque s. C. Concilii praxim ferre quod canonici novae erectionis servare debeant conditiones et reservationes quae adiectae fuerint in limine fundationis.

III. Quas reservationes, quatenus etiam respicerent ius participandi de distributionibus, aliisque capituli emolumentis, iam acquisitis antiquioribus canonicis, s. C. Congregatio ratas habuit, probavitque exclusionem novorum, seu novae erectionis.

IV. Ratas quoque haberi ab eadem s. Congregatione conditiones adiectas quoad praecedentiam : nam in iure haud reprobatur quod canonici novae erectionis ultimas in choro sedes occupent, iureque praecedentiae careant cum antiquioribus. canonicis.

V. Quamobrem canonicos novae erectionis in themate, vi factae reservationis • a capitulo, percipere non posse emolumenta, Capitulo obvenientia ex dispositionibus, novam erectionem praecedentibus ; distributiones quotidianas percipere posse in quantum immiserint in communem massam ; frui non posse praecedentia quoad stallum in choro; neque assistere capitularibus sessionibus, in quibus agatur de iuribus veterum canonicorum.

CONCURSUS

Die 20 Ianuarii 1883.

COMPENDIUM FACTI. Labente anno **1881** Ecclesia s. Cassiam Dioecesis B. suo mansit viduata pastore. Ut animarum regimini consulere posset Antistes, sollicitudinis suae esse duxit per concursus aleam eidem Ecclesiae quamprimum novum curatorem praeficere. Concurrentium albo nomen dederunt Marcus Bolognesi, Hormisdas Giunchi, Vincentius Lelli, Aloysius Bandi, et Zephyrinus Zazzeri; ex actis autem concursus eruitur, etiam quemdam Antonium Morellini periculum fecisse. Laudati igitur concurrentes statuta die **19** Ianuarii **1882** comparuerunt coram Episcopo, et tribus examinatoribus ad examen subeundum. Ad trutinam deinde revocatis die **21** dicti mensis concurrentium responsis, ac perpensis testimoniis, morumque probitate eorum tantum, qui quoad doctrinae meritum idonei reputati fuerant, uti ex actis apparet, tres priores approbati renunciati sunt, tres postremi reprobati. Post haec Episcopus elegit Marcum Bolognesi, qui maiorem votorum numerum retulerat, eique vacantem Ecclesiam conferre decrevit.

Aegre id tulit Aloysius Bandi, qui ideo intra legitima tempora appellationem interponens, suas conquaestiones adversus examinatorum iudicium apud S. C. C. detulit, quae-

dam gravissima circa mores, et sanam doctrinam Sacerdotis Bolognesi animadvertit, ac enixe rogabat ut concursus -acta novo examini subiicerentur.

Episcopus de voto requisitus, sategit ut examinatorum iudicium rectum fuisse demonstraret; et quoad electum ad paroeciam ait: si quaedam contra eiusdem mores decem et octo abhinc annis evulgata fuerunt, ea, temporis lapsu, penitus delituissent, nisi recurrens in memoriam revocasset. Sed dato etiam, voces illas veritati inniti, quod non constat, obicem parare ad eius promotionem nequivisse videntur, postquam electus per quindecim annos et ultra, laudabiliter curam animarum gessit in montibus asperis huius Dioecesis.

Disceptatio Synoptiea

VOTUM CONSULTORIS. Censuit ille rationabilem et iustissimam fuisse appellationem apud s. C. C. a Sacerdote Bandi interpositam, unde reformandum esse ait examinatorum iudicium: I° quia omnes et singuli concurrentes debiles fuerunt, neque tale discrimen inter ipsos intercedit, ut tres approbari et alii tres reprobari debeant; 2° etiam comparatione inter ipsos instituta, omnes, plus, minus, approbandi videntur: 3° quia scrutinium institutum est exclusive super scientia, nulla habita singulorum meritorum ratione: ex quo sequitur: 4° comparativum iudicium institui haud posse pro iustitia: 5° quia comparatis etiam inter se scriptis Sacerdotum Bolognesi et Bandi, hic postremus aliquantulum primum superare videtur. Unde conclusit *vel* novum indicendum esse concursum, *vel* alterum ex concurrentibus eligendum esse, qui perpensis ipsius meritis ceteris praeferendus videtur; quo in casu cum sacerdos Bandi omnes antecellat, ipsi paroecia esset adiudicanda.

Interea temporis ab eodem Bolognesi canonica paroeciae possessio die 19 Augusti capta fuit: et huius facti rationem ex ignorantia s. C. C. prohibitionis excusare adnititur per cpistolium, quod ad eamdem s. Congregationem mittere curavit sub die 21 Octobris.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. III primis notandum occurrit, quod statuit Tridentina Synodus *Sess. 24 cap. 18 de Reform,* videlicet in collatione beneficii parochialis iudicium cumulativum scientiae et requisitorum ab examinatoribus synodalibus ferendum esse. Sic enim sese habet Tridentinorum Patrum mandatum: « Peracto examine, renuntientur quot» cumque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, » doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam » gubernandam opportunis. »

Quae quidem doctrina de iudicio cumulativo ac coniunctive ferendo circa doctrinam ac requisita concurrentium clarius explicatur et confirmatur a Benedicto XIV *de Syn. Dioec. lib. 4. cap. 8. num. 3.* - ibi - « Examinatores.... » non solum experiri debent eorumdem scientiam, sed et » praecipuam rationem habere probitatis, morum, prudentiae, » aetatis et ceterarum qualitatum, quibus praeditum esse » oportet cui animarum regimen committitur ». Cui concinit eiusdem Pontificis Constitutio incipiens *Cum illud.* sic enim inibi, §. 16 legitur : « Parem ni forte maiorem » solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis « qualitatibus regimini animarum consentaneis: morum ho» nestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita ha» ctenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus « laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctri» nae arcto foedere consocianda : hisque omnibus coniunctim » expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos » Episcopo renuncient. »

Iam vero si concilium Tridentinum et Summus Pontifex Benedictus XIV formiter iudicium cumulativum et coniunctivum scientiae et requisitorum induxerunt, hac forma spreta, ipse concursus corruat necesse est. Audiatur sane *Reclusius de concursibus pag. 1 tit. 5. num. 16 et sea.* » Mala pariter erit examinatorum relatio, quotiescumque in» tra doctrinae limites sese continuerint, de moribus autem » aliisque ad animarum regimen opportunis qualitatibus mi~ > nime investigaverint:.... ita nt huiusmodi mala examina-

» torum relatio ob non servatam praescriptam ordinatamque » formam afferrai insanabilem concursus nullitatem etc. ».

Cui doctrinae constanter adhaesit S. C. C. quae in causa *Montis Regalis die 2 Augusti 1607* relata a Fagnano *in cap. Eam te, De aet. et qualit.praef. num. 15* censuit: « Si examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qua- » litates, prout Concilium requirit, concursum esse nullum». Quibus consonare videntur resolutiones quae prodierunt in *Beneventana Concursus die 26 Ianuarii 1878* et in *Viterbien. 4 Maii* eiusdem anni (1).

Nulla sed vero in concursu de quo agitur ratio ab examinatoribus habita fuit de meritis Zazzeri, Morellini, et actoris Bandi: ex qua iudicandi methodo, ut animadvertit Consultor, factum est, ut Aloysius Bandi reprobatus fuerit, cum vQta 15 cum dimidio obtinuerit quoad scientiam ; pro« ipsius vero meritis in schemate exhibito ponitur *zero,* id quod cum aliis duobus reprobatis pariter factum est: ita ut iuxta eorum opinionem tantummodo a scientia approbatio vel reprobatio sit repetenda. Quod si punctis 15 cum dimidio quoad scientiam ab Examinatoribus D.Bandi attributis, addita fuissent 12 vel saltem 10 puncta quoad merita, non solum ipse medietatem votorum superasset, sed forsitan etiam primo loco approbationem obtinuisset. Si enim pro meritis 10 puncta dederunt Sacerdoti Bolognesi, a fortiori saltem 10 puncta tribuere debuissent Bandi, qui a plurimis annis parochialia ministeria rite exercet, quique, uti habetur in litteris testimonialibus ipsius Episcopi, eidem traditis, bonis et honestis moribus praeditus est. Ex quibus omnibus quemadmodum ex actis apparet, manifesta erumpere videtur concursus nullitas, ideoque novum concursum indicendum esse.

Praeterea etiam animadversum fuit : quod si, hac etiam spreta forma, concursum substinendum esse Emis Patribus placuerit, tamen Bolognesi omnino reiciendus esset ab Ecclesia. Illo enim, contra s. C. C. mandatum canonicam be-

(1) Habes primam harum quaestionem Volum. XI, 117 ; alteram vero eodem* Vol. 125.

iieficii possessionem adeptus fuit. Ex huiusmodi vero agendi ratione in poenas a *Trid. Conc. sess. 22 cap. 11 de Reform,* contra iurisdictionis et bonorum Ecclesiae usurpatores statutas, incurrisse merito videtur. Quas inter gravissimas poenas etiam privatio cuiuscumque ecclesiastici beneficii recensetur. Admissa itaque concursus validitate, electio tamen sacerdotis Bolognesi haud approbanda videtur.

Quibus animadversis, duo proposita fuere enodanda

Dubia

I. *An constet de mala relatione Examinatorum, ita ut deveniendum sit ad novum examen in casu.*

Et quatenus negative.

II. An et cui adiucanda sit paroecia s. Cassiam in casu.

RESOLUTIO. Sacra **O.** O. re perpensa, sub die 20 Ianuarii 1883 censuit respondere:

Constare de mala relatione Examinatorum et esse locum novo concursui et amplius; et ad mentem (1).

(1) Abstinemus a deductionibus et Applicationibus de more , esortando benevolos lectores, ut recolere velint quidqnid per nos dictum et animadversum fuit in quaestionibus Concursus, relatis **Vol. Xl pag.** 117, **et** 125; **Vol.** XIII, 113 et 119. Hic tantum animadvertere libet deductionibus et animadversionibus istis, quoad iudicium cumulativum et coniunctivum scientiae et requisitorum peragendum, confirmationem accedere ex resolutione data in praesenti quaestione **a** S. **C.** Congregatione,

PRIVATIONIS PAROECIAE

Dig 20 Ianuarii 1883.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus P. ut spirituali discrimini, quod populo inferebatur opera Parochi, medelam afferret, coadiutorem dedit eidem Parocho; qui iam annos 73 expleverat, et infirma laborabat valetudine. Atque insimul indixit

ni parochus congruam pensionem pro honesta substentatione •coadiutori praeberet. Haec providentia haud arrisit Parocho; qui pensionem solvere renuens, recursum habuit ad laicum Gubernium, contra agendi rationem Episcopi.

Cuius rei notitia statim ac ad illius aures pervenit, per decretum provisionale illico suspensionis poenam in eum inflixit; deinde, formali processu penes Curiam episcopalem instituto ac tribus monitionibus inutiliter praehabitis, in vim definitivae sententiae sub die 4 Februarii 1882, nedum provisionale suspensionis decretum confirmatum fuit, sed etiam ipse Parochus in contumacia persistens beneficio parochiali eiusque reditibus et emolumentis omnibus privatus fuit.

Parochus congruam dare pensionem Coadiutori iugiter renuit, appellavitque ad Sanctam Sedem.

Disceptatio sy »»optica.

DEFENSIO PAROCHI. Parochi patronus tria in capita orationem suam divisit, in quorum I°: nullam criminum inductionem ex sententia Episcopi inferri posse ostendit: 2° crimina tum quae a Curia P. depromuntur, tum quae fìsci promotor extulit, tum quae a sententia confirmata fuerunt, refutare sategit: 3° ex sententia, ex Episcopi Uteris aliisque •documentis non solum non reum criminibus de queis accusatur, :sed et innocentem extare Parochum demonstrare conatus est.

Ad primum itaque orationis caput adveniens adnotavit, quod iudex qui sententias ferre debet, praesertim si crimina damnet, sibi eorum persuasionem inducere debet, eamque deducere inductionem, quae ex factis haud dubie praepositis necessario scateat. Haec inductio in Episcopi sententia non reperitur. Nam crimina asserit, deinde probationem adducit, quae et ipsa probatione indiget. Deinde Parochum appellat schismaticum, quia praesbyteratus ordinem ab Episcopo schismatico in Corcyra recepit et quia nepotem Spiridionem eo misit, ut ad Sacerdotium ab Episcopo pariter schismatico

eveheretur. Sed non probat, an reapse ab Episcopo schismatico presbyteratus ordinem receperit, an dein sub conditione ab Episcopo catholico ordinatus, iterum vel benedictus fuerit, et an nepos Spiridion Phaeaciam, ea ratione, ex suo iussu peteret.

Insuper Parochum non tantum schismaticum imo et haereticum ab Episcopo appellari, quia nunquam extremae unctionis sacramentum ministravit, ceu ex documento procuratoris Ecclesiae cathedralis colligitur.

Haereticus praeterea Parochus appellatur in sententia Curiae, quia pueris turmatim conventis sacramentum poenitentiae impertitus est; quia matrimonio copulavit qui impediebantur consanguinitate aut affinitate; ast nomina omnium illorum non indicat Episcopus.

Ex ipsa inductionis nullitate Parochi patronus deducit criminum inexistentiam, et hasce adiungit rationes. Probatio debet esse praecisa, die et consule designato, Maschard *de Probation. conclus. 1107.* et veluti est rei dubiae ostensio, debet legitime adduci *Cap. 3 de Probation.* debet esse clara, perspicua et certa *Cap. 8 etc.* concludens regulariter et plena *Matth. 18 leg. 9 Cod. de iudic*, in causis vero criminalibus clarior luce meridiana requiritur *leg. fin. Cod. de iudic.*

Post haec ad secundum caput suae orationis gradum faciens, omnia crimina, queis Parochus insimulatur refutare conatur. Et in primis praemittit quod tum ex imputatione, tum ex accusatione, tum denique ex sententia triplex veluti gradatio deducitur, et ex sententia excluduntur exceptiones, quae ab imputatione et accusatione depromuntur: quamvis testium depositio sit idem omnibus fulcimen. In apertam contradictionem incidere et accusationem et sententiam dicit,, nam illa dum asserit nunquam Evangelium Parochum explicuisse, adiungit male munera adimplevisse: sententia vero dum asserit, omnia fuisse media adhibita, quae poterant esse obiurgationes, monitiones, imo et paroeciae privatio, in contradictionem apertam incidit, cum affirmat, Parochum suum munus neglexisse. Deinde ad argumentationem Patronus-

descendit qua Parochum rite munus suum obire demonstravit.

Parochus quibuscumque diebus festis Evangelium explicare, doctrinam christianam tradere et paroecianos de rebus ad animae salutem necessariis instruere debet: sed si impedimento irretitus non posset haec onera adimplere, Episcopus eum monere debebat. Attamen etiam probata in hisce negligentia, culpa foret Episcopi in primis, dein Parochi aliorumque sacerdotum, ex Constitutione Benedicti XIV *Etsi minime* §. 2. Immo est Episcopi maior, inquit, quia legitimi doctoris exigit ratio ut doctrina explicetur, et ubique tradatur. Etsi vero Episcopus post septemdecim annos nunc tantum scivit, ipse pariter neglexisse dicendus esset. Exculpari posset, si ubique et in illa paroecia non adfuisset utpote qui apostolicorum munerum sarcina praegravatus, sed excusari nequit si per visitatores omnia inquirere omiserit, ceu praecipit §. 16 eiusdem constitutionis.

Accusationem vero, Parochum nulla et nunquam administrasse sacramenta vel si quandoque, eorum sanctitatem parodia irrisisse aliae accusationes destruunt: pueros videlicet baptizando, lampadis oleo usum esse, confessiones raro audivisse, infirmos non sublevasse necessario animae solamine, nisi iterum atque iterum impellabatur, collective absolvisse pueros turmatim conventos, extra confessionalem mulierum audivisse confessiones, absque dispensationibus coniunxisse matrimonia inter parentes gradu a iure prohibito. Ergo, deducit, accusatur nulla et numquam sacramenta administrasse et omnia administrasse. Sed ex documentis constare edisserit, parochum doctrinam christianam semper tradidisse, fidei mysteria semper explicuisse, et paroecianos de religionis rudimentis semper docuisse. Qua de re, inquit, a iurata testium depositione et a parochorum attestationibus, calumniam refutari.

Neque schismaticum Parochum appellari posse contendit, onia in Corcyra ab Episcopo schismatico ad presbyteratum eiectus fuerit, et quia eius nepos Spiridion eo petierit, ut ab

Episcopo itidem schismatico ad Sacerdotium promoveretur. Revera ah Episcopo schismatico Parochus sacrum Ordinem recepit immo et erroribus irreptus erat, sed errores abiuravit. Neque dici posse schismaticum ex publica opinione, dum contra pene omnes eum existimant verum sacerdotem: et varii parochi limitrophi haud erubescunt sese profiteri amicos illius, et testantur semper eum invenisse sacerdotem sanae doctrinae.

Testimonio iurato paroecianorum evincit orator administrasse extremam unctionem, oleo a se benedicto; nam presbyteri Graeci utuntur oleo ab ipsis benedicto, ceu probat Mantena *tom. 1 pag. 248,* Nathanael in *Epist, ad Episcopum Anagnin.* Arcudius *lib. 8 cap. 2* nam. facultatem habent illud consecrandi; Goarius in *Euchologio* pluries a Bened. XIV commendato. Neque tandem haereticum esse eo quia pueros turmatim conventos collective una tantum benedictione absolvit, quin formam sacramentalis iudicii servaret. Ad haec patronus subiungit nihil contra sacramentum egisse Parochum, uti probatur ex cit. Goario *in Officii Olei Sancti odnotat.* Neque haereticum evinci posse, eo quia matrimonia inter parentes gradu ab iure vetito coniunxerit. Quandoquidem hoc non probatur, sed asseritur tantum; etsi probaretur crimen deesset, nam probandum foret scienter copulasse. Eam Parochus diligentiam adhibuit quam praecipit Concilium Tridentinum.

Tandem, ait orator, Parochum ex sententia, ex Episcopi uteris aliisque documentis constare non modo non reum, sed innocentem esse. Deinde subdit, testium depositionem contra Parochum nullam fidem mereri. Nam aut testes ratione inquisitionis auditi fuere et tunc iuramento audiri nequibant, quin partis citatio fieret, *Cap. 2. De test.* Pyrhing *lib. 2. decretor, tit. 6 n. 16 3:* aut non ratione inquisitionis, et testes non poterant audiri, quia utpote laici excluduntur a iudiciis contra clericos *Cap. 14 de test. 8.* Sed Episcopus non poterat testibus aliquid statuere contra quod ipse quotannis per tot annorum spatium in sacra visitatione statuit.

DEFENSIO EPISCOPI. Contra vero Curiae episcopalis sententiam pleno in robore manutenendam esse omnia suadent, ait defensor. Quandoquidem Tridentina Synodus *in capite 6 Sess. 21 de Reform,* mandat Episcopis ut parochos « qui » turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, » coerceant ac castigent, et si adhuc incorregibiles in sua ne- » quitia perseverent eos, beneficiis iuxta sacrorum Canonum » constitutiones, exemptione et appellatione quacumque re- » mota, privandi facultatem habeant. » Ut igitur contra Parochum scandalose viventem tuta via ad privationem paroeciae deveniri possit, nil aliud requiri videtur, quam concludens criminum probatio. *Can... Nos in quemquam 2 quaest. 1. et canon. Placuit, quaest. 2,* et praemissa canonica forma, ad tradita per *Cap. Si quisquam 2, et Cap. Si autem 6 De cohabit. Cleric. et mulier.* Docet autem s. Congregatio in *Cracovien. Parochialis 10 Februarii 1760,* et in *Ackeruntina Privationis Paroeciae 31 Martii 1855,* hanc formam consistere in trina monitione, rationem reddente Fargna *de Iure patron, part. 2 can. 21 eas. 9 num. 6.* - ibi - « Quia cum poena privationis sit maxima, et aequi- » paretur morti civili, infligi non potest, nisi constito quod » parochus monitus noluerit... a perditionis via recedere. »

Quin opponatur in poenis fas esse servandam formam graduatoriam, antequam privationis sententia feratur. Quandoquidem distinguendum occurrit inter beneficiatos et parochos. Quoad primos cupiens Concilium Tridentinum experiri an ante extrema remedia resipiscere possent, in *Sess. 25 cap. 14 de Reform,* mandavit ut graduatoria poena servaretur, ita ut si primae monitioni minime obsecundassent, tertia parte fructuum privarentur, si secundae omnibus privarentur fructibus, et si adhuc in sua nequitia persévérassent, officiis et beneficiis privarentur; inhabiles eos reddendo ad beneficia quaecumque, et excommunicationis poena plecterentur. Diverso vero modo quoad parochos procedendum esse voluit, ita ut si postquam moniti, et coerciti fuerint in prava consuetudine insordescere non destiterint, parochiali beneficio

privarentur, ceu docet Giraldi in *Exposit. Iuris Ponti f. part. L lib. 3 Decretale, tit. 2 sect. 332 pag. 228:* item firmavit s. Congregatio in *Burgi* s. *Domnini Ecclesiae parochialis 6 Martii 1737.*

Age nunc in themate adamussim verificantur quae a iure explicite requiruntur: ideoque tam quoad *extrinsecum,* quam quoad *intrinsecum,* iuris communis sanctionibus sententia Curiae P. conformis apparet.

Quandoquiquem *extrinsecus* re inspecta, in facto est Parochum nonnisi post solemnem processus penes Curiam Episcopalem institutum paroecia privatum fuisse. Siquidem tabulae processuales confectae sunt, publica documenta allata, testes formiter auditi et iuramento subiecti: parocho vero ter monito, ut iudicio sisteret ac defensionem pararet, ex eo quod in iudicium ire recusavit, defensor oifìciosus a Curia deputatus est. Hinc omnibus expletis, contra ipsum in contumacia persistentem, sententia privationis paroeciae et suspensionis *a divinis* provisionali decreto inflictae a Curia Episcopali lata fuit. Hisce raptim perpensis, quisque ingenio suo facile percipit, re tantum *extrinsecus* inspecta de iustitia et validitate sententiae dubitari non posse.

Verumtamen magis ac magis sententiae iustitia et validitas emicabit, si vel *intrinsecus,* inspiciatur, seu si ad naturam et indolem delictorum mens convertatur, quibus reus Parochus evasit. Dubitari sane non potest de concludenti criminum probatione; regula enim iuris est qua docemur, in qualibet causa ad legitimam probationem plenamque fidem faciendam satis esse duos testes probatae vitae, omnique exceptione maiores, nisi expresse per legem plures in aliqua causa desiderentur: *Leg. Ubi numerus de test, et attestât. Can. Si teste §. Ubi numerus quaest. 3, Cap. Licet universis 13 de test, et attest;* Reiftenstuel *lib. 2 tit. 20 eod. tit. part. 8 n. 331.* In casu autem nedum bini testes, sed plures iurati omnique exceptione maiores, quorum aliqui sacerdotali ordine decorati, uno ore de mala parochi agendi ratione deponunt: ita ut illum suo muneri parochiali haud

satisfecisse ineluctabili argumento constat. Liquet enim Parochum haud docuisse fideles Religionis praecepta de necessitate medii, haud administrasse sacramenta, vel aliqua tantum, aut taliter ut eadem irridere videretur. Liquet etiam •ex pluribus argumentis, Parochum haud esse Graecum unitum, sed schismaticum; talemque haberi a suo grege et a limitrophi s populis, qui eum norunt. Praeterea ut haeresis suspectum habendum esse, evinci ex eo quod numquam administraverit sacramentum extremae unctionis; quia sacramentum poenitentiae pueris administraverit nulla servata iudicii forma, sed excipiendo eorumdem confessiones turmatim; quia matrimonio coniunxerit consanguineos et affines absque apostolico indulto, et alia huiusmodi.

Post haec tam luculentissima Curiae testimonia, evanescat oportet Parochi exceptio,qua insinuare satagit, testes vel odio vel inimicitia ductos contra ipsum tam nefanda deposuisset ipsis siquidem consonat testimonium Episcopi P. «Facile porro » credi non potest, Episcopos suae non minus, quam alienae » salutis adeo immemores, ut nec deterriti divini intermi- » natione iudicii, odio vel favore moveantur, et in sacrorum » Canonum singularem iniuriam dicant malum bonum, bo- » num malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.» *Benedictus XIV in Const. Cum illud.*

Cum igitur crimina, de quibus Parochus redarguitur et reus evincitur, tanta ac tam abnormia sint, nihil plane prohibere visum fuit quominus Episcopus, ad iuris tramites contra huiusmodi Parochum procedere coactus fuerit, scilicet, monitionibus in irritum cessis, ad suspensionem et tandem ad beneficii cum emolumentis omnibus privationem.

Hisce praenotatis in utramque partem, enodandum propositum fuit sequens

Dubium.

An sententia Curiae Episcopalis P. sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die 20 Ianuarii 1883 censuit respondere:

Sententiam esse confirmandam. Episcopus autem curet ut beneficio parochiali imponatur pensio favore sacerdotis (Parochi) *pro eius substentatione; et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Episcopos ex *Trid. Sess. 21 cap. 6 de Ref.* posse beneficiis privare Parochos turpiter et scandalose viventes; quatenus in sua nequitia incorregibiles perseverent, postquam praemoniti, coerciti atque castigati fuerint.

II. Quum tamen privationis poena maxima sit et morti civili aequiparetur, infligi nequit, nisi praemissa canonica forma, ex qua oriatur concludens criminum probatio et constet, Parochum monitum noluisse a perditionis via recedere.

III. Videri in themate concludenter probatum fuisse, Parochum ita scandalose vitam degere, ut ab omnibus schismaticus haberetur et haeresis suspectus; et cum ab Episcopo praemonitus fuerit, incorregibilem permansisse, propria denegando crimina. (1)

(1) Confer Vol. XIV, 372 et Vol. XII, 243.

SPONSALIUM

Die 20 Ianuarii 1883

COMPENDIUM FACTI. Theresia Musani filiam suam Christinam cum Iacobo Bianchi coniungere matrimonio percupiens, quemdam Andream Scagnetti rogavit, ut hac in re operam suam conferret; quippe qui magna cum Iacobo utebatur familiaritate, eumque musices artem docebat. Andreas, qui negotium pertractandum susceperat, mense maio 1879 domum

Theresiae venit asserens, Iacobum sibi fidem, etiam iuramento firmatam, Christinam in uxorem ducendi dedisse, et ab eo in amoris signum munuscula quaedam, idest piaculares corollas, eidem puellae tradenda accepisse, ea tamen sub conditione, ut res nemini unquam suboleret. Huius verbis firmiter, laetanti animo, credidit Theresia, ac filiam suam Iacobo desponsatam esse sibi persuasit: et in hac persuasione mansit per annum circiter cum dimidio, quamvis Iacobus numquam sponsae domum esset ingressus, nec epistolis nec verbis eam fuisset allocutus. Verum cum resciverit, Iacobum, fracta fide, cum filia cuiusdam Francisci Summa iamiam sponsalia contracturam esse, id aegre ferens, Archiepiscopalem adiit Curiam instanter petens, ut ille ad fidem filiae suae adimplendam cogeretur. Protinus, hac habita notitia, Episcopus coadiutor Franciscum Summa, ne filiam Iacobo sponderet, pendente impedimento *nihil transeat*[1], a Theresia Musani interposito, admonere curavit; at incassum, nam sponsalia, duobus transactis diebus ab accepta admonitione, inita fuisse ex facto constat. Nihilosecius formalis processus confectus fuit, et audito voto defensoris matrimonialis ac dumtaxat testimonio iurato Andreae Scagnetti, etsi Iacobus iudicio sistere renuerit, et quod Scagnetti testatus erat penitus mendax esse, per epistolam declaraverit, in eius tamen contumaciam sententia lata fuit pro sponsalium existentia inter Iacobum et Christinam, atque viro vetitum fuit ad alia vota transire, nisi graves adduceret rationes. Cum vero hoc ad aures Iacobi parentum, quibus insciis omnia fuerant peracta, pervenisset, vehementer indignati appellationem in eadem Curia interposuerunt, asserentes se filium exhaeredem facturos si hasce nuptias contraheret. Interea graves ortae sunt dissensiones ac turbae inter duas familias, quae effervescebant in dies, et continuo solutio petebatur sponsalium quae acribus causam dabant discordiis. Quamobrem Episcopus omnes adhibuit conatus, ut parentes Iacobi sponsalia cum Christina adversari désistèrent, nec non ut constantem Iacobi repugnantiam erga ipsam emolliret; sed nulla spe re-

conciliationis affulgente, tandem ut modum conviens atque scandalis imponeret, ad trutinam controversiam revocavit; et collatis denuo consiliis eorumdem iudicum qui priori causae pertractationi adfuerant, declaravit solutioni sponsalium Iacobum inter et Ohristinam locum esse, tum ob apertam adversitatem Iacobi, quem inutile prorsus foret ecclesiasticis plectere censuris, tum etiam ob expressum ac firmum dissensum ipsius Iacobi parentum qui exhaeredationem ei minitabantur. (1)

Mater Christinae ab hac sententia appellavit ad s. O. O. petens, ut Iacobus vel adigeretur ad ducendam Ohristinam, vel illi ad alia vota transire prohiberetur, donec puella alium virum non invenerit; facultas denegaretur , interim lite pendente, Archiepiscopo benedicendi matrimonium quod Iacobus pertentare posset.

Disceptatio Synoptica

VALIDA ESSE VIDENTUR SPONSALIA. Certi canonis est contractum sponsalitium in mutua utriusque contrahentis repromissione consistere L. *1 ff. de Sponsalibus,* cui concinit *Can. Nostrates 30 quaest. 5* ac proinde de illorum numero esse videtur, qui solo consensu perficiuntur, cum quoad eius substantiam nulla praescribatur forma aut solemnitas, auctore Engel, *lib. IV tit. 1 num. 6* - ibi - *certum est ad sponsalia de futuro, praeter consensum mutuum, nullam aliam solemnitatem requiri.* Nec vero interest num clandestino modo, vel coram testibus sponsalia contrahantur; nam Tridentina Synodus *Sess. 24 de Matrim,* clandestinum matrimonium aperte reiecit ac reprobavit, sed ne verbum quidem fecit de clandestinis sponsalibus, adeoque iure communi valida censenda sunt. Quamobrem ad eorum probationem abunde sufficere videtur, iuxta utriusque iuris censuram, ut de mutua ac voluntaria futuri matrimonii promissione, aliquo externo signo manifestata, constet. Haec autem omnia adamussim

(1) Ignoratur quo iure Curia Archiepiscopalis bis in eadem cansa sententiam ediderit ! forsan ex aliquo speciali privilegio?

in casu nostro concurrere ambigi nullo modo potest. Et re quidem vera, Iacobum neque semel neque bis, per mediatorem libere, ac omni coactione remota, fidem christinam ducendi dedisse, ex iurato testimonio ipsius mediatoris Andreae Scagnetti eruitur: quin imo ad suam fidem aliquo externo signo confirmandam munuscula quaedam sponsae per eumdem mediatorem misisse, quae adhuc in eiusdem sponsae manibus reperiuntur.

Nec quidquam refert si non per seipsum et consensum et munuscula puellae Iacobus praebuerit, nam hoc nihil sponsalium validitati detrahere ex eo aperte liquet, quod, uti matrimonia per procuratorem contrahi possunt, sic etiam sponsalia iuxta *cap. ult. de Procuratoribus in 6.*

Ad occurrendum praeterea difficultati quae ex testis qualitate oriri potest, scilicet quod mediator in testimonio ferendo a iure repellitur, animadverti praeprimis debet, in casu agi de re quam Iacobus occultare voluit, adeoque mediator in testium defectu admitti potest, uti docet *Ferraris bibi. can. ad vocem testis* - ibi - *mediator potest esse testis quando aliter absque ipso veritas haberi non potest, tunc enim etiam invitus cogi potest ad testificandum in causis civilibus...* et signanter *potest esse testis favore matrimonii;* Maschard. *de Probat, conci. 1039 num. 21,* Pirhing. *de testibus num. 96.* Nec obiici potest quod in hac controversia unicus habeatur testis, quia in primis responderi posset cum Pichler. *lib. 2 tit. 20 num. 34.* « Sufficit unus » testis quando difficulter vel nullo modo haberi possunt » plures testes: sic creditur interpreti qui unicus callet lin- » gua in qua scriptum est instrumentum. » Praeterea Andream Scagnetti semper honestate ac probitate apud omnes floruisse quamplures viri prudentes ac timorati testantur.

Ceterum huic testi alter etiam accedit ad evincendam sponsalium existentiam. Vidua enim Paulina Rebeschini, liae de re requisita, ingenue asseruit Iacobum Bianchi cum Andrea Scagnetti colloquentem de Christina Musani audivisse.

Cum autem in testium defectu consanguinei quoque admittantur iuxta nonnullorum doctorum sententiam, teste Schmalzgrueber *de iudiciis* ubi agitur de testibus, reiici nequit Ioannes Musani patruus Christinae, qui sub iuramento asserit de hisce sponsalibus sponsae patrem sibi locutum fuisse, cum agebatur de re toti Musani familiae nota.

INVALIDA ESSE VIDENTUR SPONSALIA. EX altera vero part® satis caute procedendum est, cum de gravi obligatione alicui inducenda agatur, et nemo obligari possit nisi iuridice de manifesta eius voluntate sibi imponendi obligationem certo constet, neque enim quisquam, sine sua voluntate, iura acquirere aut obligationes inire potest. Ut autem haec voluntas iuridice probata dici valeat, duo saltem testes idonei et omni exceptione maiores requiruntur; et unus solus testis cuiuscumque sit dignitatis non sufficit ad legitimam probationem, ita ut nulla iudicialis controversia, sponsalium non exclusa, testimonio unius hominis quamvis legitimo terminari queat. Et hoc procedit tum de iure divino *Deuteronom. cap. 17 vers. 15 « non stabit testis unus contra aliquem* »: tum de iure canonico *can. Admonere 8 caus. 22 quaest. 2 « nec evangelium nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat vel iustificat* ». Tum denique de iure civili Z. *Iurisiurandi S. Cod. de testibus.* At in casu de quo agitur neque ex testium numero, neque ex qualitate neque ex iis quae testantur, sponsalium existentiam ullo modo probatam dici potest. Et sane singularis tantummodo testis in medium ex adversa parte affertur, scilicet mediator Scagnetti, ceteri vero, cum ab eo dumtaxat rem audivisse affirment, non pro diversis testibus habendi sunt, sed quid unum efficiunt cum ipso ad quem referuntur. Ioannes enim Musani aperte fatetur sponsalium notitiam habuisse a parentibus sponsae quos idem mediator certiores fecit. Minori etiam in praetio Paullinae Rebeschini testimonium habendum est, tum quia et ipsa precibus matris sponsae mediatricis partes egit, ut Scagnetti urgeret ad huic connubio contrahendo operam dandam,.

tum quia nihil quod alicuius sit momenti ex ore Iacobi immediate audivisse asserit, verum per Scagnetti rem cognovisse. Si igitur auctor harum confessionum est ipsemet mediator, nullum gradum probationis constituunt testes de illo deponentes, ut in terminis observat *Rota decis. 8 num. 23 coram Ar guel.* ac proinde cum per unum singularem testem sponsalium existentiam demonstrare autumetur, recte concludi potest de ea iuridice non constare, iuxta superius allata iuris principia, ex quibus forense proces3Ít dicterium *unus testis, nullus testis.*

Praeterea ex factorum historia quisque ingenio suo facile percipit adductum testem, non esse omni exceptione maiorem. Ipse enim non a Iacobo requisitus fuit ut rei interveniret, sed contra ; quin imo magistri munere abutens incautum iuvenem illaqueare studuit, ut optatis puellae matris, cuius valde intererat hoc contrahi matrimonium, responderet: non est ergo dignus ut audiatur. At si iugiter hoc unum testimonium interius inspiciatur, multa subsunt quae nullam fuisse adolescentulo voluntatem serio ineundi haec sponsalia ostendunt. Ipse enim, ut ex eiusdem mediatoris verbis eruitur, nunquam facie Christinam noverat; verum cuiusnam esset aetatis, indolis, aspectus et divitiarum omnino ignorabat, adeoque cum voluntas ad incognitum non feratur, neque Iacobo voluntatem fuisse, eam ducendi in uxorem, concludendum videtur.

Inepte ad piaculares corollas, veluti munuscula amoris confugeretur; nam praeter quam quod concludenter non probatur a Iacobo missa fuisse, cum talia non sint ut relationem habeant ad matrimonium, dubitari potest an serio vel ironico animo tradita sint, ideoque nihil ex iis inferri potest.

Quibus breviter adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de sponsalium validitate inter Iacobum Bianchi et Christinam Musani in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii, die 20 Ianuarii 1883, re ponderata, censuit respondere:

Negative et amplius.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Non quolibet indicio populive rumore evinci sponsalium existentiam; sed concludentissimá requiri argumenta, quae viri et mulieris voluntatem patefaciant; nam sponsalium contractus liberam in matrimonio voluntatem contrahentium coarctat.

II. Ideoque in foro externo standum esse pro nullitate sponsalium, seu libertati contrahentium favendum esse, quoties verba aut indicia dubia sint, aut plenam non faciant probationem.

III. Probationes *ex integro* per depositiones unius testis haud perfici; quia dictum unius est dictum nullius; et quia *nec evangelium, nec ulla divina humanaque lex unius testimonio, etiam idoneo, quempiam condemnat nec iustificat.*

IV. Testes in themate adductos unicum probationis gradum constituere; quia omnes referunt quod unus affirmavit, et quia ab uno didicerunt ab eisdem relata.

APPENDIX VIL

in qua referuntur Missae et Officia ad Clerum Romanum extensa per Breve SSmi D. N. Leonis XIII diei 28 Iulii 1882. (1)

DIE IX OCTOBRIS

(Romae die XI Octobris)

In festo

BEATI JOANNIS LEONARDI C.

MISSA

Introitus. Eccli. 42.

In sermonibus Pómini ópera ejus: sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus.

Psal. 95. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.

f. Gloria Patri.

Oratio

Deus, qui beatum Joannem Confessórem tuum ad fidem in gentibus propagandam mirabiliter excitare dignatus es, ac per eum **in** erudiendis fidelibus novam **in** Ecclesia tua familiam congregasti: da nobis famulis tuis; ita eius institutis proficere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apóstoli ad Corinthios. *2. Cor. 4.*

Fratres: Habentes administrationem iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicámus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum: in iis, qui pereunt, est opertum: in quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum; quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendéscere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientias claritatis Dei, in facie Christi

(1) Missae et officia ss. Benedicti Iosephi Labre et Ioannis Baptistae de Rossi iam relata inerant in Appenct. I. pag. 41 voluminis huius.

Jesu. Omnia enim propter vos; ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in **glo-**riam Dei. Propter quod non deficimus : sed licet is , qui foris •est, noster homo corrumpatur , tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate, aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur , .aeterna sunt.

Graduale Psal. 72 et 68. Inflammátum est cor meum, et renes mei commutati sunt: zelus domus •tuae comedit me.

f. Isaice 49. Posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam. Alle**luja,** alleluja.

f. Psal. 70. Tamquam **prcH-**digium factus sum multis: et tu adjútor fortis. Alleluja.

Post Septuagesimam, omissis **Alleluja,** *et versu seq. dicitur:*

factus. Psal. 54. Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus **a** voce inimici et a tribulatione peccatoris.

*f** -Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et,in ira molesti erant mihi.

f. Ego autem ad Deum clamavi: et Dominus salvabit me.

Tempore Paschali, omisso Graduale, dicitur: Alleluja, alleluja.

f. Psal. 51. Sicut oliva fructifera in Domo Dei, speravi in misericordia Dei in aeternum: et in saeculum saeculi. Alleluja.

f. Psal. 61. In Deo salutare meum , et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in **Deo est.** Alleluja.

ffi Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 10.*

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis:Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis , primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes , et bibentes , quae apud illos sunt : dignus est enim operarius mercéde sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, **et** susceperint vos man.

<lueáte quae apponuntur vobis, et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

offertorium Coloss. 1. Christi factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi, ut impleam verbum Domini.

Secreta

Suscipe,Dómine,oblationem mundam salutaris hostiae et praesta; ut intercedente beato Joanne confessore tuo, ubique gentium jugiter offeratur. Per Dominum nostrum.

Communio Philipp. 3. Quae mihi fuerunt lucra , heec arbitratus sum propter Christum detrimenta.

Postcommunio

Pretiosi Corporis, et Sanguinis tui sacris refecti mysteriis, Dómine , adprecamur : ut beati Joannis Confessoris tui exemplo, studeamus confiteri quod credidit, et opere exercere quod docuit. Qui vivis et regnas.

DIE XXVI NOVEMBRIS

(Romae die XVII Decembris)

In Festo

I LEONARDI A PORTU MAURITIO C.

MISSA

Introitus Isaice 58.

óminus implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua li-berábit, et erit quasi hortus irriguus , et sicut fons aquarum, cujus non deficiunt aquae.

Psal. 80. Exultate Deo adiutóri nostro: jubílate Deo Jacob.

f. Gloria Patri.

Oratio

Deus , qui in obstinátis peccatorum cordibus ad poenitentiam nectendis beatum Leonárdum Confessórem tuum opere et sermone potentem effecisti: da quaesumus; ut per ejus preces et merita e cordibus nostris contritionis lacrimas elicere valeamus. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apóstoli ad Ephesios. *Eph. 1.*

Fratres: Benedictus Deus , et Pater Domini nostri Jesu Christi , qui benedictione spirituali in caelestibus in Christo , sicut elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suas, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae quae superabundavit in nobis in omni sa-

piéntia, et prudentia. Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt in ipso. In quo etiam et nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae: ut simus in laudem gloriae ejus nos, qui ante speravimus in Christo. In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, (Evangelium salutis vestrae) in quo et credentes signati estis in Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae in redemptionem acquisitionis in laudem gloriae ipsius.

Graduale Ps. 91. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini.

jr. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. Alleluja, alleluja.

f. Isaice 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem: annuntiantis bonum, praedicantis salutem. Alleluja.

Post Septuag esimam, omissis Alleluja, *et versu sequenti dicitur:*

Tractus Ps. 111. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

f. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

f. Gloria et divitiae in domo* ejus: et justitia ejus manet **in** saeculum saeculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur .- Alleluja, alleluja.

f. Osee 14. Justus germinabit sicut lilium, et florebit **in** aeternum ante Dominum. Alle**luja.**

jpg Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 10.*

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos,, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce Ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum,- neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes, et bibentes, quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercéde sua. Nolite transire de domo in do-

mum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis: et curate infirmos, qui inula sunt, et dicite illis: appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est, qui et idóneos nos fecit ministros novi Testaménti.

Secreta

Immaculatam hostiam tibi, Domine, offerimus deprecantes; ut, sancti Leonardi Confessoris interveniente suffragio, semper in nobis dilecti Filii tui Passionis memoria perseveret et fructus. Per eumdem Dominum.

Communio 2. Cor. 3. Pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos* Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

Postcommunio

Cito anticipent nos misericordiae tuae, quaesumus Domine, intercédente sancto Confessóre tuo Leonardo: ut a culpis expiati, in electorum numero esse mereámur. Per Dominum.

DIE XIX AUGUSTI.

BEATI URBANI II.

PAP.dE ST CONFESSORIS

Duplex

Omnia de Communi Confess. Ponti/., prœter seq.

In hymno Iste Confessor *mutatur tertius versus.*

Oratio

Domine Jesu Christe, qui beato Pontifici Urbano pro Ecclesiae tuae libertate et décore feliciter decertáre tribuisti , eumque ad redimenda ab infidelium potestate tuae vitae mortalis et passionis monumenta per virtutem Crucis roborasti ; concede , ut ipsius intercessióne , contra hostes animae nostrae dimicantes in terris , aeternae gloriae bravium accipere mereámur. Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Saeculo undécimo , fervente lucrosissimo dissidio Ecclesiam inter et Imperium , non minóri fortitudine quam ceteri Pontifices , qui per ea témpora Romanam obtinuerunt Sedem, enituit Urbanus secundus, Odo antea vocatus, e nobili familia apud Castelliónem supra Matrónam non procul a Rheménsi urbe ortus. Is Brunóne magistro, celebérrimo postea Carthusianórum institutóre, philosophicis ac theologicis studiis operam dedit, et ob egregias virtutes in Ecclesia

Rheménsi canonicatu potitus est. At saeculi curas pertaesus, ac Regulam Sancti Benedicti professus, primum in Cluniacensi, dein in Bainson¿nsi et Cavénsi caenóbiis religiosissime conversatus est. Vestigia sequutus Sancti Gregorii Septimi, viri opere et sermóne potentis, a quo., in maioribus Ecclesiae negociis adhibitus fuerat, atque Episcopus Ostiensis et Sanctae Romanee Cardinalis creatus, pari animi constantia ac fortitudine jura Ecclesiae contra laicam potestatem vindicavit.

1$. Inveni David.

Lectio v.

summus Pontifex renuntiatus, ^Casini montem invisit, sacras ibi beatissimi Patris Benedicti exuvias veneraturus, ejusque ope a lapidis morbo, quo diu laboraverat, insigni prodigio sanatus fuit. Cavensis monasterii Ecclesiam et Sancti Nicolai Barensis Basilicam consecravit, ibique corpus ejúsdem thaumatúrgi magna cum solemnitate reposuit. In eadem Barensi Basilica insigne Concilium habuit, ut Graecorum errores confutáret, doctissimis praesertim usus argumentis, quibus Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariénsis fidem catholicam asseruit. Aliis praeterea diversis in locis convocatis Conciliis, ecclesiasticae disciplinae observantiam strènue curavit. Sed omnium celebérrimum fuit Claromontánum Concilium, in quo illarum sacrarum Expeditiónum felicissimo successu auctor extitit, quae ex salutiferae Crucis Christi signo, quo decorabántur, Cruciatárum nomine fuerunt appellatae. Ac sane mirum est Pontificem pauperem, uti erat tunc Urbanus, absque regum ope, sine ulla exactione, aut tributo, tam ingentem principum virorumque nobilium, ac ceterorum ex omni órdine, statu et regno multitudinem congregasse, qui ad difficilem adeo expeditionem sponte et alacri ánimo properarent; quibus pro stipendio sola proponebatur peccatorum indulgentia, et sola spes vitae aeternae pro praemio.

B¡U Posui adjutórium.

Lectio vi.

Beatam Dei Genitricem singulari obsequio prosequens, specialium precum in ejus honorem recitationem clericis aeque ac laicis ea occasione indixit, ut qui fideles suscipiendae expeditioni impares essent, milites pro religionis causa dimicantes saltem orationibus adjuvárent. Hinc et cultus Beatae Mariae, qui hodieque in Sabbato celebrari solet, ab eo institutus fuisse perhibetur. Post plurimos autem labores pro Ecclesia superatos, Ro-

mae, quae jam cum tota Italia ab Henrici Imperatoris oppressione evaserat, universali quoque Ecclesia in tranquilliórem statum revocata, tandem meritorum magis quam dierum plenus, anno millesimo nonagésimo nono, die vigésima nona Julii gloriosa justórum morte quievit, cum Petri Cathedram tenuisset annos undecim, menses quatuor, dies decem et octo. Corpus ex aedibus Petri Leonis apud Sanctum Nicolaum in Carcere ad Basilicam Vaticanam delatum est, ibique inter totius Urbis luctum et tristitiam honorifice conditum. Cultum usque ab immemorabili tempore Beato Urbano Secundo exhibitum Leo Decimus tertius Pontifex Maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto ratum habuit et confirmavit, atque Officium cum Missa, in eius honorem quotannis celebrandum Clero Romano, Rheménsi ac Tolosáno benigne indulsit.

R). Iste est.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Vigilate, *de eodem Communi secundo loco.*

MISSA

Mi ssa Statuit *de Comm.Conf. Pont. cum Evang.* Vigilate *de* eo*dem Comm. 2. loco.*

Oratio

Domine Jesu Christe, qui beato Pontifici Urbano pro Ecclesiae tuae libertate et decore feliciter decertáre tribuisti, eumque ad redimenda ab infidelium potestate tuae vitae mortalis et passionis monumenta per virtutem Crucis roborasti; concede, ut ipsius intercessione, contra hostes animae nostrae dimicantes in terris, aeternae glorias bravium accipere mereámur. Qui vivis.

Secreta

Pro christianae fidei triumpho hostias tibi, Dómine, placatiónis offerimus, ut, intercedente Beato Urbano Confessóre tuo atque Pontifice, quoscumque nominis tui hostes superare valeamus. Per Dominum.

Postcommunio

Spiritum nobis, Domine, fortitudinis tribuat haec mensa caelestis; qua refectus Beatus Pontifex Urbanus usque ad montem sanctum tuum alacriter ambulavit. Per Dominum.

DIE XI OCTOBRIS

B. JOANNIS LEONARDI C.

Duplex

Omnia de Comm. Con/ess, non Ponti/., prceter seq.

In hymno Iste Confessor *mutatur tertius versus.*

Oratio

Deus, qui beatum Joannem Confessórem tuum ad fidem in gentibus propagandam mirabiliter excitare dignatus es, ac per eum in erudiendis fidelibus novam in Ecclesia tua familiam congregasti: da nobis famulis tuis; ita ejus institutis proficere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Joannes Leonardi in oppido Decimi non longe a Lucensi urbe piis et honestis ortus parentibus, jam inde a prima aetate, solitudinis et precationis amóre, grave quiddam ac maturum praesétulit. Annos natus viginti sex a Deo vocatus ad ecclesiasticae militiae nomen dandum, saecularibus curis illico nuncium remisit. Ac primo inter pueros latinae linguae rudimentis instructus, deinde in litteris et philosophicis ac theologicis disciplinis adeo profecit, ut vix acto quadriènnio ad sacerdotium ex obedientia promotus fuerit. Multo alacrius tunc ad dominici agri culturam se convertit, aliquot nactus bonae indolis nobiles júvenes, cum eos ad virtutis perfectónem sedulo exercuisset, insequenti anno Congregationem instituit Clericorum Regularium, quam a Matre Dei, ob incensum erga ipsam suae devotionis affectum, nuncupavit. Mox eorum cura et zelo explicata pueris àe rudibus christianae doctrinae praecepta, flagitiósi ad justitiae semitam traducti, puellarum castitati consultum, pia erecta sodalitia, frequens invectus sacramentorum usus, tantaque peracta est animorum commutatio, ut cum in Lucensi república, haereticorum praesertim perfìdiósis artibus, arderent civium odia, profligatique essent mores, ibidem brevi tempore pietas revixisse videretur.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

Tam salutarium operum causa incidit Joannes in acérrimas insectatiónes hominum nequam, qui eum ac socios,. etiam apud Pontificem Máximum, fictis criminationibus inapetentes, recens coactam familiam perdere omni ope nitebántur. Adeo, instigante daemone, efférbuit procélia, ut religiósi sodales omni ad visitandum subsidio privati, dejedique e suis aedibus, alio perfugium quaerere coacti fuerint. Sed

aquae multae nunquam potuerunt extinguere caritatem Viri Dei, qui praeclare sibi actum ducebat si quidlibet pro Jesu Christi **no**mine pateretur. Impetrata a Summo Pontif. Gregorio Decimotértio suae Congregationis confirmatione, Apostolici sui laboris fructus constanter servavit, imo vel ultra patriae reipublicae fines ubèrrime auxit. Ob cognitam in arduis étiam negotiis singularem ejus prudentiam, saepe magno ubique cum animarum bono, nedum ab Episcopis adhibitus est ad relevándas componendásque ecclesiarum res, sed et Romani Pontificis auctoritate delegatus ad intricata litigia dirimenda, et ad religiosas familias reformándas. Pariter sancto Josépho Calasánctio, ejúsque pene collápsae societati praesto fuit. Haud levem quoque impendit operam negotiis nosocomii sancti Spiritus in Sáxia, »et monialibus oblatis sanctaeFranciscae Romanae excolendis,

f. Amavit eum.

Lectio vi.

Graviter dolens gentes adeo **plu**rimas remotis in regionibus sedére adhuc in tenebris, luce **E**vangélii carentes, inflammabátur desiderio migrándi in illas oras ad lumen verae religionis effundendum. At cum intellexisset a sancto Philippo Nério (a quo verus reformátor dicebatur) se suámque Congregationem ad instituendos Italiae populos destinari, divinae acquievit voluntati; minime tamen abstinuit quin, si aliquam infidelibus opem afferre posset, experiretur. Hinc praesuli Vives piissimo se adjúnxit, initísque cum eo consiliis caetum instituit presbyterorum, quibus propositum esset idóneos informare adolescentes, in dissitas regiones subinde mittendos ad fidem propagandam; quare mérito veluti auctor censetur praeclarissimi illius Instituti, quod Summorum Pontificum ópera amplificatum, proferendae per universum orbem catholicae fidei mirabiliter inservit. Plura ópera de re sacra et morali conscripsit cuivis hominum conditioni accommodatissima. Dénique a sacro ministerio numquam deficiens, cum tota vitae ratione non modo suis, sed et universo Clero praeluxisset exemplo, in cinere et cilicio ad Dominum migravit Romae, die nona Octobris anno millesimo sexcentésimo nono, aetatis sexagésimo sexto. Quem sanctitate, divinis donis et miraculis illustrem Pius Nonus Summus Pontifex Beatorum fastis accensuit.

R). Iste homo.

*In III. Nocturno Lectiones Homil. in Evang** Designavit Dominus, *de Communi Evangelistarum, cum* B)B). *de Confess, non Pontif.*

DIE XVII DECEMBRIS

SANCTI LEONARDI
A
PORTU MAURITIO CONFESSOBIS

Duplex

Omnia de Comm. Confess. non Pontif.

In hymno Iste Confessor *mutatur tertius versus.*

Oratio

eus, qui in obstinátis peccatorum cordibus ad poenitentiam nectendis beatum Leonárdum Confessórem tuum opere ac sermóne potentem effecisti: da quaesumus; ut per ejus preces et mérita e cordibus nostris contritionis lacrimas elicere valeamus. Per Dominum.

Et fit Commem. Ferio?.

In L Nocturno Lectiones **de** *Scriptura occurrente.*

In Quatuor Temp. Leci, Beatus vir *de eodem Comm, secundo loco,*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv,

Leonárdus in Portu Mauritio ad ora Ligùstica Italiae ortus est parentibus pietate egregiis **po**tius, quam genere claris; qui puerum animam sorti tum bonam, divina favente gratia, in timóre Dòmini omni cura instituerunt* Mirandum erat eum in templo vel domi videre aut audire, sive férvidas ad Deum effundere preces, sive hortari coaetaneos ad religionis aliarumque virtutum **ope**ra exercenda. Adulescens studiorum causa Romam missus ad instar novi sideris in Gregoriano Collegio tum litterarum ac scientiarum profectu, tum potissimum vitae sanctitate effulsit. Jam de virtute in virtutem quotidie magis progrediens, ut intimius Deo inserviret ac proximorum utilitati vacáret, de religióso instituto amplectendo cogitavit. Et licet patruus pro viribus niteretur ut hunc nepotem apprime carum ab hujusmodi consilio retráheret ipse tamen, ejúsdem blanditiis minusque posthabitis, Eratrum Minorum excalceatórum rigidióris observantiae consortio cooptari obtinuit, eorum présertim modestia captus, ac extréma paupertate.

B). Honestum fecit.

Lectio v,

A primo tyrocinio, et quoad in eo superfuit vitae anhélitus, nil habuit antiquius, quam ut Seraphici Patris exempla perfectissimo mutaretur, praesertim cum vix ac clericus effectu», desideria

incensus fuit mi grandi in barbaras terras, ut sanguinem suum profúnderet ad infidelium ánimas Christo lucrandas. Verum diviaae providentiae consiliis animum compónens suum, disciplinas theológicas sedulo excolere sategit, ut ad omne opus bonum instrúetus foret. Sacris deinde ordinibus initiatus, ac sacerdotali charactére insignitus, protinus in cultissimis etiam Italiae urbibus praeconis evangelii munere fungi coepit. Apostolicam vivendi formam sequutus, única contentus túnica atque abjéctis calceis; quamvis tenui esset corpúsculo, tamen periculis, difficultatibus, **1,** asperitátibus, laboribusque haud fructum se unquam sensit. Sic reliquam vitam per annos quatuor supra quadraginta strènue impendit, cum ingenti ubique animárum lucro et religionis increménto.

R). Amavit eum.

Lectio vi.

Immensa porro fuit populorum ad eum audiendum frequentia, et innumerabiles conversiones inde subsequútae. Ipsa enim sáxea ac férrea corda, eo audito vehe*nuente,?* scindebántur ad pœniténtiam tum ob miram sermonis efficáciam, ardentíssinium loquéntis zelum, tum praesertim ob praeclaram ejus vitae sanctimóniam, quae suavissimum Christi odorem ubique effiábat. Senio tandem ac innumeris laboribus consumptus, cum Summo Pontifici Benedicto Décimo quarto fldem dedisset nullibi se nisi Romas moriturum, in almam hanc Urbem rediens e Bononiensi missióne, morbo tentari coepit, quo sibi brevi decedéndum esse palam edixit. Cum igitur sancti Bonaventurae coenobium ingressus esset, illico ecclesiae sacramentis muniri voluit, quibus admirabili fervore, atque inexplebili animi gaudio susceptis, placidissime in Domini osculo quievit. Leonardi obitum plurima sequuta sunt prodigia, quibus rite probatis, a Pio Sexto Pontífice Máximo idem inter Beátos caelites adnumeratus est. Novis deinde cum coruscare coepisset signis, tandem Pius Nonus Pontifex Maximus praeclarissimum hunc verbi Dei praeconem Sanctorum catálogo accensuit.

R). Iste homo.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evang. Designávit Dominus, *de Comm. Evangelistarum, cum* **I$R).** *de Conf. non Pont.*

EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM quo festa ss. Benedicti Abbatis, Dominici ternani et Francisci Assisiensis ad ritum duplicem maiorem evehuntur.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Saecularia solemnia magno cum Catholici populi gaudio, ob incliti Monachorum in Occidente Patris legiferi, et Assisiensis seraphici Patriarchae memoriam superioribus annis celebrata, plurimorum desiderium excitarunt, ut incrementi aliquid acciperet cultus per annos singulos ab Ecclesia universa impendi solitus his sanctis Oaelitibus, ex quibus ingentem quamdam beneficiorum vim in christianam civilemque rempublicam induxisse miramur. Id vel magis hodie convenire merito putaverunt, ne videlicet posterum, ob immutatam Rubricam de Translatione Festorum, illorum officia, praecipue vero Monachorum praeclarissimi Parentis , saepe saepius ad modum simplicis ritus reduci, aut penitus omitti; contingat. Sanctissimus autem Dominus Noster Leo Papa XIII pro sua speciali atque eximia erga utrumque admirabilem Institutorem pietate et religione accedentibus etiam aliquorum Sacrorum Antistitum postulationibus sibi humillime porrectis, votis hisce prono ac libenti animo obsecundare decrevit. Voluit tamen ab hoc honore minime seiungi Sanatum Dominicum Gusmanum, qui cum Familiae Minoriticae Patriarcha amicitia arcto vinculo in caritate colligatus *u* integritatem » caelestium doctrinarum tuebatur, pravosque haereticorum errores **t**> luce christianae sapientiae per eadem tempora depellebat, quibus •» ille, ad grandia ducente Deo. id impetravit ut ad virtutem ex- ***i***> citaret christianos homines, et diu multumque devios ad imita- ***3***> tionem Christi traduceret, ***n*** *(In Ep. Endel. SSmi Dñi Nostri 17 Septembr. 1882).* Praecepit igitur Sanctitas Sua, ut festa Sanctorum Confessorum Benedicti Abbatis die 21 Martii, Dominici Gus. mani 4 Augusti et Francisci Assisiensis 4 Octobris, in Kalendario universalis Ecclesiae hactenus sub ritu duplici minori inscripta, ad ritum duplicem maiorem evehantur. Mandavit praeterea de hoc per Sacrorum Rituum Congregationem praesens edi decretum, quod anno

proxime insequente ubivis erit executioni tradendum. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 5 Aprilis 1883.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS S. R. C. PRAEFECTUS

Loco ^ Sigilli

Laurentius Saloati S. R. C. SecretaiHus

DECRETUM, quo iterum excitantur locorum Ordinarii ad adoptandam in respectivis dioecesibus editionem librorum choralium cura Sacr. Kit. Congregationis novissime Ratisbonae impressam, simulque praecipitur ad cantus uniformitatem servandam, ut eae partes quae musicis notis designantur, in novis editionibus Missalium, Ritualium, ac Pontificalium, exigantur ad normam eiusdem Editionis.

Romanorum Pontificum sollicitudo, quemadmodum in reliquis quae ad sacram liturgiam pertinent , in eo etiam excelluit, quod ecclesiasticorum concentuum, maxime vero Gregoriani cantus, decori atque uniformitati semper consuluerit. Quocirca , cum iuxta vota Sanctae Tridentinae Synodi, Pius IV Pontifex Maximus aliquot S. R. E. Cardinales reformationi liturgici cantus praefecisset, omnem hi curam adhibuere, ut cantus eiusmodi ad aptiorem simpliciorem-que formam reduceretur, et ita ab omnibus divinae psalmodiae ope-ram dantibus recipi adoptarique facile posset. Qua in re perficienda plurimum illos iuvit solers industria atque eximia, peritia Magistri Ioannis Petri-Aloysii Praenestina qui, iuxta recensitas prudentis-simas normas , ita Romani Gradualis emendationem perfecit , ut simul proprios, ac genuinos Gregoriani cantus characteres in eo conservaret. Graduale Romanum ita emendatum atque reductum deinceps Paulus V Pontifex Maximus typis Mediceis Romae im-primi iussit, et Apostolicis Litteris in forma Brevis approbavit. Quo ex tempore in Pontificia Capella , atque in Patriarchalibus aliisque insignioribus Urbis Ecclesiis adhiberi illud coepit. Petri-Aloisii Praenestini aliquot discipuli coeptum, ab eo.opus, iubentibus Romanis Pontificibus prosecuti erant. Aetate vero nostra, cum s. m. Pius IX Pontifex Maximus Romanam liturgiam in omnibus fere Ec-clesiis feliciter adoptatam cerneret , etiam in votis habuit quoad cantum liturgicum uniformitatem inducere. Idcirco per Sacram Ri-tuum Congregationem peculiarem instituit Commissionem virorum ecclesiastici cantus apprime peritorum , qui sub eiusdem ductu , auspiciis et auctoritate Graduale editionis Mediceae Pauli V iterum

evulgarent, ceterasque partes, quae deerant eiusdem cantus, ad normam Gradualis perficerent. Huic voluntati obsecuta Sacra Rituum Congregatio, editis per praefatam Commmissionem circularibus lit feris die 2 Ianuarii anni 1868 , nomine Summi Pontificis invitavit typographos librorum liturgicorum editores , tam nostrates , quam exteros, qui vellent perhonorifico atque saluberrimo huic operi, sub directione Commissionis et auspiciis Sacrae Congregationis, manus-admovere. At cum illud gravissimum esse omnes agnoscerent, magnasse expensas, diligentiamque plurimam requirere, unus Eques Fridericus Pustet Ratisbonensis, Summi Pontificis atque Sacrorum Rituum Congregationis Typographus, arduo se huic operi accinxit, ac feliciter, Graduale quod attinet, illud absolvit. Perfecta itaque fuit Romani Gradualis Pauli V Editio maturo studio et cura praedictae Commissionis , ab eaque diligenter revisa , et tamquam authentica declarata, adeo ut merito Romana, et a Sacra Congregatione concinnata dici valeat. Eam Summus Pontifex Pius IX suis Brevibus litteris datis die 3 Maii anni 1873, plurimum laudavit, atque ad unitatem cantus ecclesiastici inducendam Reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus, quibus Musices sacrae cura est, magnopere commendat: addita hortatione ipsi Editori, ut quae adhuc edenda supererant de Gregoriano cantu volumina, quibus inchoata olim a Paulo V perficitur editio, tandem in lucem proferret. Cum itaque deinceps idem Typographus, pari studio ac diligentia, et iuxta praedictas normas, eam partem edidisset Antiphonarii atque Psalterii quae Horas diurnas complectitur, Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII alias edidit Apostolicas Litteras in forma Brevis die 15 Novembris anni 1878, quibus Praedecessoris sui decreta confirmans> eam Editionem a Viris ecclesiasticis cantus apprime peritis, ad id a Sacra Rituum Congregatione deputatis, revisam approbavit atque authenticam declaravit; adiecta, iisdem verbis, quibus s. m. Pius IX usus fuerat pro edito Graduali, vehementi Editionis eiusdem commendatione ad Reverendissimos Ordinarios omnes Musices sacrae cultores *ut sic cunctis in locis ac dioecesibus, cum in ceteris quae ad sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu ; una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia.*

Interea temporis plures ecclesiasticae Musices cultores subtilius inquirere coeperunt, quaenam esset primigenia Gregoriani cantus ratio, quaeque fuerint per subsequentes aetates variae phases. Verumtamen plus aequo huius investigationis limites praetergressi, ac nimio antiquitatis amore fortasse abrepti, negligere visi sunt recentes

Sedis Apostolicae ordinationes, eiusque desideria pluries canif estata pro introducenda uniformitate Gregoriani cantus , iuxta modum prudentissimo Romanae Ecclesiae usu compraba tum. Scilicet; post-habito hoc iam sapienter constituto tramite , adhuc sibi integrum esse putarunt contendere, ut ad eam quam ipsi putant, primaevam •conc-entuum. formam Gregorianus cantus reducatur , eo etiam sub obtentu, quod Apostolica Sedes cantum editionis ab se nuper approbatae authenticum quidem declaraverit, et magnopere commendaverit, aut minime singulis Ecclesiis, imposuerit; quin adverterent, uti oportebat constantem esse Summorum Pontificum praxim ad nonnullos abusus tollendos persuasione magis quam imperatis uti voluisse; eo vel maxime scientes quod Rmi locorum Ordinarii, eorumque Cleri verba exhortationis Summi Pontificis loco mandati pie- et religiose interpretari solent. Quae quidem arbitrandi rationes cum per ephemerides, ac varia edita opuscula vulgarentur, ipsaque Editionis praefatae approbatio in dubium vocaretur, Sacra Congregatio sui officii esse duxerat Apostolicas Litteras sa. me. Pii IX iam editas, authenticas declarare, et eiusdem editionis approbationem iterum confirmare, decreto edito die 14 Aprilis anni 1877.

Nihilominus neque eo decreto, neque subsequentibus Apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri superius memoratis, illi acquiescere visi sunt; quin imo suas opinationes adhuc validius inculcare perrexere in eo conventu cultorum ecclesiastici cantus, qui ut Guidoni Monacho solemnes deferrentur honores, superiore anno Aretii habitus est: non sine illorum offensione, qui Apostolicae Sedis auctoritatem, non minus quam in reliquis ad Sacram Liturgiam per"" tinentibus, in cantus etiam ratione et uniformitate , unice sequendam esse iure merito existimant. Sed quidquid hac in re improbandum irrepserit, quoniam ii , qui Aretii hac de causa convenerant, nonnulla eadem de re vota , seu postulata Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII humiliter porrexerunt, eiusdem oraculum exquirentes ; idem Sanctissimus Dominus Noster , attenta negotii gravitate , peculiari Sacrae Rituum Congregationis Coetui ab se delecto quorumdam S. R. E. Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum, atque aliquot Praesulum Officialium eiusdem Sacrae Congregationis illud expendendum commisit. Quae peculiaris Congregatio ad Vaticanum infrascripta die adunata , re mature accuratoque perpensa, ac resumptis omnibus ad rem pertinentibus, exquisitasque etiam peritissimorum virorum sententiis , ita , si Sanctissimo placuerit, decernendum censuit :

Vota seu Postulata ab Aretino Conventu superi ire anno emissa, ac Sedi Apostolicae ab eodem oblata pro liturgico cantu Gregoriano ad vetustam traditionem redigendo, accepta uti sonant, recipi probarique non posse. Quamvis enim ecclesiastici cantus cultoribus integrum liberumque semper fuerit, ac deinceps futurum sit, eruditionis gratia, disquirere quaenam vetus fuerit ipsius ecclesiastici cantus forma, variaeque eiusdem phases, quemadmodum de antiquis Ecclesiae ritibus, ac reliquis Sacrae Liturgiae partibus eruditissimi viri cum plurima commendatione disputare et inquirere consueverunt; nihilominus eam tantum uti authenticam Gregoriani cantus formam atque legitimam hodie habendam esse, quae iuxta Tridentina» sanctiones a Paulo V. Pio IX sa. me. et Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII, atque a Sacra Rituum Congregatione, iuxta editionem Ratisbonae adorna tam, rata est et confirmata, utpote quae unice eam cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Quocirca de hac authenticitate et legitimitate inter eos, qui Sedis Apostolicae auctoritati sincere obsequuntur, nec dubitandum, neque amplius disquirendum esse. Ut vero cantus, qui in Sacra Liturgia, stricto sensu accepta, adhibetur, uniformis ubique existat, in novis editionibus Missalium, Ritualium ac Pontificalium, eae partes, quae musicis notis designantur, ad normam Editionis praedictae a S. Sede approbatae, utpote continentis cantum liturgicum proprium Ecclesiae Romanae (ut praefert ipse titulus in fronte cuiusque libri appositus) exigantur, ita ut illius textui sint omnino conformes. De cetero quamvis, iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem cum de uniformitate in ecclesiastica liturgia inducenda actum est, praefatam editionem singulis Ecclesiis non imponat, nihilominus iterum plurimum hortatur omnes Reverendissimus locorum Ordinarios aliosque ecclesiastici cantus cultores, ut illam in Sacra Liturgia, ad cantus uniformitatem servandam, adoptare curent, quemadmodum plures iam Ecclesiae laudabiliter amplexae sunt. - Et ita decrevit die 10 Aprilis 1883.

Pacta autem de his omnibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit die 26 eiusdem mensis et anni.

D. CARD. BARTOLINIUS, PRAEFECTUS

Loco gg Sigilli

Laurentius Salvati S. B. C. Secretarius

DECRETUM

ROTHOMAGEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae De la Salle Fundatoris Congregationis Fratrum Scholarum Christianarum.

Per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die **23** Maii 1879 **a** Sanctissimo Domino Nostro **L**EONE **P**APA XIII benigne concessum **fuit, ut in** Ordinario ipsius Sacrae Congregationis Coetu ageretur, absque interventu et voto Consultorum, de Validitate Processuum Apostolica Auctoritate constructorum super tribus Miraculis, **quae** praedicto Ven. Servo Dei Ioanne Baptista De la Salle intercedente, **a** Deo patrata feruntur. Hinc Emus et Rmus Dominus Cardinalis Ioannes Baptista Pitra, praefatae Causae Ponens ad instantiam Rev. Fr. Robustiani Procuratoris G-eneralis Congregationis Fratrum Scholarum Christianarum , et huiusce Causae Postulatoris , in Ordinario speciali Coetu ipsius Sacrae Rituum Congregationis, iuxta peculiares dispositiones eiusdem Sanctissimi Domini Nostri sub die **20** Novembris **1878** editas, constituto, ac subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium proposuit, nimirum :

« An constet de validitate Processuum, Auctoritate Apostolica constructorum super Miraculis in Dioecesibus Rothomagen. Parisien. Aurelianen., testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur ? »

Sacra porro eadem Congregatio , omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribere rata est: *Affirmative seu Constare.*

Die **13** Februarii **1883.**

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro **L**EONI **P**APAE XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit die 15 eodem Mense et Anno.

D. **C**ARD. **BARTOLINIUS** S. R. C. **P**RAEF.

Loco ✠ Sigilli

LAURENTIUS **S**ALVATI *S. R. C. Secretarius.*

EX 8. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE circulares ad Hiberniae Episcopos, quibus edicitur probari non posse pecuniae collectam, ad quam adigi quis videtur quadam veluti vi ac metu.

Illustrissime ox Rme Domine

Quidquid sit de persona Parnelli eiusque consiliis, exploratum tamen est plures ex illius asseclis eam agendi rationem in multis casibus adhibuisse, quae plane abhorret ab iis quae Summus Pontifex in suis ad Cardinalem Archiepiscopum Dublinensem uteris enunciavit, quaeque in instructionibus huius s. Congregationis ab Hiberniae Episcopis in nuperrimo Dublinensi conventu unanimiter receptis continentur. Enim vero iuxta haec praescripta *fas est /libemos fortunae suae afflictae levationem quaerere, fas est et pro iure suo contendere,* servandum tamen semper divinum illud praeceptum, *quaeri primum oportere regnum Dei et iustitiam eius; turpe autem esse, causam quamvis iustam tueri non iuste.* Porro Cleri totius et maxime *Episcoporum est incitatos multitudinis animos temperare et ad iustitiam necessariamque in omnibus rebus moderationem tempestivis hortationibus revocare, ne vehementiori cupiditate ducti emolumenta rerum fallacibus iudiciis videant, aut spem publicae felicitatis in dedecore fiagitiorum ponant.* Hinc sequitur nemini clericorum licere ab his regulis deflectere , nec iis motibus, qui prudentiae et studio placandorum animorum minime conveniunt sese immiscere, aut illis provehendis dare operam. Haud certe vetitum est pecunias ad conditionem Hibernorum levandam conferre: verumtamen ex praedictis mandatis Apostolicis eae collectae omnino reprobandae sunt quae proclamantur ad cupiditates populi inflammandas , ut iis facile homines abuti queant ad turbulenta consilia contra leges ineunda. Potissimum vero ab illis abstinendum , cum haud obscure patet exinde odia excitari, convicia in viros spectatos congeri, neque crimina ac caedes , quibus flagitiosi homines sese polluerunt ullimode reprobari; maxime ubi asseratur mensuram veri in patriam amoris ex conlata vel denegata pecunia aestimari, quo fit ut quadam veluti vi ac metu adigi ad haec homines videantur.

Quibus positis compertum Amplitudini tuae esse debet, eam pecuniae collectam quae *Parnell testimonial fund* audit, ab hac Sacra Congregatione non posse probari, nec proinde ecclesiasticis viris, maxime vero Episcopis licere eam ullo modo commendare vel promovere.

Interea precor Deum uti Amplitudinem tuam diutissime sospitet.

Datum Romae ex Aed. S. C. de Propaganda Fide die 11 Maii 1883.

Sanctissimi Domini Nostri LEONIS Divina Providentia PAPAE XIII Constitutio De Lege Franciscalium tertii Ordinis saecularis.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam

Misericors Dei Filius, qui, suavi iugo et leve onere nominibus imposito, omnium vitae et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiae suae reliquit heredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes saeculorum aetates •eodem semper charitatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quae Iesus Christus in omni vita vel gessit vel praecepit, mitis illa sapientia et invictae magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christianae reipublicae institutis mira quaedam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in hac ipsa re similitudinem Dei, *qui charitas est* (1), gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis huius maternae maxime proprium, accomodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, at in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque huiusmodi consuetudine charitatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat.

Hac Nos ratione animum et mentem Nostram in gerendo Pontificatu conformantes, officii Nostri ducimus eo, quo aequum est, iudicio aestimare naturam temporum, et omnia circumspicere, ne quem difficultas deterreat ab utilium exercitatione virtutum. Et nunc quidem perpendere ad hanc normam placuit sodalitatem Franciscalium *Ordinis Tertii,* qui *saecularis* dicitur, diligenterque statuere num leges eius modice temperari ob mutata tempora oporteret.

Praeclarum istud Francisci patris institutum vehementer pietati christianorum commendavimus per litteras Encyclicas *Auspicato,* quas die XYII Septembris anno superiore dedimus. Dedimus autem hac voluntate atque hoc unice proposito, ut quanto plures possent

(1) I Ion. IV, 16.

ad sanctitatis christianae laudem invitatione Nostra tempestive revocaren tur. Origo quippe est maxima et malorum quae premunt, et periculorum quae metuuntur, neglecta christiana virtus: alteris vero mederi, atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando privatim et publice ad Iesum Christum reditu, *qui saldare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum* (1). Iamvero in curandis Iesu Christi praeceptis instituta, Franciscalia tota sunt posita: neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusqùe persequuntur: sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere. Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini: et quantum possit ad mores iustos, integros, religiosos superiorum temporum monumenta et res ipsa declarat.

Auctori autem et adiutori .bonorum consiliorum Deo acceptum referre debemus, quod illis cohortationibus Nostris clausae aures populi christiani non fuerunt. Imo vero plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitatem Tertii Ordinis expetentium. Quapropter velut incitamenta currentibus praebituri, illuc decrevimus^ cogitationem intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et primum quidem perspeximus, Regulam Tertii Ordinis quam Nicolaus IV Decessor Noster, probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra Montem* die XVIII Augusti **MccLxxxix,** non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta officia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare sodalium precibus hactenus necesse fuit: quod quidem sine disciplinae communis detrimento fieri non posse, facile intelligitur.

Deinde alia quoque in eadem sodalitate erat caussa, quae Nostras sibi curas vindicaret. Nimirum Romani Pontifices Decessores Nostri Tertium Ordinem iam inde a natali suo summa benevolentia complexi, Indulgentias complures et satis amplas in expiationem admissorum sodalibus concessere. Quarum ratio effecta est annorum decursu perplexior: atque illud in contentionem saepe veniebat, num de pontificali indulgentia certis in caussis constaret, et quo tem-

(1) Hebr. VII, 25.

pore, quove genere eadem uti fas esset. Certe desiderata non est Apostolicae Sedis hac in re providentia: ac nominatim Benedictus XIV P. M. Constitutione *Ad Romanum Pontificem* die xv Martii anno MDCCLI tollendas priores dubitationes curavit; non paucas tamen, ut fere tit, denuo attulit dies.

Quamobrem huiusmodi incommodorum cogitatione adducti, ex sacro Consilio Indulgentiis sacrisque reliquiis tuendis praeposito aliquot S. E. R. Cardinales destina vimus, qui leges Tertiariorum pristinas cum cura recognoscerent; item Indulgentias et privilegia omnia in commentarium relata examinarent: adhibitoque intelligenti iudicio, hac de re ad Nos referrent, quid retinendum quidve novandum pro temporum conditione censuissent. Transacto, uti imperatum erat, negotio, ii quidem Nobis auctores fuerunt, leges veteres necti atque accomodari ad has recentes vivendi consuetudines oportere, cum quorumdam capitum immutatione nonnulla. De Indulgentiis vero, ne qui relinquatur haesitandi locus, prohibendique caussa periculi, ne quid non iure fiat, arbitrati sunt, Nos ad exemplum Benedicti XIV sapienter utiliterque facturos, si revocatis abrogatisque Indulgentiis omnibus, quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro eidem sodalitio decreverimus.

Ergo quod bonum felixque sit, Dei gloriam amplificet, et pietatis virtutumque ceterarum studia magis accendat, Nos his Litteris auctoritate Nostra apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra descripta est, novamus et sancimus. Quo tamen facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur; quam omnino volumus immutatam atque integram permanere. Praeterea poenarum remissionibus, seu Indulgentiis, privilegiisque, **quae** infra in indice recensentur, eosdem sodales uti. posse volumus et iubemus, sublatis penitus Indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante **hanG** diem concesserat.

Lex Sodalium Franciscalium Tertii Ordinis qui *Saecularis* dicitur

CAP. I.

DE COOPTATIONE, TIROCINIO, PROFESSIONE.

§ I. Ne quos cooptari liceat, nisi maiores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis

sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

§ II. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum iudice.

§ III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis iuribusque careant.

§ IV. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos esse iura Dei, obedientes Ecclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

CAP. II.

DE DISCIPLINA VIVENDI.

§ I. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elègantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

§ II. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item comissationibus perquam caute abstineant.

§ III. Pastu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

§ IV. Ieiunium Mariae Virgini Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli ser vanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel ieiunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

§ V. Admissa rite expianto per menses singulos; item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

§ VI. Tertiarios ex ordine Clericorum, quod Psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. V. M.*, persolvunt, precationem Dominicam- cirm Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies ia. dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

§ VII. Quibus est testamenti factio, **ii** suo quisque tempore de re sua testentur.

§ VIII. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere : pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

§ IX. Charitatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

§ X. Iusiurandum ne iurent unquam, nisi necessario. Tur pia dictu, scur riles iocos f ando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint : si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

§ XI. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos Praefectus indixerit, conveniant.

§ XII. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

§ XIII. Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui charitatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

§ XIV. Ad exequias sodalis demortui sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium,* tertiam partem ad caeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter, rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

CAP. III.

DE OFFICIIS, DE VISITATIONE, DEQUE IPSA LEGE.

§ I. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunto. Oblata ne qui sine caussa iusta recuset, ceu oscitanter gerat.

§ II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satisne salvae leges. Eius rei ergo, sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Si' quem *Visitator* ad officium monendo iubendo revocant, sive quid, salutaris poenae nomine, in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

§ III. *Visitatores* ex Primo Eranciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani,* si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

§ IV. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui : ni pareant, excedere Ordine iubeantur.

§ V. In liis legibus si qui forte quid deliquerint, noe se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis quae iure divino Ecclesiaeve legibus alioqui praecipiuntur.

§ VI. Si quae huius capita legis quemquam servare caussa gratis et iusta prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cuius rei Praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

Index indulgentiarum et privilegiorum.

CAP. I.

DE INDULGENTIIS PLENARIIS.

Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui ad missorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, Indulgentiam plenariam consequendi ius sit, diebus et caussis quae infra scriptae sunt:

I. Die aditiali :

II. Quo die singuli Ordinem primitus profitentur :

III. Quo die ad concionem menstruam seu *Conferentiam* conveniunt, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint:

IV. Die IV octobris, natali Francisci Patris legiferi: die XII Augusti, natali Clarae Virginis legiferae : die II Augusti, festo Mariae Angelorum reginae ob Basilicam eius dedicatam : item quo die solemnia anniversaria aguntur Sancti caelitis, in cuius templo sedes est sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis caussa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint:

V. Semel per menses singulos, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis maximi obsecrando perstiterint:

VI. Quoties, potioris vitae studio, per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi secesserint :

VII. Item morituris, si sanctum salutare nomen Iesu aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint. Iidem eodem iur* fruantur, si nec compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

VIII. Bis in anno *Benedictionem summi Pontificis nomine* acceptum, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplica verini: itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *Absolutionem*, hoc est *Benedictionem*, per hos dies qui infra scripti sunt: I. Natali Domini Nostri Iesu Christi: II. die solemni Paschatis Resurrectionis: III. die solemni Pentecostes: IV. in festo Sanctissimi Cordis Iesu: V. item Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis: VI. Iosephi sponsi eius die XIX. Martii: VII. Impressionis ss. Stigmatum Francisci Patris die XVII Septembris: VIII. Ludovici regis G-alliarum, Patroni caelestis sodalium Tertio Ordine die XXV Augusti: IX. Elisabeth Hungaricae die XIX Novembris.

IX. Item semel in mense, si qui *Pater, Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianae, semel ad mentem Pontificis maximi recitaverint, ii iure omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, aedem Iacobi Apostoli Compostellensem, religionis caussa, celebrant.

X. Quibus diebus stativae supplicationes in Missali Romano designantur, si templum sacrarium ve. in quo sedes christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo iure fruantur, quo in Urbe cives hospitesve fruuntur.

CAP. II.

DE INDULGENTIIS PARTIALIBUS.

I. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, in quo est sedes sodalitii constituta, celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate .supplicaverint quo die sacra Stigmata Francisco Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginae Lusitaniae, Elisabeth Hungaricae, Margaritae Cortonensis, itemque aliis duodecim diebus, quos singuli maluerint et Praefectus Ordinis probant, ea supplicatio septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar sit.

II. Quoties Missae aliisve divinis officiis, vel sodalium conventibus publicis privatisve interfuerint: inopes hospitio acceperint: dissidia composuerint, componendave curarint: in pompam rite ductam prodierunt: Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequiverint, ad campani aeris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitave-

rint : quinquies precationem et salutationem eamdem recitaverint rei christianae, vel animabus sodalium defunctorum Deo commendandi» : hominem mortuum extulerunt: devium quemquam ad officium reduxerint: Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint : aut aliud quippiam ex hoc genere charitatis egerint, toties singulis eorum, Larum rerum singularum caussa, tercentos de poenalium dierum numero expungere liceat.

Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis, sive *plenariis* sive *partialibus,* labes poenasque defunctorum expiare liceat.

Cap. III.

DE PRIVILEGIIS.

I. Sacerdotibus ex ordine Tertiariorum ad quodlibet ait ire facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

II. Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus : non obstantibus Constitutionibus, Litteris Apostolicis, statutis, consuetudinibus,, privilegiis, alisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis et contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras ullo modo, ullâve ex parte violare. Si quis autem adversus eas tale quicquam ausit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae Mi% lesimo octingentesimo octogesimo tertio, III Kalendas Iunias, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

C. Card. Sacconi *Pro-Datarius* —- Tat. Card. Mertel.

VISA De Curia **L D**e Aquila e Vicecomitibus

Loco ***£•** *Plumbi*

Beg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CERINIOLEN.

ONERUM

Die 20** Ianuarii **1883.

COMPENDIUM FACTI. Unica olim in Ceriniolensi civi"fato Paroecia extabat, cuius habitualem curam Cathedralia Capitulum, actualem vero Archipresbyter gerebat. Ut autem animarum regimini aptiori ratione consuleretur, anno 1832, dismembratione peracta, duae novae Paroeciae constitutae fuerunt sub titulo B. V. Mariae a Monte Carmelo, et B. V. Mariae Perdolentis, quarum habitualem curam, ac plurima emolumenta, Parochorum propria, Capitulum sibi reservavit, annua libellarum summa 637, 50 utrique Vicario Parocho attributa. Postremis hisce annis, ob auctum fidelium numerum, uterque Parochus necessarium duxit duos Capellanos coadiutores sibi adsciscere, annuis libellis 153 unicuique assignatis. Ob impositionem vero taxae, vulgo *di ricchezza mobile,* parochorum congrua adhuc imminuta fuit libellis 87, 50; quas Capitulum sibi retinet; tum quoque altera taxa vulgo *di manimorte.* Ex quo factum est, ut eorum convenienti sustentationi haud amplius provisum maneret; ideoque die 13 Decembris 1881 Sacratissimum Principem supplices adierunt, ac postularunt ut Capitulum, penes quod habitualis cura residet, cogeretur ad Capellanorum stipendia et ad taxam *di ricchezza mobile* persolvenda.

Disceptatio Sinóptica.

DEFENSIO PAROCHORUM. AC in primis Parochi contendunt Capitulum teneri quatuor Capellanis coadiutoribus stipendia persolvere. Et sane Parochorum congruam sufficere debere

ad honestam vitae sustentationem, extra controversiam est- Iamvero demptis libellis 306, quas uterque Parochus suis Capellanis rependit, reliqua summa libellarum 331, 50 convenienti eorum sustentationi est prorsus impar. Hinc optimo iure ab huiusmodi gravissimo onere sublevandi sunt. Cum autem habitualis cura penes Capitulum existat, sponte sequitur ipsi hoc onus incumbere.

Praeterea in hisce duabus Paroeciis instituendis Capitulum sibi reservavit, ut in Bulla erectionis habetur, ***iura*** *associationum, aliaque emolumenta, quae dicuntur stolae nigrae.* Hinc Parochis relinquuntur parva emolumenta ex matrimonio obvenientia, cum expensis pro cultu. Quare cum ex habituali cura Capitulum quamplurima emolumenta Parochorum propria percipere velit, illud onus ex eadem habituali cura derivans effugere minime debet. Absonum enim est, ut qui ex alicuius iuris exercitio commodum sentit, incommodum ab alio perferri contendat.

Quibus expensis haud effugium aliud invenire potest Capitulum, quam in Bulla S. Pii V *Ad exequendam,* in qua Vicariis curatis congruae quantitatem praefiniri mandavit,, et ordinariis locorum hanc dedit normam, scilicet ut non maior centum, nec minor quinquaginta scutatorum summa ipsis assignaretur. Verum si intimius tum facta, tum Bulla inspiciantur, totum hoc Capituli fulcrum evanescit. Revera in primis, aiunt Parochi, ex iam dictis satis clare apparere congruam ipsis assignatam, detractis Capellanorum stipendiis ac expensis' cultus, quin computetur taxa *di ricchezza mobile,* quinquaginta seu tata haud amplius pertingere.

At dato etiam quod eorum congrua ad legalem summam ascendat, edicunt potius Bullae spiritum examini subiiciendum esse, quam verba, ex tradita per Apostolum in *II. Cor. 3. 6. Littera occidit, spiritus vivificat.* Iamvero si bene Pontificis verba perpendantur, illico erumpit hanc congruam praefixisse ad excessus praelatorum moderandos, qui in portione fructuum Parochis assignanda parum aut nihilum ex. fructibus assisnabant ecclesiarum rectoribus.

In casu autem oppositum omnino verificatur, cum Canonici ex praebenda et distributionibus necessaria commodae eorum sustentationi desumant, Parochi vero in egestate versantur. Quare cum finis legis cessaverit, et ipsam legis dispositionem cessasse dicendum est. Notandum etiam Pontificem voluisse sua dispositione, *curam animarum exercentium utilitati, recta ratione, et provida moderatione consuli et salubriter provideri.* Atqui congrua ipsis assignata, qua Cappellanis consulere debent, insufficiens est convenienti vitae sustentationi ob nimis auctum alimentorum pretium. Ergo concludi debet vel dispositionem Pontificis cessasse, vel saltem esse moderandam , *quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni. L. Scire ff. 16. de Legibus.*

Neque magis iuvat Capitulum opponere duos tantum Cappellanos utrique Parocho sufficere. Siquidem quaelibet Paroecia decem millia circiter fidelium complectitur, uti Parochi ex Syndici testificatione ostendunt; huius proinde multitudinis spirituali bono consulendi, nedum duo, sed etiam tres Sacerdotes vix pares esse videntur , uti ex Episcopi ipsius verbis eruitur.

Hoc posito, ex disciplina Concilii Tridentini in *Sess. XXI, cap. 4. De Ref.* tradita, ius est Parochis tot coadiutores sibi adiungere quot sufficiant ad ministranda Sacramenta et ad divinum cultum peragendum: quod si hoc Parochi non faciant, Episcopus eos cogat: praestat verba Tridentini referre: « Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, *sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere,* quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum. » Idem omnino evincitur ex Constitutionibus *Apostolici muneris* Innocentii XIII, et *In supremo* Benedicti XIII. Quod revera salubriter cautum est, ne fideles petentes panem, non sit qui frangat eis

Ad aliud autem dubium gradum faciendo etiam onus taxae vulgo *ricchezza mobile* a Capitulo perferendum esse Parochi contendunt. Aiunt enim : congrua Parochorum haud constituta fuit in fundo certo, per Capitulum designato; Parochi subire tenentur aut augmentum, aut redituum imminutionem. Sed Capitulum ceu morale corpus praestare quotannis spopondit libellas 637, 50 pro congrua: hinc Capitulum ipsum onus taxae perferre debet nihilque repetere valebit a Parochis.

Perperam vero Capitulum obiiciet quod demptis a congrua libellis 87, 50 pro memoratae taxae solutione, summa a Tridentino Concilio statuta, integra remaneat. Nunc etenim ob temporis et annonae charitatem vitae substentatio difficilior evasit. Hinc merito ReifFenstuel *Lib. III Decr.. tit.* 37 *num. 23,* circa dispositionem s. Pii V, Parochorum congruam respicientem, animadvertit: « Observandum nihi» lominus est, et attendendum omnino videtur, quod tem» pore quo edita fuit haec Bulla (s. Pii V) videlicet 1567, » omnia saltem in suis partibus fuerint in longe viliori » pretio; adeo ut his temporibus, respectu praecedentis illius» temporis, necessaria vitae, vix duplici pretio acquirantur: » consequenter ubi tempore illo quinquaginta, vel centum » scutata pro honesta substentatio ne sufficiebant, hodie cen» tum, vel ducenta necessaria sint; adeoque etiam temporis » ratio merito habenda sit, iuxta illud vulgare *concorda » tempora, et concordabis iura.* » Si igitur aetate huius auctoris congrua scutatorum centum Parochis vix sufficiens erat, nostris temporibus inspectis, ac perpenso, quod oratores emolumentis stolae nigrae carent, huiusmodi congrua prorsus insufficiens est habenda.

DEFENSIO CAPITULI. Defensor vero Capituli Ceriniolensis oneri Parochorum utrumque esse asserit, stipendium nempe Coadiutorum in annuis libellis 306, et taxam *di ricchezza mobile* in libellis 87,50. ***Aa** primum* quod attinet, distinctione utitur inter onera, quae respiciunt curam animarum et administrationem sacramentorum, atque alia onera: hinc ex

auctoritate *Pitonii in discept, ecclesiast. 50 num. 37* ait: impensam Coadiutorum, principaliter referendam inter onera curae animarum et administrationis sacramentorum, pertinere ad Vicarium perpetuum, habentem curam *actualem* Parochiae, non ad Capitulum habens curam *habitualem:* nam congrua datur praecise Vicario pro his oneribus curae.

Uno tantum casu non teneri Vicarium expensis curae, iuxta *Pitonium loc. cit. num. 40,* quando nempe ei data esset congrua sufficiens dumtaxat pro alimentis. Verumtamen huiusmodi non esse, subiungit orator, congruam Vicariorum Ceriniolensium : primo a ducatis 150 quotannis traditis a Capitulo pro unoquoque : secundo ab incertis *stolae albae,* quae singulis annis conscendunt ex attestatione pro-cancellarii Curiae episcopalis, ad ducata 60, praeter alia, de quibus infra. Cum ergo congrua conciliaris pro alimentis Parochi conscendat ad annua ducata centum, sive libellas 425, et Parochi vicissim Ceriniolenses habeant singulariter saltem ducata biscentum et decem, nempe libellas 892, superesse patet pro expensis curae, et principe loco Coadiutorum, in libellis 305, praeter eorum alimoniam, annua ducata 110, seu quod idem est libellae 467.

Quin obiiciatur calculan non posse in congrua lucra eventualia atque incerta, qualia sunt illa *stolae albae:* nam ait *Cardinalis de Luca in disc. 18 de Parodi, num. 12. Quamvis pro ratione dubitandi obstare videretur conclusio, quod in congrua habenda non est ratio de incertis, attamen non videbatur motivum considerabile, quoniam dicta conclusio intelligenda est de illis emolumentis, mere voluntariis et incertis, quae pendent a sola populi devotione, et quae possunt nulla esse: secus autem in emolumentis parochialibus, solvendis occasione sacramentorum, vel sepulturae, cum non possit populus non mori, non nasci et non baptizari, atque non contrahere matrimonia.*

Ad taxam autem *di ricchezza mobile* quod spectat in libellis 87.50, super ducatis 300, quae exacte a Capitulo binis

Parochis penduntur, praemonuit defensor, iam Capitulum solvere Gubernio omnia et quaecumque onera inhaerentia bonis sex Mansionariorum suppressorum, unde hauriuntur. Itaque reliqua onera quae, praeter expensas curae, supra laudatus *Pitonius in cit. discept, eccl. 50 num. 37,* reiicit in Capitulum, habens curam *habitualem,* Capitulum ipsum vere et ad unguem iuxta leges ecclesiasticas sustinet. Quaestio hic est de nova diversaque taxa *di ricchezza mobile,* quae suapte vi percipientem, non dantem persequitur: qui ideo postquam debitum solvit, praesto esse iterum non potest assignatario summae, si ab eo gubernium aliud pro sua propria persona ultra exigit.

Quibus in iure constitutis oneribus Parochorum, in mercede Coadiutorum et in taxa *di ricchezza mobile,* neque eos saltem exonerari oportere, subdit Orator, ob assertam deficientiam congruae conciliaris, si iis Parochi damnarentur. Nam ex Constit, s. Pii V *Ad exequendum* Congrua esse debet non maior centum, nec minor quinquaginta scut. annuis seu libellae 500, comprehensis omnibus incertis, emolumentis et aliis obventionibus communiter percipi solitis. Parochi vicissim habent annua ducata 150 a Capitulo pro unoquoque, et emolumenta *stolae albae,* conscendentia, ex attestatione Pro-Cancellarii Curiae Episcopalis, ad alia ducata 60: in totum ducata 210, sive libellas 892. Hinc facile percipitur integram congruam ducatorum centum non deesse parochis, etiamsi onera de quibus agitur praestare deberent. Favore autem parochorum adsunt legata pia, in utraque ecclesia adimplenda, quibus impletis, aliquid superest favore Parochorum eorumdem. Congrua haec haud imminuitur ab expensis cultus; quae ex integro sustinentur a duabus Confraternitatibus, sexaginta abhinc annis existentibus in illis Ecclesiis.

Ceterum, si congrua ad hypothesim deficeret, non inde Capitulum ei teneri, Defensor conclusit. Non enim hodie amplius proceditur vel procedi potest cum antiqua regula, quod Capitulum habens curam *habitualem* supplere debeo

congruae, dummodo tamen *bona Ecclesiae parochialis habeat,* et in quantum ipsa bona *sinunt* ex *Card. Be Luca de paroch. disc. 18 n. IO 11.* Universa quandoquidem bona ecclesiastica laicum Gubernium occupavit, relictis duodecim tantum Canonicatibus in Cathedralibus cum sex Mansionariatibus: quorum primi in Cathedrali Ceriniolensi praebendam habent ducatorum 100: alteri ducatorum 50, oneribus pro medietate fere consumptam : reliquum est massa communis sub natura distributionum quotidianarum, ad quae ius habent beneficiati choro interessentes.

Nil itaque Canonici et Mansionarii dare possent, etsi maxime vellent, et in praeciso casu deficientis congruae confugiendum esset *ad Gubernium,* penes quod resident bona Parochiarum. Siquidem lex quae fisco addixit Ecclesiae patrimonium, sese obligavit deficientiam congruae, pro numero animarum supplere, et quotidie ad illud pro necessitate recurritur.

Hisce aliisque animadversis, sequentia proposita fuere enodanda

Dubia

I. *An Parochi vel Capitulum teneantur stipendia rependere Capellanis coadiutoribus in casu.*

II. *An onus taxae, vulgo* di ricchezza mobile, *sustinendum sit a Parochis, vel a Capitulo in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata, sub die 20 Ianuarii **1883,** censuit respoudere:

Ad **I.** *Capitulum non teneri.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ex QUIBUS COLLIGES

I. Oneribus quae respiciunt curam animarum et administrationem sacramentorum satisfaciendum esse per parochum, curam gerentem actualem, si conguam habeat a iure volitam.

II. Inter onera quae Sacramentorum administrationem, et animarum curam tangunt, videri recensendos esse coadiu^ torum impensas (1).

III. Congrua in themate libera a laxa vulgo *di ricchezza mobile* praestanda esse videtur quia constituta est a Capitulo in vim pecuniae certam atque determinatam (2).

(1) Confer. Vol. VIII, 594. *Postulatum circa Paroeciam.* In hoc postulato quaerit Episcopus an queat cogere parochum sibi adiungere suis sumptibus alium sacerdotem ad obeunda munia parochialia ; quibus impares evaserant parochus-eiusque cappellanus. Sacra C. C. re perpensa die 24 Iulii 1875 respondit : *In casu exposito cogi posse parochum et amplius,*

(2) Recole Vol. XI, 447 *Reìntegrationis vectigalium.* Quaestio haec agitata est inter Capitulum Cortonen. et unum ex quatuor Par#chis, quibus idem Capitulum oongruam parochialem praestare spoponderat, a quovis onere immunem. Sacra Cong. resolvit vectigalia (inter quae taxa di ricchezza mobile) tam persoluta quam persolvenda a capitulo redintegranda fuisse.

FULDEN.

CONSUETUDINIS ET FACULTATIS ADSERVANDI SS. EUCHARISTIAM

Die 17 Februarii 1883.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Fuldensis, supplici oblato libello sub die 11 Decembris 1882, Summo Pontifici exposuit: « Consuetudinem inolevisse a pluribus saeculis conservandi SS. Sacramentum in Ecclesiis filialibus suae Dioecesis; quibus addictus est presbyter, qui diebus festis et fere quotidie in illis Ecclesiis missam celebrat. Ceterum SS. Sacramentum caute custoditur et lampas perpetuo accensa habetur, sed dictae consuetudinis origo documentis demonstrari nequit ; attamen quum dioecesim supradictam saepius a Nunciis Apostolicis clarissimis visi tatam esse constet, indultum

quoddam Apostolicum praesumendum videtur. Praeterea in supradicta dioecesi, praesertim per partes haereticorum, sacella aliqua erecta sunt, et alia, ceu sperare libet, in posterum erigentur, in quibus ab initio presbyter bis per mensem dicit missam fideliusque collectis providet, praesertim infirmis, in vicinia graviter decumbentibus. Fideles dictorum locorum vehementer desiderant SS. Sacramentum, etiam illis diebus in quibus missa non offertur, colere. Procul dubio Sacramentum per ludimagistrum, sacristam vel alios viros fideles caute custodiri potest et lampas perpetuo accensa haberi. Ad S. V. pedes Episcopus orator humillime provolutus rogat, ut eamdem consuetudinem asservandi SS. Sacramentum in ecclesiis filialibus, supra descriptam, benignissime ratam habeat, eique facultatem concedat, servatis servandis, permittendi, ut in ecclesiis vel sacellis secundo loco supra commemoratis SS. Sacramentum asservari liceat. »

Disceptatio Synoptiea.

GRATIA ÌNDULGENDA VIDETUR. Certum est, SSmum Sacramentum asservari posse etiam in Ecclesiis non parochialibus ex indulto Apostolico. Quamvis vero nullum in casu afferatur dpcumentum ad illud probandum, debet tamen praesumi ex consuetudine vigente, teste Episcopo, a pluribus saeculis cum hoc proprium sit consuetudinis saecularis, -quae non innitatur falso titulo. Et revera in iure exploratum est huiusmodi consuetudinem vim privilegii habere et meliorem de mundo titulum praebere; ***Card.*** De Luca ***de Benef. disc. 32. num. 2 et 6; S. Rota*** pluribus in decisionibus, sed praesertim in ***Praenestina Mutae 23 Martii 1819 par. 3 coram Marco.***

Sed ut res inspiciatur proprie quoad consuetudinem asservandae Eucharistiae, placet referre verba Benedicti XIV ***Const. Quamvis iusto die 30 Aprilis 1749 §. 24: «*** Sa-
» cramentum Eucharistiae in Ecclesiis quae parochiales non
» sunt, retineri non potest absque praesidio Apostolici In-

» diilti vel immemorabilis consuetudinis, quae huiusmodi » Indulti praesumptionem inducit. » Et uberius a S. C. C. iam fuit approbatum, ut SS. Eucharistiae Sacramentum conservaretur in Ecclesiis etiam non parochialibus, si ab immemorabili fuerit in eisdem asservatum, uti habetur in *Neapolitana 21 Aprilis 1709.* Accedit huiusmodi consuetudinem tacita quoque approbatione Nuntiorum Apostolicorum fulciri, qui saepius Dioecesim Fuldensem perlustrarunt. Hinc quod rata haberi debeat praefata consuetudo asservandae Eucharistiae etiam in Ecclesiis filialibus omnis ratio suadet.

Quoad alteram supplicis libelli partem animadverti potest verbis Card. Petra in *Comment, ad Constit.* ***1*** *Urbani IV num. 37:* « In huiusmodi licentiis concedendis sc-» lets. Congregatio Concilii caute procedere,nedum ob metum » facilis irreverentiae, verum etiam quia tantum Sacramen-» tum dedecet in loco minus solemniori asservari, quamvis » dum adsit concursus populi, et praesertim si distet a pa-» rochiali et alia concurrant necessaria pro manutentions » soleat annuere. »

Haec omnia plane concurrunt in casu. Et revera adest concursus fidelium, qui vehementer, teste Episcopo, Eucharistiae Sacramentum etiam illis diebus, quibus missae sacrificium non offertur, colere optarent. Adest elfciam necessitas et utilitas. Cum enim SS. Sacramentum asservetur praecipue in usum infirmorum, nisi facultas, quae in votis est, concedatur, fideles qui in illis locis degunt, cum in vitae discrimine versantur, vel debent de hac vita sine postremo Religionis subsidio migrare, vel eis transferendum est cum gravi incommodo a paroecia, quae longe distat. Et quod magni facienda sit haec ratio patet ex pluribus S. C. C. decisionibus; *Neapolitana 31 Iunii 1706* et *Ulyssiponen. 6 Septembris, 1707.* Omnia demum, quae ad decentiam, ornatum et custodiam requiruntur, rite servari, s. Sedi Episcopus amplissime praestat.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Verumtamen ex altera part* praeprimis perpendendum occurrit quod potissima ratio, qua

mos asservandi Eucharistiam in Ecclesia invaluit, in eo sita est, ut deferatur ad infirmos, ne sine communione moriantur; *Can. Presbyter, dist. 2 de consecrat.* Cum igitur huiusmodi cura pertineat ad parochum, hinc SS. Eucharistia asservari potest tantum in Ecclesiis parochialibus aut in illis quae paroeciae rationem praeseferunt, inter quas certe referri non possunt Ecclesiae aut sacella, de quibus in supplici libello est sermo. Nec quoad haec sacella removeri potest omnino periculum irreverentiae, cui maximopere Pontifices caverunt in huiusmodi licentiis indulgendis; *Cap. 1 tit. 44 lib. 3 Decret. Litterae Encyclicae s. Congr. Episcop. et Regul. diei 7 Febr. 1751.* Omnes enim scimus quanto odio SS. Sacramentum semper prosequuti sunt haeretici, in quorum partibus sunt erecta praesertim sacella, pro quibus Indultum Apostolicum petitur.

Debere demum singulis diebus missam celebrari in Ecclesia, ubi Eucharistia asservatur, colligi posse videtur ex Decreto S. Congregationis Rituum in *Firmana diei 16 Martii 1833,* ubi statutum fuit aedituum addictum rurali Ecclesiae, ubi Eucharistia asservatur, « teneri ad residen-
» tiam, et quotidianam missae celebrationem vel per se
» vel per alium sacerdotem. » Hoc autem non observari nedum in sacellis secundo loco memoratis, ubi tantum bis per mensem celebratur, sed neque in Ecclesiis filialibus, uti Episcopus ipse fatetur.

Hisce breviter animadversis quaesitum fuit ab Emis Patribus quid esset respondendum precibus Episcopi Fuldensis.

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio, re ponderata, sub die 17 Februarii 1883 censuit respondere:

Pro gratia, iuxta petita, ita tamen ut in Sacellis, tam erectis, quam erigendis curet ut Missa, saltem semel in hebdomada, celebretur, facto verbo cum SSmo.

Ex QUIBUS COLLIGES *I*

I. Piam matrem Ecclesiam concedere solere, ut SSmum Sacramentum asservetur etiam in loco minus solemniori,

secluso irreverentiae metu, quoties adsit populi concursus, necessitas et utilitas.

II. In themate tria haec adesse per loci Ordinarium autumari; qui ait, in votis esse fidelium suae Dioecesis SSmum colere Sacramentum, et per hanc facultatem apprime consuli aeternae infirmorum saluti : quibus aut migrandum esset absque hoc Religionis solamine, aut eisdem deferendum cum magno incommodo a Paroecia, quae saepe longe distat.

CASTRIMARIS

NOMINATIONIS

Die 17 Februarii et 5 Maii 1883.

COMPENDIUM FACTI. Antonius Bolognese, publicis tabulis, rite confectis, sub die 26 Decembris 1701, Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Castrimaris fundavit, favore Capituli statuens iuspatronatus, hac sub lege : quod esset eligendus ad hanc praebendam laurea donatus, sive in s. Theologia, sive in iure civili. Si autem in futuris praesentationibus haud inveniretur neutra laurea praeditus, unus ex Hebdomadariis a Capitulo posset praesentari.

Archidiaconus Capituli Apostolicam Sedem certiorem fecit, nunc canonicatum huiusmodi vacare, et duos adesse in illa civitate sacerdotes, prorsus iuvenes, qui lauream consecuti sunt; dum extat aliquis ex hebdomadariis, qui iam processit in diebus suis, quique a triginta et ultra annis choro laudabiliter inservit. Quapropter archidiaconus , etiam Capituli nomine, expetivit, ut pro hac sola vice, praesentari posset ad vacantem praebendam unus, ex dictis hebdomadariis. Hisce precibus proprias adiecit Episcopus, qui etiam de veritate, et utilitate rei testatus est.

Disceptatio Synoptiea

DEFENSIO CAPITULI. Atque in primis, cum indubium sit civile gubernium ad duodenarium numerum canonicos reduxisse, praefatumque canonicatum suppressionis legi obnoxium fuisse, sponte veluti sua fluere videtur, Capitulum fundationis legibus amplius non teneri in casu. Cessantibus enim redditibus, cessare debere ordinationem fundatoris beneficii, in propatulo est apud **DD.** *arg.* §. *f nal. Instü. de Usufructué cap. Cum accessissent 8 et cap. Eco parte 12 de Constitutionibus.* Ita praesertim Felinus in *cit. cap. Cum accessissent 8 de Constit.* Reiffenstuel *lib. HI Tit. V de Praeb, et Dignit. num. 114,* Azorius *p. 2 lib. 6 cap. 24 q. 6.* Et optimo sane iure id statutum videtur, cum exploratum sit beneficii dotem constituere veluti fundamentum voluntatis fundatoris; ideoque hanc illius vicissitudines sequi necesse est, iusta vulgatam iuris regulam *42* in 6°: *accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Quod autem huiusmodi praeiudicium ex dotis amissione dimanans experiri debeat fundator tantummodo, salvo iuspatronatus Capituli, extra omnem dubitationis aleam positum esse asserit Capitulum. Quandoquidem in comperto esse ait, quod fundator sibi retinuerit dominium directum dotis, ac propterea huius damnum ipse solus experiri debet. Illius enim esse periculum rei, cuius est sors, docet §. 3 *Instit. de Locat. et Cond,* necnon *L. 1 C. de Iure Emphyt**

Hisce omnibus accedit quod Capitulum dum optimo iure post suppressionis legem posset in duodecim tantum canonicos dividere pecuniae summam a civili gubernio acceptam, exemplo non comuni alios septem canonicos et sex hebdomadarios ad eiusdem participationem vocavit; et id, prouti testatur Episcopus praecipue pro amore et decore sacri cultus. Si igitur Capitulum propter decorem divini cultus dat de proprio, **ut** numerus canonicorum et hebdomadariorum **integer servetur,** dotemque **in** casu tribuat, pronum est inferre, **ipsum nulla** fundationis **lege** obstringi **valere in ele-**

ctione novi canonici. Quinimo novum titulum iurispatronatus sibi vindicare posset, si vellet, cum dotatio a Concilio Tridentino *Sess. 15 cap. 12, et Sess. 21 cap. 7 de Ref.* pro sufficienti causa acquirendi iuspatronatus agnoscatur.

Praeterea animadvertit Capitulum quod canonicatus Bolognese propriam distinctam que entitatem retinet, neque naturam massae proprie participat; cuius proprium est, ut singulae partes ita misceantur, ut indistinctae maneant. Siquidem dos huius praebendae accidentaliter in communi massa erat et eo fere modo servabatur, quo summa aliqua determinata servatur in communi capsa a depositi custode. Mille enim ducata assignata fuerunt Capitulo a patrono; non quidem ut pro lubitu suo de hac summa disponeret, sed ut, manente semper eadem sorte, reditus tantum a Capitulo perciperentur.

Quaquaversus igitur res inspiciatur, manifestum semper apparet nominationem unius ex hebdomadariis ad canonicatum iure meritoque pro hac vice Capitulum peragere valere.

DEFENSIO SACERDOTUM LAUREATORUM. Altera sed vero ex parte perpendendum occurrit vulgatum in iure esse quod quidquid laica potestas de bonis ad Ecclesiam pertinentibus disponat, in irritum cedere debeat, etiamsi huiusmodi dispositio in ecclesiae favorem vergeret, *cap. IO de Constit., cap. 12 de reo. Eccl. non alien., cap. S de arbitr.,* Fagnan. *in cap. Quae in Ecclesiarum num. 20 et 31.* Cuius nullitatis ratio in eo ponitur, quod laici iurisdictione carent sive in Ecclesiasticas personas, sive in bona Ecclesiae; Fagnan. *loc. cit.,* Piton, *in controvers. Pat. allegat. 57 n. 70,* s. Rota *Coram Cavaler. decis. 494 n. 2*[1].

Posito itaque quod suppressio in casu a civili potestate, Ecclesia pro viribus reclamante, peracta fuerit, nemo non videt huiusmodi suppressionem nullius roboris habendam esse, ideoque beneficia, sicut et Canonicatum iurispatronatus, in eodem statu permanere, quo ante. Quod enim nullum est, nullum producere posse effectum tradit *L. 4* §. *fundamentum de re iudic, ei cap. illud 8 de lurepatr.*

Quapropter, ad rem scribit Episcopus, ex sacerdotum sententia : redituum privationem pro septem praebendis, haup hiberi posse septem beneficiorum suppressionis instar; sed C3nsenda est veluti quaedam totius massae diminutio. Ita ut canonicus quisque parviorem consequi valeat quotam in fructuum divisione. Idque roborari etiam ex facto, quod Capitulum illud nullam habeat praebendarum distinctionem, haud excepto canonicatu iurispatronatus, sed unicam possideat communem massam ; et quia iam amplam obtinuerit missarum reductionem ab Apostolica Sede.

Hisce praestitutis, intelligi haud datur quonam pacto sustineri nunc valeat, quoad canonicatum iurispatronatus Capitulum non teneri fundationis legibus, quas ad unguem servandas esse docet *L. Nulli licere Cod. de Episc, et Cler., Clement. Quia contingit, cap. 2 de Relig, dom., cap. Nos quidem de testam.* Concil. Trid. *Sess. 25 cap. 5 de Reform.* Quinimo pius ipse fundator adeo firmas voluit huiusmodi leges, ut decreverit, irritum fieri quodlibet contrarium actum, etiam praevia Sedis Apostolicae dispensatione cum clausola derogatoria.

Porro ea quae ex adverso afferuntur pro adstruenda huius •canonicatus extinctione, mole sua ruere dubium non est, cum ex superius deductis luce meridiana clarius scateat non solum nullitas suppressionis, sed etiam dotis conservatio. Quandoquidem reddituum diminutio, cui ceteroquin iam provisum est per reductionem missarum, massam communem tangit.

Quae cum ita se habeant, non immerito concludi posse videtur, sacerdotium ius in pleno firmitatis robore manutenendum esse.

Hisce delibatis, quaesitum fuit quonam responso esset dimittendum sequens

Uubium

An ad vacantem canonicatum pro hac vice nominandus sit unus ex hebd ornari ar Us, vel potius sor ordos laurea

RESOLUTIO. Sacra O. Cong. re disceptata, sub die 5 maii 1883, censuit respondere :

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. In themate videri s. C. Congregationem haud censuisse extinctum canonicatum Bolognese neque de iure, neque de facto; sed habuisse suppressionem, lege civili peractam, ceu diminutionem massae communis; ita ut Capitulum adhuc teneatur fundationis legibus quoad electionem laureatorum. **(1)**

(1) Confer quaestionem *iurispatronatus* relatam Vol. XV pag. 344.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISIT.

Dubia quoad interpretationem Constitutionis Apostolicae Sedis.

BEATISSIME PATER,

Episcopus N. ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus exponit, quod super interpretatione *clarae* illius Constitutionis, quae incipit ***u*** Apostolicae Sedis moderationi » die lé Octobr. 186& emanatae, in hac Dioecesi aliqua dubia oborta sint, quae Apostolica solutione digaa esse videntur.

Primo - Ac primum quidem per praedictam Constitutionem excommunicationi latae sententiae, episcopis sive ordinariis reservatae, subiacere declarantur ***u*** Clerici in sacris constituti vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere praesumentes. » Quam censuram aliqui extendi etiam ad eos Clericos defendunt, qui civile, quod vocant, matrimonium contrahere attentant in locis, ubi Decretum - *Tametsi* - *Conc. Tridentini (Sess. XXIV. cap. I. De Reformât, matrim.)* promulgatum et in usu est. Haec vero-sententia ab aliis reiicitur.

Quaeritur ergo: utri sententiae sit adhaerendum?

Secundo - Excommunicationi nemini reservatae subiacent, **ex** Constitutione, de qua quaeritur, ii ***u*** qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt, ***n*** Sed dum aliqui restringendam illam esse adstruunt ad libros sacrarum Scripturarum, nec non eorumdem adnotationes vel commentarios; alii e contra affirmant, libros quoscumque de rebus tractantes in genere, i. e. ad religionem pertinentibus tractantes, eâ censura comprehendi.

Quaeritur ergo iterum utrius sententiae sit adhaerendum?

Tertio - At dubia quamplura exorta sunt circa praefatae Constitutionis exequutionem ex apposita in fine eiusdem generali, imo plenissima derogationis formula ***u*** non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus,Constitutionibus privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus, quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque. »

Infrascriptus Episcopus orator, ut difficultates haud parvas omittat, quae in exequutione Constitutionis « Apostolicae Sedis » nascuntur, ex eo potissimum quod iura Ecclesiae non sunt plene admissa', legesque et consuetudines variae huic Constitutioni adversae vigeant, principaliora aliqua dubia quoad eius clausulae vim et rationem proferre satagit.

I°.) Vi Constitutionis praefatae. « Moniales **e** clausura exeuntes extra casus et formam a S. Pio PP. V. in Constitut. « Decori » praescriptam, excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae subiiciuntur. Sed in hac Dioecesi, ut etiam in pluribus aliis omnino ab immemorabili conceditur iisdem egressus ex causis gravibus, ab Episcopo recognitis et probatis, iuxta Concilium Tridentinum et nulla ratione habita Constitutionis Pianae.

Quaeritur ergo utrum particularis ea et immemorabilis consuetudo per dictam novam Constitutionem abrogata censeri debeat, an continuari possit?

2°.) In eadem Const. excommunicatione Romano Pontifici reservata plectuntur « immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes. »

Hisce vero in regionibus lex asyli ecclesiastici, secundum omnem suam rationem a longissimo tempore in desuetudinem abiit, ita ut vix quisquam, nisi casu ad petendum eius patronicium animum intendat. Nihilominus movetur quaestio utrum, abrogata contraria consuetudine, lex asyli denuo statuta in his quoque regionibus, sit saltem quoad substantiam servanda nec ne?

3°. Tandem excommunicationi subiacere declarantur alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica, absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis « Ambitiosae » - de rebus ecclesiasticis non alienandis - Ex infaustis vero casibus quibus ab initio huius saeculi bona ecclesiastica affligebantur, aliasque ob causas subortae sunt, vel praetenduntur, consuetudines sacro iuri contrariae, quae nonnumquam privilegiis sat vetustis firmari videntur.

Circa haec igitur sequentia dubia proferri liceat :

(A) An ipsa lex Beneplaciti Apostolici per Constitutionem saepe memoratam, licet haec ad limitandas censuras latae sententiae potissimum tum spectarit, quasi de novo promulgata est, ut sua vi generaliter omnes ligat, atque etiam ligaret si constitutio illa *u* Ambitiosae *n* (qtfâm ceteroquin ratam firmamque declarat) vel alia similis non praecessisset ? Et si affirmative.

(B) An vi clausulae derogatoriae, vi novae Constitutionis appositae, revocata censeri debeant privilegia antiqua ab ipsa Apostolica Sede rite obtenta, alienandi, scilicet, absque Beneplacito Apostolico.

(C) An derogatio haec extendi etiam debeat ad consuetudines particulares legi de Beneplacito Apostolico latae contrarias, quamvis immemorabiles?

(D) Utram cadat lex fundationis alicuius loci pii, vel Instituti ecclesiastici, in quantum circa bona legata Beneplacitum Apostolicum una cum consensu Episcopi seu Ordinarii excludit, vel permittit eorum bonorum alienationem absque tali consensu et Beneplacito (ita quod Monacelli, in suo formulario, ex Cap. - Tua Nos - deduxit); an vero ista lex fundationis stare possit, saltem respectu Institutorum, quae sub immediato regum protectione sunt (Trid. Sess. XXII. cap. VIII. de Reformat.) regio titulo insignita, libertate legali vel facultate a regibus fundatoribus donata fuerint, faciendi de suis bonis quidquid sibi pro suis et Instituti totius necessitatibus decreto communi libuerit?

Haec principaliora sunt dubia quae, ut Sanctitas Vestra gratiosissime solvere dignetur, humillime hisce flagitatur.

Et Deus etc.

Feria IV, die 22 Decembris 1880.

Emi PP. DD. Quoad primam partem instantiae

Ad dubium Primum.

Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post emissum solemne castitatis votum, praesumentes contrahere matri-

moniüm, sic dictum, civile in locis ubi lex Tridentina de clandestinità te viget, incurrere excommunicationem latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam.

Ad Secundum.

Censuram nemini reservatam, inflictam iis qui libros de rebus sacris tractantes sine ordinaria approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt, restringendam esse ad libros sacrarum Scripturarum, nec non ad earumdem adnotationes et commentarios, minime vero extendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, idest ad religionem pertinentibus tractantes.

Quoad secundam partem instantiae

Ad Primum.

Affirmative ad primam partem, *Negative* ad secundam: nempe quoad egressum Monialium a clausura servandam esse Constitutionem S. Pii **V.** « Decori » contraria consuetudine non obstante.

Ad Secundum.

Affirmative et detur particula instructionis fer. IV, 1 Febr. 1871 ad rem faciens prout extat in V° Cons.

Ad primum dubium sub littera (A). *Affirmative.*

Ad secundum dubium sub littera (B) quatenus privilegia de quibus agitur generalia sint, *Affirmative;* quatenus sint specialia et personalia *Negative.*

Ad tertium dubium sub littera (C) *Affirmative.*

Ad quartum dubium sub littera (D). Per recentem Constitutionem nihil immutatum esse quoad fundationes locorum piorum aliarumque ecclesiasticarum Institutionum, de quibus proinde iudicandum esse prout indicabatur ante promulgationem huius Constitutionis.

BREVE COMMENTARIUM RESPICIENTIA RELATUM PAG. 375 VOLUMINIS HUIUS-

Instructio edita anno 1832 a S. C. Immunitatis pro exclusione laicorum et clericorum coniugatorum a quovis iurisdictionis officio exercendo in causis criminalibus clericorum. (1)

III. e M. E. Mons. come Fratello

E principio certo in diritto , e costante pratica che nè i laici, nè gli stessi "Chierici coniugati possono giudicare le cause criminali di Chierici, od esercitare contro di essi alcun atto di giurisdizione anche delegata dal giudice competente : poiché la delegazione dee cadere in un soggetto capace di giurisdizione ecclesiastica, di cui tranne il caso dell'espressa Apostolica autorizzazione , sono incapaci non meno i laici , che i Chierici coniugati. In conformità all'esposto principio questa sacra Congregazione dell'Immunità , cui è affidata la tutela dei diritti della Chiesa, e delle persone ecclesiastiche, non solo ha più volte inculcato agli Ordinari di non prevalersi del ministero de' laici nella formazione de'Processi a carico dei Chierici, non solo ha deciso non po-

Illme ac R. Domine uti Frater

Certum in iure principium est , atque in praxi constanter servatum, nec laicos, neque ipsos coniugatus Clericos posse in causis Clericorum criminalibus iudicium ferre, vel aliquod contra ipsos actum exercere iurisdictionis, quamvis a competenti iudice delegatae: quoniam delegatio in subiectum cadere debet ecclesiasticae iurisdictionis capax qua, excepto casu Apostolicae Sedis,expresse auctor antis, incapaces sunt non minus ac laici, Clerici coniugati. Ad exposui principii tramites s. *haec Congregatio Immunitatis cui iurium Ecclesiae personarumque ecclesiasticarum tutela commissa est, non modo Ordinariis saepius indixit ne laicorum ministerio in confectione processuum contra clericos uterentur: non modo decrevit nequire Epi-*

(1) His quae in articulo XII Appendicis V Pag. 385 huius voluminis adduximus de *Actuariis* et *Cancellariis,* Litteras editas a S. C. Immunitatis die 3 Octobris 1832 edicere opportunum a; Strati sumus, ut notum sit, nullum iurisdictionis actum a laicis vel clericis coniugatis exerceri posse in causis clericorum criminalibus: neque ipsis actuariis vel cancellariis, nisi clerici sint, etiam ex do legata eis, ab Episcopis facultate, licere testium examina excipere.

tere un Vescovo delegare il Giudice laico a processare un chierico, anche fino alla sentenza esclusivamente; non solo ha dichiarato esser nullo il Processo costrutto contro persone ecclesiastiche da un Chierico coniugato, tuttoché suddelegato di un Delegato Apostolico; ma eziandio in due piene adunanze, la prima del giorno 23 Agosto 1775, **V** altra del di 17 marzo 1778 rescrisse in favore della nullità dei Processi fatti contro due Ecclesiastici dalle Curie di Sezze e Palestrina per la sola ragione, che gli esami dei testimoni erano stati eseguiti dai Cancellieri vescovili, i quali, sebbene delegati con ispeciale mandato del Giudice ecclesiastico, non erano però Chierici celibi, ma<coniugati. Ed in seguito sotto il giorno 22 settembre 1781 diresse per espresso Oracolo Pontificio a tutti gli Ordinari una lettera circolare, nella quale riprovando ogni contraria anche antichissima consuetudine, richiamò all'esatta osservanza le disposizioni canoniche in quelle Curie, che se n'erano allontanate; e non lasciò di provvedere coli' esercizio dell'Apostolica Autorità ai difetti delle Processure da esse fino a quel punto formate a carico degli Ecclesiastici contro la forma prescritta dai sacri Canoni

Malgrado delle massime, e pratiche finora indicate, è giunto **a** notizia délias. Congregazione del-

scopum laicum Iudicem delegare pro conficiendo clerici processu etiam usque ad sententiae probationem exclusive; non modo nullum declaravit processum a Clerico coniugato, etiamsi a Delegato Apostolico subdelegato, contra Ecclesiasticas personas, sed etiam in plenis Comitiis dierum 23 Augusti 1775 et 17 Martii 1778 rescriptum edidit pro nullitate processuum, contra duos Ecclesiasticos instructorem in Curiis Setina et Praenestina, ea tantum de causa, quod testium examina excepta fuissent a Cancellariis episcopalibus *qui quamvis delegati a Iudice ecclesiastico , non célibes Clerici sed coniugati erant. Dein sub die 22 Septembris 1781, de expresso Pontificio Oraculo ad omnes Ordinarios circulares litteras misit, quibus consuetudine qualibet,quamvis vetusta, reprobata, plenam diligentemque observantiam canonicarum dispositionum revocavit in illis Cwiis quae ab ea discesserunt: nec omisit Apostolicae auctoritatis exercitio defectibus consulere processuum, usque ad id tempus confectorum contra Ecclesiasticos in spretum formae a ss. Canonibus praescriptae.*

Non obstantibus principiis praxique huc usque expositis, ad s. Congregationis Immunitatis notitiam pervenit quasdam Curias episcopales iterum, ct

l'Immunità che alcune Curie vescovili ne hanno nuovamente, e forse più estesamente deviato. A forma dell' Articolo 3 dell' Appendice al Regolamento organico pubblicato il 5 Novembre dello scorso anno 1831 debbono tutti i Tribunali criminali ecclesiastici esser composti dell' Ordinario ed altri quattro Giudici. Ora in più Diocesi o per una sinistra intelligenza della Sovrana accennata disposizione, o per la mancanza nel Clero di abili soggetti; o per altri simili circostanze sono stati chiamati a far parte degli anzidetti Tribunali alcuni laici o chierici coniugati, ed a questi resta commesso il giudizio come delle altre cause criminali di pertinenza del Foro ecclesiastico, così di quelle de' Chierici. Si è quindi eccitato il dubbio della nullità delle sentenze, da siffatti Tribunali pronunziate contro gli Ecclesiastici, e non ha taluno di essi indugiato a ricorrere a questa s. Congregazione, ed a domandarle che dichiarasse nulla, pel titolo di mancanza di giurisdizione e di violazione della personale immunità, la condanna contro di lui emanata. Nè qui dee tacersi della pratica non meno irregolare, che la s. Congregazione ha in tal cougiuntura conosciuto essersi antecedentemente introdotta in altre Curie vescovili, nelle quali l'officio di Giudice processante, anche nelle cau-

maiorì forsan amplitudine ab illis defiexisse. Ad normam articuli 3 appendicis Regulae organicae, in lucem editae die Ö Novembres anni 1831 proximi praeteriti . omnia Tribunalia criminalia ecclesiastica constare debent Ordinario et quatuor iudicibus. Ast pluribus in Dioecesibus, vel ob non rectum Supremae dispositionis intellectum, vel ob defectum habilitatis inter clero addictos, ad supradicta Tribunalia constituenda vocantur laici quidam vel clerici coniugati, quibus iudicium committitur cum ceterarum causarum criminalium, ecclesiastico Foro pertinentium, tum itlarum quae Clerieos respiciunt. Hinc dubium surrexit de nullitate sententiarum, ab istis Tribunalibus in Ecclesiasticos promanantium, et nonnulli haud steterunt quin ad s. hanc Congregationem recursum facerent, ut nulla ex capite defectus iurisdictionis et relationis personalis immunitatis condemnatio in ipsum probata declaretur. Neque silendum est hoc loci de non minori irregularitate praxeos illius, quam S. C. antehac in aliis Curiis invaluisse novit, ut scilicet Iudicis processum conficientis officium, etiam in causis Clericorum, a laico vel a Clerico coniugato exerceri solitum sit.

Tali in rerum statu, S. C. eadem, ut venerabili suae insti-

se de'Chierici, è solito esercitarsi da un semplice laico, oppure da un Chierico coniugato.

In questo stato di cose la medesima s. Congregazione, sia per corrispondere al fine della venerabile sua istituzione, sia per rimuovere dai giudizi che si pronunzieranno dai Tribunali vescovili criminali il fondatissimo dubbio di nullità, sia per impedire il grave disordine di vedere per l'enunciato motivo alterato il corso, e ritardata l'amministrazione della punitiva giustizia; ha creduto suo dovere di consultare **LA SANTITÀ DI NOSTRO SIGNORE** affine di prendere coli' Apostolico suo Oracolo le determinazioni, e pubblicare i provvedimenti opportuni come a richiamare l'osservanza delle canoniche regole, così a togliere le cause di ulteriori ricorsi, i quali potrebbero facilmente aversi per parte di altri Ecclesiastici in simil guisa processati, e giudicati dai Tribunali vescovili criminali.

Presso pertanto la relazione che di tutto si è fatta al Santo Padre, ed in virtù della sua espressa sovrana autorizzazione si dirige a V. S. la presente lettera della quale due sono gli oggetti. Il primo è di avvertirla che se mai nella sua Curia, sebbene per lungo ed immemorabile tempo , si fosse finora tenuta una pratica diversa da quella, che sulle traccie de'sacri Canoni trovasi

ditionis fini responderet, vel ut a iudiciis quae a Tribunalibus episcopalibus criminalibus proferuntur arctissimum nullitatis dubium exsularet, vel ut gravissimam ordinis perturbationem praepediret, quae accidit cum ob allatam causam punitivae iustitiae cursus mutatur administratioque retardatur, officii sui rata est Sanctitatem **NOSTRI DOMINI** *consulendi, ut ex Apostolico Oraculo suo, quae constituenda sunt acciperet provisionesque in lucem ederet opportunas, cum ad canonicas regulas ad observantiam revocandas, tum ad causas praepediendas novorum recursuum, qui facile admodum proderentur ab aliis Ecclesiasticis viris, tali modo inquisitis, atque a criminalibus episcopalibus Tribunalibus iudicatis.*

Acta itaque rerum omnium ad Beatissimum Patrem relatione, ipsaque expresse auctorante, praesentes litterae ad Dominationem Tuam mittuntur, quarum duplex obiectum est. Primum ut moneatur quod si in Curia tua, quamvis longo et immemorabili tempore, praxis invaluerit haud cohaerens illi quae ad tramites ss. Canonum per huius S. C. resolutiones constituta est, exigas in futurum processus contra Ecclesiasticas personas, tam in actis constituti, quam in examine testium feri adstante et inter-

stabilita nelle replicate risoluzioni di questa s. Congregazione, debba Ella esigere che in avvenire le processure contro persone Ecclesiastiche tanto per gli atti del costituto del reo, quanto dell'esame dei testimoni siano formate coli' assistenza , ed intervento del Giudice ecclesiastico, o di altro soggetto da delegarsi , purché sia Chierico celibe. Il secondo è di renderle noto , che, non essendosene nello spirito nè nell' espressione dell' articolo 3 dell' appendice al Regolamento organico derogato in alcun modo alle disposizioni canoniche, i giudici , i quali hanno presentemente a comporre in un coll'Ordinario tutti i Tribunali ecclesiastici criminali debbono esser Chierici celibi. E all'adempimento di ciò non è per ostare la condizione di alcune Città e Diocesi, in cui si rende malagevole di avere quattro Chierici celibi atti

veniente Iudice ecclesiastico vel alia persona destinanda dummodo clericus caelebs sit. Alterum est obiectum, ut tibi innotescat quod cum neque eae spiritu, neque ex littera articuli 3 Appendicis regulae organicae, ullo modo derogatum sit canonicis dispositionibus, iudices, qui in praesentialibus una cum Ordinario Tribunalia ecclesiastica omnia conficiunt, clerici caelibes esse debent. Neque huiusce regulae implemento obstat quarumdam ^Civitatum Dioecesumque conditio, in quibus difficile est, ut adsint quatuor Clerici caelibes, apti ad prudens iudicis officium exercendum : quoniam horum locorum necessitatibus Sanctitas Sua iam consuluit per Secretariam Status, quae litte' ris circularibus diei 14 Aprilis praeteriti (1) *de quatuor ad duo tantum numerum coegit eorum qui cum ordinario Tribunali*

(1) **Litterae circulares, de quibus hic sermo est ita se habent *u* Sanctitati Nostri Domini expositum est a quibusdam Curiis episcopalibus, nimis difficile esse, » et quibusdam in Diocesibus impossibile quatuor personarum numerum cogere quae » una simul cum Ordinario Tribunalia ecclesiastica in causis criminalibus conficiant, iuxta dispositum *in* Articulo** 4 **appendicis Regulae organicae et procedurae criminalis diei** 5 **Novembris anni praeteriti. Hinc est quod Sanctitas » Sua talibus in pretio habitis circumstantiis, concessit Ordinariis facultatem ad » duo numerum cogendi iudicum, qui una cum ipsis Ordinariis Tribunal respectivi vum conficiant in causis criminalibus ecclesiasticis et mixti fori, quoties ipsi » rati fuerint nimis difficile esse quatuor personas eligere. Romae die** 14 **Aprilis** » 1842. — **T.** CARD. BERNETTI. —. »

Haec pro simplici historica notitia attulimus : nam in instructione S. C. Episcoporum et Regularium de qua agit appendix nostra, indicem etiam unicum statutum est sufficere pro causis conficiendis resolvendisque praesenti temporum conditione.

¿id esercitare il geloso Officio di Oiudice, giaccìiè al bisogno di tali luoghi ha già SUA BEATITUDINE provveduto per mezzo della Segreteria di Stato la quale colla sua lettera circolare, del giorno 24 Aprile scorso ha ristretto a due in vece di quattro il numero •degli individui che oltre l'Ordinario debbono formare il Tribunale vescovile criminale. Che se v'abbia qualche Diocesi, in cui il Clero sia scarso di persone abili a giudicare che non si possano neppure avere due soggetti forniti della scienza, e delle altre qualità necessarie; in tal caso vuole SUA BEATITUDINE che i Vescovi ricorrano nelle particolari circostanze a questa S. Congregazione, la quale inteso l'Oracolo Pontificio, darà le istruzioni , e provvidenze che si giudicheranno opportune, e meno lesive sì dei sacri Canoni , sì della personale Ecclesiastica Immunità.

In tal circostanza la SANTITÀ di NOSTRO SIGNORE non ha lasciato di estendere la benigna Sua considerazione sopra tutte le processure fatte fino al presente contro la forma canonica , non che sulle sentenze , e condanne pronunziate a carico di persone Ecclesiastiche dai Tribunali vescovili criminali, i quali fossero composti di laici, od anche di Chierici coniugati. Ri» guardo pertanto alle processure, *e* sentenze suindicate per le quali

Episcopale criminale componere debent. Quod si aliqua in Dioecesi ita parcus sit numerus personarum, ad iudicium ferendum habilium, ut neque duo tantum subiecta scientia aliisque necessariis qualitatibus praeditae haberi nequeant, hoc in casu vult Sanctitas Sua, Episcopos peculiaribus in circumstantiis hanc s. Congregationem adire, quae, Pontificio Oraculo audito, instructiones provisionesque dabit quae opportunae censebantur, quaeque minus tum sacros Canones , tum Ecclesiasticam Immunitatem laedent.

Hac in occasione Sanctitas Nostri Domini haud sivit benignam Suam considerationem extendere ad omnes processus huc usque initos contra formam canonicam, nec non ad sententias et condemnationes prolatas contra ecclesiasticas personas a Tribunalibus, episcopalibus criminalibus quae ex laicis constent vel etiam ex Clericis coniugatis. Itaque quoad processus et sententias dictas, contra quas usque adhuc nulla quaerela vel appellatio ad hoc supremum Immunitatis Tribunal deducta est, vult Sanctitas Sua Apostolica auctoritate integre universali'

non è stata finora dedotta querela, o appellazione a questo supremo Tribunale dell' Immunità, vuole la SANTITÀ SUA, che con Apostolica Autorità restino interamente, ed universalmente sanate, e convalidate per quanto farà di mestieri, ed in guisa che dalla data della presente non sia più luogo a ricorso d' sorta alcuna in qualunque supremo Tribunale. In fine a quiete pure delle coscienze dei Giudici processanti, e di quei che non essendo Chierici celibi hanno pronunziato il giudizio contro persone ecclesiastiehe, così pel foro interno, come per l'esterno nel caso di dubbio, o scrupolo che potesse in loro suscitarsi alla notizia di quanto è stato premesso, il SANTO PADRE concede loro una totale assoluzione da qualunque pena e censura canonica, da cui segretamente per via penitenziale potranno farsi assolvere, e dispensare dai proprii Confessori.

Tanto viene a V. S. significato per sua regola e governo colla presente lettera, di cui dovrà accusare ricevuta, e Dio la prosperi.

Di Vostra Signoria

Roma, questo dì 3 Ott. 1832.

terque sanari et convalidari in quantum opus sit: ita ut a~. die praesentis nulli amplius recursu i ad quodvis supremum Tribunal locus pateat. Tandem ut quieti consultum sit conscientiae Iudicum, qui processus confecerunt, vel eorum qui cum non essent Clerici caelibes contra ecclesiasticas personas iudicium tulerunt, tam pro foro interno quam pro foro externo in casu dubii vel scrupuli, qui in ipsis exsurgere posset, habita notitia eorum quae praemissa sunt, Sanctus Pater ipsis concedit absolutionem peramplam a quavis poena vel censura canonica, a qua secreto in via poenitentiali absolvi poterunt ac dispensari a propriis confessariis.

Hoc Dominationi Tuae praesentibus litteris (quas accepisse profiteri debebis) significatur pro sua regula atque gubernio Deusque sit Tibi propitius.

Datum Romae die 3 Octobris-1832.

Littera circularis edita a S. o. Episcoporum et Regularium die prima Augusti 1851. (1)

Ill. e M. R. Mons. come Fratello

La S. M. di Pio VII nella sua costituzione *Post diuturnas* in data 30 ottobre 1800 nel titolo *u De iurisdictionibus Tribunalium et Iudicum criminalium , iudiciorum forma et ordine etc.* » al § 24: prescrisse: *a Si osservino per r avvenire tanto in Roma che nei Tribunali di tutto lo Stato Ecclesiastico le abbreviazioni di formóle , che nel Governo di Roma già si trovano in osservanza* ». Queste formóle e specialmente quelle della legittimazione dei processi, la quale è assolutamente necessaria negli incarti, che si compilano dalle Curie Ecclesiastiche, secondo l'antica procedura da osservarsi a forma del decreto di questa sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari in data dei 18 Décembre 1835 per le cause criminali, non sono a cognizione di alcuni Cancellieri di dette Curie , siccome questa sacra Congregazione ha dovuto rilevare in più cause giudicate in prima

Ulme ac Riñe Domine uti Frater.

Pius VII. sa. me. : in sua constitutione « post diuturnas » *diei 30 octobris 1800, in titulo* **u** De iurisdictionibus Tribuna- **D** lium et Iudicum criminalium » iudiciorum forma et ordine etc.» *sub § 24 praescripsit, "a Obser- » ventur in futurum tam RO- ti mae quam in Tribunalibus » totius Ecclesiastici status for- ti mular um compendia, quae in » Romano gubernio in viridi » observantia iam existunt. » Huiusmodi formulae et illae praesertim processuum legitimationem respicientes, quae legitimatio absolute necessaria est in positionibus quae conficiantur a Curiis Ecclesiasticis iuxta veterem procedendi modum observandum ad tramites decreti S. C. Episcoporum et Regularium dati die 18 Decembris 1853* (2) *pro causis criminalibus, ignorantur a quibusdam dictarum Curiarum Cancellariis , prouti S. haec Congregatio compertum habuit plu-*

(1) Litterae huius circularis iniunctiones, exceptis mutationibus allatis ab instructione diei 11 Iunii 1880, plura mirifice explicant : praesertim quae in §. XL et sequentibus continentur. Vide volum. XIII pag. 335 et seq. , et nostram Appendicem V pag. 396 huius voluminis.

(2) Retulimus hoc decretum ceu alias monuimus in volumine XIII pag. 333 nota (1).

istanza dai Tribunali vescovili, essendosi pure taluno permesso di discutere le cause in udienza formale, ossia in seduta, come fanno i Tribunali laici nelle cause maggiori, contro il sistema e lo stile dei Tribunali ecclesiastici. Si è pertanto ravvisato utile di far nuovamente imprimere le formole sopra indicate, e diramarle agli Ordinari, affinchè ogni cancelleria da loro dipendente ne sia provveduta. A tal effetto ne trasmetto a V. S. N— esemplari.

. . . .

Nè può questa sacra Congregazione dissimulare che taluni Ordinari nella composizione del loro Tribunale criminale, quanto al numero dei giudici con voto decisivo, non hanno presente il disposto dell'Appendice al Regolamento organico e di procedura criminale per norma delle Curie ecclesiastiche emanato dalla s. m. di Gregorio XVI. per mezzo della Segreteria di Stato li 5 novembre 1831, con la posteriore declaratoria risultante dalla circolare della stessa Segreteria di Stato dei 14 aprile 1832. Siccome questa legge prosegue ad essere nel suo pieno vigore, e la inosservanza offre motivo ai difensori di reclamare la nullità della sentenza in prima istanza, quando si propone la causa in grado di appello; così a togliere in appreso

ribus in causis in prima instantia ab Episcopalibus Tribunalibus resolutis cum aliquis in formali audientia, hoc est sessione stante, causarum discussiones sibi permiserit, ad similitudinem Tribunalium laicorum pro causis maioribus, contra usum et consuetudinem Tribunalium Ecclesiasticorum. Itaque opportunum ductum est easdem formulas iterum typis imprimere ac ad Ordinarios mittere ut unaquaque Cancellaria ab ipsis dependens eas possideat. Ad hunc effectum ad Dominationem Tuam exemplaria N.... transmittuntur.

. . . .

Nec possibile est ut S. haec Congregatio silentio praetereat; Ordinarios quosdam in sui Tribunalis criminalis confectione quoad numerum iudicum decisivum votum ferentium, haud prae oculis habere dispositiones Appendicis regulae organicae et processus criminalis editae a S. M. Greqorii XVI per Secretariam Status sub die 5 Novembris 1831 una cum pedissequa declaratoria in litteris circularibus eiusdem Secretariae Status diei 14 Aprilis 1832 existente. Quoniam haec lex plenam suam vim, exerere prosequitur, eiusdemque inobservantia causam defensoribus praebet nullitatem sententiae primae instan-

questa eccezione defensionale, si ravvisa necessario di richiamare a memoria le suddette pontifìcie disposizioni, alle quali sono coerenti le istruzioni date, alla evenienza de'casi, anche dalla s. Congregazione dell'Immunità Ecclesiastica. A questo fine si accludono a V. **S.** N———esemplari in istampa delle citate disposizioni.

Affinchè poi non s'ignorino gli oneri che incombono agli istigatori o aderenti al Fisco, allorquando essi, credendosi gravati dal giudizio di prima istanza, interpongono l'appello a questa s. Congregazione, si porta a notizia della di Lei Curia la risoluzione presa nella generale Adunanza dei 22 febbraio 1839 , accludendosene N. . . . esemplari in istampa.

tiae reclamandi, cum causa in gradu appellationis proponitur, ad, praecidendam in posterum defensionalem hanc exceptionem , necessarium ductum est in memoriam revocare supradictas pontificias dispositiones, quibus cohaerent instructiones proditae pro casuum opportunitate, a S. C. Immunitatis Ecclesiasticae.

Ne vero onera ignorentur quae instigatoribus vel Fisco adhaerentibus incumbunt, cum ipsi iudicio primae instantiae es gravatos existimant appellationemque ad S. hanc Congregationem interponunt, resolutio tibi innotescat, oportet a S. C. edita in generalibus comitiis diei22 Februarii 1839 (1)

(1) Resolutio in exemplum allata ita se habet

QUAESITUM

In Abbatiali Curia S. criminalis processus instructus est ad instantiam A et eius filiae E. contra Aloisium de stupro cum praegnantia, promissione matrimonii et tentamine abortus. - Processu ad exitum perducto, defensionibusque *hinc inde* allatis, die 3 Ianuarii currentis anni 1839 in Congregatione Emi. Cardinalis Abbatis proposita causa est, et unanimi voto resoluta per decisionem *non constare de stupro: ideoque Aloysium esse dimittendum ex hactenus deductis : in reliquis provideat Emus, Abbas ad mentem.* Mens continebat provisiones quasdam ne nova iurgia inter partes insurgèrent : admonitionemque advocato inflictam ob exprès, siones quasdam in defensione adhibitas.

Pacta partibus communicatione huius resolutionis, quaerelans eiusque filia E. penes Curiam abbatialem appellationem a sententia interposuerunt.

Cuius in sequelam appellationis praelaudatus Emus et Emus Abbas ad s. hanc Congregationem Episcoporum et Regularium processum integrum misit una. cum restrictu fiscali, defensionibus partium in prima instantia editis, quaerens « *an locus sit nec ne interpositae appellationi in casu* ».

Iudex relator itaque ofiicii sui ratus est, praeventive certiorem reddere unumquodque summo respectu dignum S. C. membrum, ut in coetu diei 22 currentis februarii 1839 quaestio proposita examini subiceretur pro resolutione illa quam Emi Patres de iure decernent.

Per accelerare finalmente il disbrigo delle cause che in grado di appello si deferiscono a questa sacra Congregazione, interesso *ci.* S. a far conoscere ai ministri di cotesta Curia, che allorquando nei dieci giorni utili, dopo la intimazione della sentenza il condannato interponga *V* appello a questa sacra Congregazione e dalla medesima sia stato ammesso e participata l'ammissione

Ut tandem cito ad exitum perducantur causae in gradu appellationis ad s. hanc Congregationem delatae, Dominationis Tuae erit istius Curiae ministris notum facere quod cum intra decem dies a notificatione sententiae (1) *condemnatus appellationem ad s. hanc Congregationem interponit, appellatioque admittitur,admissionis vero Ordinarius certior fit,*

RESOLUTIO

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 22 februarii 1839 Emi et Rmi Patres rescripserunt : ***Affirmative ad primam partem , negative ad secundam, praestita fideiussione fer institutorem de reficiendis expensis tam primi quam ulterioris iudicii in eventu succumhentiae.***

Tit certioretur Emus Ahias, etiam pro intimatione ad constituendum defensorem intra viginti dies.

(1) Ne commentario quod in Appendice nostra V, articulo XIV Instructionis S. C. **Ep. et Reg. diei 11 Iunii 1880 adiecimus** ***(pag. 3S7)*** **videantur ea contradicere quae dedimus pro articulo XLI** ***(pag. 396),*** **mentem nostram apertius pandimus. Instructio S. C. Episcoporum et Regularium in Articulo XIV methodum proposuit intimationes , notificationesqne explendi pro illis Curis quae propter iniquam temporum conditionem apparitorem** ***(cursorem)*** **non habent. Verum nos cum de sententiae notificatione egimus, apparitoris operam necessariam diximus. Quomodo (quaeri potest), Cursoris opera adhibenda erat, cum ideo methodus articuli XIV invecta sit quia Curiae Cursores non habent?-' Respondemus: aliud esse de apparitore loqui, qui Dioecesim integram peragretur, pro intimationibus , notificationibus accusato tradendis, aliud esse personam habere Curiae addictam quae intra limites civitatis in qua Curia sita est huiusmodi actibus operam praestare valeat. Itaque cum necessarium non sit sententiam condemnato notificari , sed sufficiat ut eius** ***defensori*** **denuncietur, et detur** ***defensori*** **appellandi facultas, iuxta ea quae tradita sunt in decreto diei 18 Decembris 1835 articulis II et III** ***(Vol. XIII pag. 3S4)*** **cuius quidem decreta tenor ad verbum insertum fuisse in Instructione memorata diei 11 Iunii 1880 intelligendus est ex articulo** ***XXXVII (dict. Vol. pag. 333)*** **cumque tenendum sit defensorem ibi morari ubi Curia sita est, haud absonum censemus pro notificatione sententiae, et actorum omnium quae appellationem respiciunt illam posse personam adhiberi, quae Curiae vel ipsi Episcopo addicta Cursoris muneri explendo mittatur. Immo cum appellationum favor maximus esse debeat, perempta enim appellatione, condemnatio vim suam exerit, ad quaestiones vitandas tutius erit, nostra sententia, si et per Cursorem defensori, i»t per methodum articuli XIV accusato sententia notificetur : terminus autem decem dierum a die quo postrema notificatio in defensoris vel accusati manus pervenerit, decurrere incipiat.**

-all'Ordinario colla consueta ingiunzione di doversi proseguire -dentro il termine perentorio di giorni venti, dovrà dai Ministri della Curia intimarsi agli appellanti per atto cursorile, che volendo proseguire gli atti di appello, è necessario che nel perentorio termine di venti giorni, deputi in questa dominante un Avvocato o Procuratore approvato nella Romana Curia , assicurandosi che il difensore da lui scelto, ne assume effettivamente il patrocinio, e previo il solito deposito , ritiri dal Giudice relatore il processo ; scorso il qual termine inutilmente, s'intenderà che esso abbia rinunziato al benefìzio dell'appello , ed in conseguenza da questa sacra Congregazione verrà dichiarato perento. Qualora poi appellasse l'istigatore o -aderente al Pisco , e parimenti l'appello medesimo sia stato ammesso dalla sacra Congregazione e partecipata l'ammissione all'Ordinario, in questo caso l'appello, Tendendosi comune anche all'appellato , dovrà notificarsi a quel'ultimo l'appellazione dal primo interposta ed ammessa dalla saera Congregazione , ed ordinargli che se nel. perentorio termine di venti giorni non avrà deputato il suo difensore fra gli Avvocati o Procuratori della Romana Curia, s'intenderà che voglia astenersi dall'intervenire nel giudizio, e ad istanza dell'istiga-

dicta cum iniunctione intra terminum peremptorium dierum viginti appellationem prosequendi , a Curiae Ministris appellanti per actum cursoris erit intimandum , quod si ipse velit appellationem prosequi, necesse est, ut intra peremptorium terminum dierum viginti in Urbe Advocatum vel Procuratorem, a Pomana Curia approbatum, deputet, certusque sit defensorem a se electum reapse patrocinium sumere : praevioque deposito de usu, a Iudice relatore processum recipiat: quo termino inutiliter elapso, eum appellationis beneficio nuncium misisse tenendum erit: et consequenter a S. C. peremptio pronuntlabitur. Quoties autem instigator, vel Fisco adhaerens appellet, et pariter appellatio a S. C. excepta sit, admissioque Ordinario patefacta, hoc casu cum appellatio et appellato communis fiat, huic erit notificanda, ac una cum S. C. decreto quo eadem admittitur eique iniungendum erit, quod nisi intra peremptorium viginti dierum terminum defensorem inter Advocatos vel Procuratores Romanae Curiae elegerit, te» nendum erit ipsum ab interventu in iudicium abstineri velle: et ad instigatoris vel Fisco adherentis instantiam acta prosequenda erant usque ad decisionem causae inclusive , absque ulteriori appellatione. Insuper instigator i

tore o aderente al Fisco si proseguiranno gli atti fino alla decisione della causa inclusivamente, senza ulteriore interpellazione. Inoltre all' istigatore o aderente appellante dovrà farsi quell' intimazione, che si è di sopra stabilita pel condannato che appella alla s. Congreg. Tali intimazioni munite della corrispondente relazione del cursore si debbono trasmettere alla s. Congregazione.

Si ricorda in fine , che gli atti d'intimazione della sentenza, e di appello muniti parimente della relazione del cursore , dovranno inserirsi ed allegarsi nei rispettivi processi, i quali a forma dell'articolo iv del decreto dei 18 décembre 1835, senza ritardo corredati dell' indice cronologico , si debbono trasmettere a questa s. Congregazione col ristretto e colle difese, non meno che colla copia conforme della sentenza, restando l'originale di questa presso la rispettiva Curia, la quale ne tiene apposito registro nella cancelleria criminale.

Si compiacerà V. S. accusarmi il ricevimento di questa Circolare , e le auguro dal Signore ogni prosperità.

Roma 1 Agosto 1851
Come Fratello

FR. A. F. CARD. ORIOLI *Prefetto*
D. Patriarca di Costantinopoli
Segretario

vel adhaerenti appellanti intimatio illa erit facienda desuper iam statuta (1) *pro condemato, qui ad s. Congregationem provocat. Huiusmodi intimationes, relativa apparitoris relatione munitae, ad s. Congregationem erunt transmittendae.*

Meminisse iuvet tandem , actus intimationis sententiae et appellationis, pariter apparitoris relatione munitos , inserendos allegandosque esse in processibus, respectivis, qui ad normam articuli IV decreti diei 18 Decembris 1835, absque mora, addito eisdem cronologico indice,transmitti debent ad s. hanc Congregationem una cum restrictu atque allegationibus, ac etiam cum exemplari conformi sententiae, cum authographum manere debeat penes respectivam Curiam, quae appositum servat registrum in Cancellaria criminali.

Placeat Dominationi tuae circularis huius litterae receptionem confiteri, Tibique fausta omnia precor a Domino.

Romae die 1 Augusti 1851.
uti frater

FR. A. E. CARD. ORIOLI
Praefectus

D. Patriarca Constantinopolitanus a Secretis.

(1) Hoc est intimatio pro constituendo in Urbe Advocato vel Procuratore » Romana Curia approbato, qui eius causam suscipiat agendam.

Votum quoad emolumenta funeris EE. Cardinalium, tribuenda Ecclesiae parochiali et titulari.

EMINENTISSIME AC REVME PRINCEPS

Petrus bo. me. Card. De-Silvestri suum fixerat domicilium in Paroecia ss. Celsi et Iuliani, ibique XIII Kal. Decembris praeteriti anni 1875 supremum diem obiit. In postrema autem sua testamentaria dispositione statuit, ut, siquidem Romae moreretur, suum corpus in Ecclesia s. Marci, quam in titulum Cardinalatus habebat, sepulcro conderetur. Verum, licet in hac Ecclesia iusta funebria ei fuissent perso]uta,tamen ultima illius voluntas executioni demandari non potuit, obstantibus legibus , quoad Coemeteria vigentibus; et cadaver Rhodigium, ubi ipse natalia habuerat, translatum fuit. Hino exorta est quaestio relate ad iura funeris inter Capitulum Ven. Ecclesiae ss. Celsi et Iuliani et Capitulum s. Marci. Primum ex his duobus capitulis innixum paragraphis 32, 35, 36, 37, Statuti Cleri Romani in capite IV, putat sibi ius esse emolumenta funeris ex integro lucrandi. Etenim in citatis paragraphis sancitum est, ut Titularis Ecclesia Cardinalis defuncti, tunc solum in proventuum divisione ad aequalem partem simul cum Parochiali admittatur, quando corpus in eadem titulari Ecclesia tumulatum sit. Ex alia vero parte Capitulum s. Marci sibi contendit ius percipiendi ex dimidio funeris emolumenta. Nam si cadaver Cardinalis in sui tituli Ecclesia repositum non fuit, hoc unice est repetendum ex dispositione legis, quae certe cum Canonum praescripto non plene concordat, spectata saltem tum ipsius legis omnimoda extensione, tum indistincta, quam praecipit, quorumcumque defunctorum tumulatione in uno eodemque coemeterio. Verumtamen duo haec Capitula ex communi consilio ad Eminentiam Tuam recursum habuerunt , et Tuo auctorabili iudicio totius controversiae definitionem subiicientes, postularunt resolutionem sequentis dubii - An in casu emolumenta funeris debeantur integra Ecclesiae parochiali ss. Celsi et Iuliani ; an e contra sint aequis partibus dividenda inter eandem Ecclesiam parochialem, et Titularem s. Marci Ecclesiam
Et quidem placuit Eminentiae Tuae rem hanc ad me deferre, ut examini subiecta quaestione, de illa meam sententiam promerem.

Eadem quaestio post mortem bo. me. Cardinalis Tarquini agitata etiam fuit inter Capitulum

•s. Nicolai in. carcere et Rümm Parochum s. Laurentii in Lucina. Et quoniam partes tunc contendentes, se faciles exhibebant ad mutuam compositionem ex bono et aequo ineundam ; hinc peculiarem quamdam iis proposui transactionem, quam acceptarunt ; easdemque partes, datis Uteris die 19 Maii anno 1874, certiores feci de approbatione ab Eminentia Tua illi transactioni praestita. Ne vero huiuscemodi controversiae iterum excitentur, puto abs re non esse, propositam quaestionem ad iuris tramites perpendere, ut exinde generalis regula ad similes controversias in posterum dirimendas statui possit.

Iuridice igitur inspecta quaestione, haec mihi est, salvo meliori iudicio, sententia, ut, semel admisso, quod Cardinalis defunctus iuxta Cleri Romani Statutum in Ecclesia Titulari s. Marci sepeliri debuisset, haec etiam Ecclesia debeat particeps fieri emolumentorum funeris ; nihil obstantibus ^vigentibus legibus, quae indiscriminatim defunctorum tumulationem in urbanis Ecclesiis interdicunt, et cadavera, ne Cardinalibus quidem exceptis, in publico Coemeterio condi iubent. Hinc ad propositum dubium ita respondendum censeo - Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. -

Ut huius responsionis veritas •et simul aequitas pateat, exponam iuris communis principia quae huc faciunt, iis etiam collatis, quae in Cleri Romani Statuto praescripta reperiuntur.

Commune ius,considerans statum fidelium defunctorum in pace Christi quiescentium velut continuationem illius communionis, cuius, dum vitam agerent, participes erant *Cap. XII de Sepulturis,* statuit , ut quisque fidelium, modo sepulcrum gentilitium non habeat et alibi non sibi elegerit dormitionis locum, condi debeat in parochiali Ecclesia *Cap. V eodem titulo.* Sacri Canones tamen reservant Parocho defuncto quartam partem emolumentorum funeris, quae dici etiam solet *portio canonica,* quoties defunctus ille in alia Ecclesia quam in parochiali sepeliatur: *Cap. VIII et X eod. tit.* Verum decursu temporis, ut publicae consuleretur sanitati, generatim inducta fuit lex coemeterii communis, quod extra moenia civitatum vel oppidorum foret extruendum. Et quantum ad Pontificiam ditionem attinet, anno .1817 prodiit dispositio sacrae Congregationis Consultationis, qua praescriptum fuit, defunctorum cadavera in publico coemeterio condenda esse, licet defunctus privilegio sepulcri gentilitii frueretur. In ea tamen hoc cautum fuit : *u* Sarta tectaque maneant Parocho emolumenta, quae vel ex Statuto vel ex legitima consuetudine eidgm deben-

tur; circa haec enim nihil censeri debet innovatum per huiusmodi dispositionem. »

Ad huiusmodi leges implendas paulatim et praesertim in civitatibus publica extructa fuere coemeteria; et statim inter defuncti Parochum et Ecclesiam, in qua ille sepulcrum gentilitium habebat, exortae sunt quaestiones circa ius tum exponendi cadaver, tum lucrandi funeris emolumenta. Sacra Congregatio Concilii, quae praecipue de hisce controversiis dirimendis sollicita fuit, in ea constanter mansit sententia, ut ius illud de expositione cadaveris et de percipiendis funeris proventibus (licet cadaver in publico coemeterio fuerit reconditum) pertineat ad Ecclesiam ,in qua defunctus propriam habebat sepulturam; retíe.-vatá Parocho quarta parte, hoc est canonica portione, ad iuris •corn munis tramites, iuxta superius dicta, lia respondit s. Congregatio in *Camerinen. Funeris,* quae causa pluries proposita,tandem definita fuit die 24 Novmb. an. 1821. Ita etiam in *Pergulano,* diei 18 Decemb. 1824et in *Tiburtina* 17 Martii 1827. Et tandem, ceteris omissis, in eumdem sensum s. Congregatio respondit in *Aesina* 26 Februarii 1864 et in alia *Foroliuien.* 16 Septembris 1871.

Ex his pluribus et inter aa consentientibus responsionibus a s. Congr. Concilii datis, ad propositam de qua nunc agimus quaestionem, respectu habito tum ad dispositionem S. Congregationis Consultationis anni 1817, tum ad leges in Italico Regno'vigentes, invaluit et ab omnibus admittitur tamquam canonicae iurisprudentiae certum et practicum dictamen, quod scilicet per legem inducentem coemeterium pro omnibus indiscriminatim commune, solummodo locus *materialis sepulturae* sit immutatus; manente Paroeciis et aliis Ecclesiis integro iure exponendi cadaver et lucrandi emolumenta, quod ipsis inerat ante publici coemeterii aedificationem: reservata tamen Parocho canonica portione, in hypothesi quod tumulationis ius ad aliam Ecclesiam a parochiali distinctam spectet. Hinc fit ut hodie publicum et commune coemeterium repraesentet et velut locum teneat illius sepulcri, quod defunctus, huiusmodi coemeterio non existente, habuisset.

Si nunc in re nostra consulamus Romani Cleri Statutum, deprehendimus in capite VIII § 9 sancitum esse: ***u*** Cardinales vero (sepeliantur) in templis, quorum sunt Titulares ». Proprium ergo Cardinalium sepulcrum est in eorum Ecclesia titulari. Quare semel posito, quod Cardinales etiam sub lege humationis in publico coemeterio comprehendantur, ius sepulturae cum adnexis emolumentis spectabit, prout antea ad Ecclesiam titularem. Nam iuxta iuridicum di-

ctameii superius memoratum, coemeterium commune Ecclesiae titularis vice fungitur, eamque repraesentat.

Relate vero ad casum de quo disputamus , confirmatio adirne peti potest ex dispositione testamentaria eiusdem Card. De Silvestri , qua statuebat , siquidem ipse Romae supremum diem obiisset, in sui tituli Ecclesia sepeliendum fore. Ad Ecclesiam proinde s. Marci ius spectabat sepulturae ; ideoque tumulatum Cardinalis corpus in communi conditorio, *fictione iuris* habendum est perinde ac si in Ecclesia s. Marci fuisset repositum.

Yi conclusionis huius deductae ex regula practica canonicae iurisprudentiae, possumus casui nostro applicare paragraphum 35 capitis IV eiusdem Statuti, ubi legitur: *u* Ecclesiis tamen Cardinalium Titularibus percipiendi funeris cum Paroecia ius sit, quamvis ibi cadaver tantummodo sepeliatur.»

Quin imo, quoniam exequiae pro anima eiusdem Cardinalis De-Silvestri in Ecclesia s. Marci celebratae fuerunt, etiam ad rem nostram et in huius Ecclesiae favorem facit paragraphus 1 eiusdem cap. IV, in qua, ut Ecclesia simul cum defuncti Cardinalis Paroecia admittatur ad participandus funeris proventus, habetur ratio exequiarum et tumulationis, quae in ea Ecclesia locum habuerint.

Patet igitur quod relate ad funeris emolumenta commune competit ius Rmis Capitulis ss. Celsi et Iuliani et s. Marci; quoniam primum repraesentat defunctiCardinalis Paroeciam, alterum vero Titulum CardìValitium et locum iuridicum sepulturae illius.

Verum potest in contrarium opponi, quod Statutum in §. 32 et 35 capitis IV exigere videatur realem cadaveris sepulturam., ut Titularis Ecclesia emolumentorum particeps esse queat. Etenim in § 32 legitur : *dummodo in ea* (Ecclesia Titulari) *cadaver sepeliatur* » et in § 35 ***u*** *Quamvis ibi* (in Ecclesiis Titularibus) *cadaver tantummodo sepeliatur* ***.n*** At difficultas quaelibet evanescit si animo recolatur, quod huiusmodi Statutum exaratum fuit anno 1862, quando videlicet Cardinales a lege coemeterii communis exempti erant, quam exemptionem idem Statutum Cap. VII § 1 agnoscit. Et sane, deficiente lege, quae Cardinalibus tumulationem in proprio titulo interdiceret, praesumi nequit, Statutum voluisse Ecclesiam titularem excludere ab emolumentis funeris, in hypothesi, qua vi posterioris legis, et quidem ss.Canonum praescripto non undequaque conformis, prohibita fuisset realis tumulatio in ipsa Ecclesia titulari. Sed e contra, cum Statutum adsignaverit in hac Ecclesia proprium Cardinalium sepulcrum, implicito

constituit, ut in quavis futurae legis hypothesi publicum coemeterium, iuxta canonicam doctrinam iam acceptatam et ad praxim deductam, repraesentaret Ecclesiam Titularem. Quare realis tumulatio cadaveris in huiusmodi Ecclesia ad participanda funeris -emolumenta imposita fuit a Statuto tamquam necessaria conditio, non iam intuitu futurae possibilis legis, quae omnes ad commune coemeterium cogeret ; sed respectu ad aliam Ecclesiam in qua Cardinalis cadaver forsitan fuisset conditum. Et re quidem vera idem Statutum in § 1 et 8 capitis VII duos casus prae oculis nominatim habet, in quibus tantummodo tunc temporis neri poterat, ut Cardinalis cadaver sepeliretur in Ecclesia, quae alia esset a Titulari ; casus videlicet sepulcri gentilitii et sepulcri ab ipso Cardinali sibi electi.

Ad maiorem autem rei perspicuitatem iuverit et aliud addere. Antequam lex publici coemeterii vigeret, ut Ecclesiae intra Pontificiae temporalis ditionis limites sitae, in quibus familia aliqua suae gentis sepulcrum habebat, frui possent iure funeris, debebat in ipsis adimpleri conditio realis tumulationis : adeo ut, si defunctus aliter circa suae sepulturae locum disposuisset, Ecclesia, in qua sepulcrum gentilitium erat, excluderetur a funeris emolumentis. Nihilominus post eam legem servatum fuit praedictis Ecclesiis ius funeris, etsi in ipsis non amplius verificetur realis depositio defuncti. Quin imo huiusmodi ius agnitum etiam fuit in iisdem Ecclesiis licet spectarent ad Religiosos Ordines a Gubernio suppressus. In hoc sensu respondit sacra Concilii Congregatio in causa inter PP. Carmelitas et Parochum s. Mercurialis Eorolivii, quae definita fuit die 16 Septem, anno 1871 : et s. Congregatio iuxta regulam iam receptam in aliis similibus quaestionibus relatis a Religiosorum defensore, istorum ius adseruit. Hinc iuxta mentem s. Congregationis praescriptiones hae in re a Gubernio invectae, nihil immutarunt circa iura iam acquisita diversis Ecclesiis quoad funeris emolumenta. Eadem igitur regula servanda erit in casu nostro : non fuisse videlicet laesum ius Titularis Ecclesiae, tametsi ex actualis Gubernii interdicto defuncti Cardinalis cadaver in ea nequeat recondi.

Secundo loco Capitulum sanctorum Celsi et Iuliani aliud habet quod obiiciat ; videlicet exuvias Cardinalis De Silvestri ne Romae quidem in communi coemeterio sepultas fuisse ; sed Rhodigii, ubi defunctus natalia sortitus fuerat. Ex quo inferendum videtur, illam regulam a s. Congregatione Concilii admissam non posse ad casum nostrum referri. Etenim Rhodigianum condito-

rium repraesentant quidem illius civitatis Ecclesias , nullatenus vero Romanas.

Hanc alteram difficultatem, nullius esse ponderis, sequentia ostendunt. Et **1)** quando defunctus in aliqua Ecclesia sibi proprium habet sepulcrum , neque dum vitam ageret aliter disposuit, illa Ecclesia, hoc ipso quod potiebatur iure tumulationis, servat etiam ius ad emolumenta funeris percipienda ; prout eruitur ex pluribus s. Congregationis resolutionibus , in quibus habetur ratio iuris sepulturae, quod alicui Ecclesiae competat, et hoc ius per se sumptum independenter a quolibet facto habetur, ut sufficiens titulus iuris funerandi. **2)** Quia eadem s. Congregatio, dum admisit, commune coemeterium locum tenere Ecclesiae in qua defunctus conditus fuisset, nisi obstitisset lex communis tumulationis, non ad unum potius quam ad aliud attendit coemeterium, sed consideravit generatim tumulationis locum pro omnibus indiscriminatim constitutum. Hinc fit ut in nostro casu coemeterium Rhodigianum bene potest Ecclesiam sancti Marci repraesentare. **3)** Tandem causa ob quam cadaver Cardinalis De-Silvestri non potuit in Ecclesia s. Marci sepeliri, et ad Rhodigianum coemeterium translatum fuit, non alia extitit, quam saepe memorata Gubernii lex, quae utpote non conformis Statuti Cleri Romani sanctionibus de humatione Cardinalium , potest considerari ut necessitas quaedam, quam Capitulum s.Marci pati coactum est. Iam vero necessitas, quam quis pati. cogatur, non constituit legitimum titulum ad ius ab uno in alium transferendum. Vidimus insuper s. Congregationem Concilii nullam vim iuridicam agnovisse in iis, quae a Gubernio sunt constituta, relate ad Religiosas familias quando actum de iure funerandi, quod ad eorum Ecclesias pertinebat.

Igitur concludam : ex rationibus huc usque adductis haec mihi, salvo meliori iudicio, tenenda esse videtur sententia, ut scilicet emolumenta funeris Card. De Silvestri dividenda sint aequis partibus inter Capitulum sancti Marci, et Capitulum ss. Celsi et Iuliani.

Romae die **17** Martii **1876**

Franciscus ada. Santi
Promotor Fiscalis.

Hanc conclusionem probavit Emus et Rmus Cardinalis Patrizi S. D. N. Papae in Urbe Vicarius, die **1** Aprilis an. **1876,** et eadem conclusio constituit regulam **pro** casibus similibus, qui deinde **con**tigerunt.

EX S. C. ECCLESIASTICIS NEGOTIIS EXTRAORDINARIIS PRAEPOSITA

DECRETUM

quo resolvuntur quaestiones ortae in Bosnia quoad paroeciarum collationes.

Cum inter R. P. D. Archiepiscopum Vrhbosnensem et Missionarios ex Ordine s. Francisci **a** diuturno iam tempore in Bosnia-existentes de collatione Paroeciarum oborta esset quaestio, s. Congregatio Ecclesiasticis Negotiis extraordinariis praeposita die X Decembris MDCCCLXXXI Decretum edidit, quo iisdem Franciscalibus Religiosis fiebat potestas specialia sua iura apud Apostolicam Sedem deducendi. Interim ut res amice componeretur, Archiepiscopus cum Sodalibus s. Francisci tractationem iniverunt in qua Praepositus Provinciae triginta duas Paroecias cedendas obtulit ; sed cum de hoc paroeciarum numero et de ratione cessionis inter se non convenirent , praelaudatam sacram Congregationem iterum adivere ; quae omnibus mature perpensis, praedicti paroeciarum numeri cessionem ratam habuit, adiecta insuper paroecia de Banjaluka , et duabus aliis, collatis utrinque consiliis determinandis, atque ea quae sequuntur sancienda et declaranda esse iudicavit.

I. Praedictae Paroeciae ad numerum triginta quinque, a Religiosis Franciscalibus Archiepiscopo cedendae, évadent in posterum liberae Ordinarii collationis, eaeque erunt viginti quatuor in Archidioecesi Vrhbosnensi, nempe: *(sequuntur nomina 24 paroeciarum).* Novem in Dioecesi Banialucensi, nempe, *(sequuntur nomina paroeciarum),* quibus addi debebunt aliae duae paroeciae utrinque ut supra determinandae. Reliquae (58) Parochiae in Dioecesibus Vrhbosnensi et Banialucensi erunt regulares et ad Religiosos Franciscales spectare pergent.

II. Cum in paroeciis liberae collationis parochus saecularis succedet regulari, hic supellectilem domesticam tradere non tenebitur. Quod si Ordinarius aliquas ex his Paroeciis Presbyteri Regularis administrationi velit committere , hic idem tributum , quod nunc praestare solet, sue Conventui solvere debebit, et **a** Provinciali Ordinis proponatur ita, ut iuxta constitutionem Apostolicam ***u*** Firmandis » ad nutum tam Praefecti Regularis sit amovibilis.

III. In nominandis, transferendis et removendis rectoribus paroeciarum regularium ea omnia serventur, quae in praedicta Constitutione ***a*** Firmandis ***v*** et in Instructionibus S. C. de Propaganda Fide diei 23 Julii 1787, et 3 Octobris 1852 pro Bosnia et Herzegowina statuantur.

IV. Quod attinet ad paroeciarum regularium territorium dismembrandum, et ad praefieiendum rectorem novae paroeciae ex dismembratione constitutae ea erunt servanda, quae in Constitutione Apostolica ***a*** Romanos Pontifices » pro Anglia et Scotia praescribuntur.

SS. Dominus Noster Léo Divina Providentia Papa XIII in audientia die 13 Martii infrascripto Secretario eiusdem S. C. Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae concessa haec omnia probavit, mandavit hoc edi Decretum et in Acta huius S. C. referri. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae e Secretaria praedictae S. C. die 14 Martii 1883,

Aloisius Pallotti, Secretarius.

FX SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

DECRETUM, quo conceditur Indulgentia tercentum dierum recitantibus adnexam orationem.

Beatissime Pater !

Petrus Beckx Praepositus generalis Societatis Iesu, ad pedes S. V. provolutus quam humillime petit, ut infrascriptae orationi *Suscipe* ex s. Ignatii libello Exercitiorum desumptae, aliquam indulgentiam, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus lucrandam, adnectere dignetur.

Pro qua gratia etc.

u Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, **t**? intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possi- » deo, mihi largitus es : id tibi totum restituo ac tuae prorsus ***n*** voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua ***v*** mihi dones et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. »

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita die 26 Maii 1883 ab infrascripto substituto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote praefatam orationem recitaverint, indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro bosque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem sac. Congregationis die 26 Maii 1883.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano Praef.
Iosephus M. Canonicus Coselli Substitutus.

Litterae Leonis XIII ad Eq. P. Pustet ob novam editionem operum Cosmae Alamanni S. Iesu - Summa totius philosophiae....

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam benedictionem.

Gratum fuit Nobis ex tuis litteris agnoscere optimum consilium a te susceptum typis edendi Summam Philosophicam D. Thomae Aquinatis, quam olim Cosmus Alamannus Societatis Iesu Theologus ex immortalibus scriptis Angelici Doctoris contexuit, et in lucem emisit, in ordinem philosophicae institutionis redigens omnes philosophiae partes, quas idem Angelicus Doctor in suis operibus insigni sapientiae luce refertis pertractavit. Nos quidem, Dilecte Fili, magno in pretio hoc opus habemus, in quo non modo Summi Aquinatis Magistri philosophicae doctrinae Eiusdem verbis propositae sunt, sed et in ipsis conclusionibus; quae ab eo sunt depromptae, argumenta Eius plene ac fideliter afferuntur, quae dum illas philosophica methodo demonstrant, eos opportune refellunt, qui Angelicum Doctorem non rationum momentis, sed auctoritate Aristotelis unice innixum fuisse contendunt; ac merito putamus philosophiae «ultores ex eodem opere, quod doctorum hominum illustria testimonia commendarunt, posse feliciter veluti ex sincero Magni Doctoris sapientiam haurire. Quapropter iucundum est Nobis, te, ut tuis litteris significas, statuisse, omnes tuas curas ad eiusdem operis editionem diligenter accurateque adornandam, adhibita etiam doctorum virorum opera conferre, et commodis eorum inservire, qui Nostris hortationibus obsequentes, viam solidae sapientiae inter tot tenebras a fallaci philosophia affusas, consectantur. Cum hoc tuum consilium, Dilecte Fili, in optimorum studiorum utilitatem redundet, Nos illud Nostris hisce Litteris ultro commendamus, minime dubitantes quin ii omnes, qui veram scientiam diligunt, tuae industriae ac labori libentissime suffragentur. Adprecantes autem divinam benignitatem, ut tuae optimae voluntati propitia adsit, Apostolicam Benedictionem, quam postulas, in testimonium paternae dilectionis tibi, tuaeque familiae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud s. Petrum die XVII aprilis 1883.

Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LEO PP. XIII.

MUR ANA ET POTENTINA

IURISDICTIONIS

Die 17 Februarii 1883

COMPENDIUM FACTI. Anno **1877** Episcopus coadiutor Muranus S. C. Congregationi exposuit: extare Cappellani, s. Cataldo dicatam, in loco suae Dioecesis, qui proximus est Oppido Aviliani e Dioecesi Potentina. In hac Cappella, praecipue tempore halneorum, divina rite peraguntur officia, sacraeque explentur functiones a clero Aviliani. Qui forsan ex tolerantia Episcopi murani, in sententiam venit, sibi esse patronatum in dicta Ecclesia; ibique posse omnimodam exercere iurisdictionem, fideliumque excipere confessiones, absque Ordinarii loci consensu. Quum haec agendi ratio iurisdictionem perturbet, aditumque reseret quamplurimis confusionibus in eiusdem exercitio, ideo orator petiit, ut finis huic perturbationi, per auctoritatem supremam, imponeretur.

Disceptatio gynoptlea*

EPISCOPI MURANI DEFENSIO. Quod Capella s. Cataldi, etsi dioecesi Potentinae finitima, tamen in territorio dioecesis muranae sita sit, certum apparet ex confessione ipsa potentini Episcopi. Neque quod materialiter tantum, sed imo formaliter Episcopo Murano subiecta fuerit, factum s. Visitationis evin^ cit. Ipsa enim ab Episcopis Martucelli et Gigli, qui ah initio saeculi ad praesentem sedem muranam tenuerunt, constanter visitata est: uti constat ex actis visitationum, peractarum annis **1834, 41, 48, "52, 57, 76.** Quoad vera «pochas anteriores evincitur per litteras moderni Antistitis-

murani ad Potentinam curiam. Et reapse ex documento anni 1734 eruitur, visitationem factam fuisse ab Antistite Murano in s. Cataldi Ecclesia. Quod si aliquando dicta Capella ab Episcopis potentinis visitata est, id explicari potest ex eo quod finitima sit potentinae dioecesi: ceteroquin vero, cum id accidit (ut ad annum 1730, et saeculo post ad annum 1834), illico et constanter murana Curia restitit, et huius protestationes Potentina acquievit.

Hisce autem in facto praestitutis, iam prono alveo iurisdictio murani Episcopi in s. Cataldi Ecclesiam fluere videtur. Siquidem iurisdictio Episcopi in omnes Ecclesias intra dioecesis fines constitutas in iure fundata est, ut Doctores communiter tradunt et docet Benedictus XIV *Const.* ***76*** *Apostolicae servitutis.* Et rursum quia ius et potestas visitandi iis spectare potest tantummodo, qui iurisdictionem ordinariam in aliquos habent, ut statuit *cap.* ***1.*** *Romana, §. Hanc: De Censibus in sexto.* Cum igitur et indubium sit, Ecclesiam s. Cataldi in territorio murano includi et constanter ab Episcopis muranis visitatam fuisse, iam quaestio favore huius Episcopi finita videretur.

Verum cum ad suam iurisdictionem adstruendam Avilianensis clerus vel ad Patronatus ius, vel ad quamdam exemptionem, vel ad consuetudinem provocet, haec adnotanda videntur.

Et primo quidem quoad patronatum huius Ecclesiae recolere iuvat, hunc spectare Principi Ruffo, uti muranus Antistes, scribens Episcopo potentino, affirmavit. Imo hunc principem unice capellae patronum existere plura suadent. Ipse enim Ecclesiae rectorem nominat ac murano Episcopo praesentat: et hoc in facto hodie est, et ab immemorabili id esse observatum, procurator, qui et antea fuerat familiae Caracciolo, praesentis Principis clare testatur. Iidem Principes territorii domini non semel et ipsi tantum post ss. visitationes rogati sunt, ut Ecclesiae necessitatibus satisfacerent; cum nempe opus? fuit, sacra indumenta, altarium ornamenta, confessionalia, et calices reficere curarunt;

pavimentum eonstruxerunt, et cetera huiusmodi : quae omnia constant tum ex procuratoris testimonio, tum ex s. visitationis actis. Quibus positis, quaecumque praesumptio favore Cleri avilianensis, corruat, necesse est.

Siquidem, ut docet Abbas *in Rubrica de lurepatr. num. 3,* et Barbosa *L. 3 cap. 12 num. 12,* aliique dd. passim, iuspatronatus consistit praecipue in iure praesentationis clerici, cui respondet officium protectionis Ecclesiae et comprobationis. Cum vero clerus avilianensis neque Ecclesiae rectorem nominet, neque Ecclesiae necessitatibus succurrat, tum honoribus, tum oneribus destitui dicendus est: et per consequens carere patronatus iure.

At dato etiam et non concesso clero avilianensi patronatus iure, iurisdictio eidem tribuenda non esset. Iura enim Patroni quatuor proprie sunt, quae in *cap. Nobis 25, tit. de Iicrepatr. enumerantur, et a Glossa ibi* duobus hisce versiculis comprehenduntur: *«Patrono debetur honor, onus, utilitasque : praesentet, praesit, defendat, alatur egenus. »* Quoad honorem vero hic intelligitur de praecedentia quadam in functionibus sacris et benedictionibus quae peragi in Ecclesia patronata solent, argumento *cap. Piae mentis 26 c. 6 q. 7,* et ut dd. docent. Numquam vero iura patrono debita concedunt quod ipse, si sacerdos sit, sacras functiones peragere, et sacramentales confessiones audire pro lubitu possit.

Neque magis clerus avilianensis iuvatur ex asserta s. Cataldi capellae exemptione. Siquidem haec probanda foret. Porro ad eam evincendam non sufficit adducere quodcumque argumentum; sed clarum et subsistens Apostolicum privilegium, vel consuetudo immemorabilis, rite probata, requiritur, ut decrevit S. C. C. die 7 Ianuarii 1721, et probavit Clemens XI die 14 Ianuarii eiusdem anni, et Benedictus XIV in *Const. 33, t. h. 2 Bullarii.* Rursum autem probata consuetudo dicitur tum solummodo, cum in aliquo loco ab immemorabili Praelatus iurisdictionales actus exercuerit, et Episcopus, in cuius dioecesi locus existit, toto eo tempore

nullam in hisce actibus partem habuerit, neque in iis unquam se immiscuerit, ceu tradit Benedictus XIV *De Synodo lib. 13 cap. 8 §. 18 et 21.*

Porro clerus avilianensis nec Apostolicum privilegium sui favore adducere valet meque iurisdictionalium actuum exercitium perenne et independens adducere potest: siquidem (excepto die festi s. Cataldi) Ecclesiae huius cura capellano rectori a Principe patrono et ab Episcopo murano dependenti, demandata est. Exemptionis igitur forma deficere omnino videtur.

Inutili tandem labore clerus avilianensis ad consuetudinem confugit, qua evincere conatur sibi ius esse sacras functiones in Ecclesia s. Cataldi peragere, et confessiones fidelium independenter ab Episcopo murano audire.

Misso in primis quod recens haec consuetudo ab Episcopo murano, saltem relate ad confessionis sacramentum, dicatur, notare iuvabit quod Innocentius XI an. 1700 in celebri Bulla decrevit: confessarios tam saeculares quam regulares, quicumque ii sint, nullatenus posse audire poenitentes sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt. Quod iam definierat Conc. Tridentinum *Sess. 23 cap. 17 de Reform.* Et id cohaerenter ad naturam iudicii quod in sacramento poenitentiae exercetur, sicut ipsum Concilium exposuerat in *sess. 14 cap. 7:* « Quoniam igitur natura et ratio » iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat » feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissi» mum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti ab» solutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert » in quem ordinariam aut subdelegataci non habet iuris» dictionem. »

Quid vero ad iurisdictionem in hac re acquirendam consuetudo valeat, arguitur ex *cap. Si Episcopus 2, de Poenitent. et Remission, in Sexto.* Nullo igitur modo ex consuetudine, quaecumque ea tandem sit, clerus avilianensis poenitentiae sacramentum in Ecclesia s. Cataldi administrare posse videtur.

Quoad vero sacras functiones et missae celebrationem, etsi

receptum sit quod clerici vicinarum dioeceseon admittantur quin commendatitias litteras dioecesis Antistitis exhibuerint eiusdemque placitum obtinuerint, ut docet Schmalzgrueber *de Cler. peregrinis num. 5 d. 3,* et quotidiana praxis ostendit; s. tamen Congregatio pluries docuit Episcopos posse ad legem observandam adigere non solum subditos, imo etiam Regulares *Lib. 8 Decret, pag. 78.*

Posita igitur hac Episcopi facultate, cum in facultativis non detur praescriptio, ex noto iuris adagio, iam inutiliter prorsus ad hanc consuetudinem missas celebrandi clerus avilianensis pro vocaret.

DEFENSIO" CLERI AVILIANENSIS. Verum ex altera parte obsistit clerus avilianensis, sibique competere sustinet, tum in vim iurispatronatus, tum consuetudinis immemorabilis, independenter ab Episcopo murano, ad praedictam Ecclesiam accedendi, missam celebrandi, functiones in festo s. Cataldi fieri solitas peragendi, et alia iura exercendi. Idque tum ex huiusce Ecclesiae historia, tum ex pluribus sive veteribus, sive recentioribus documentis ostendi posse urget.

In primis enim constat initio saeculi XV Ecclesiam s. Cataldo dicatam, qua de agitur, avilianensem clerum extruxisse, in eaque patronatum obtinuisse quin aliquid a murana Curia obiiceretur. Haec non modo potentinus Episcopus in sua informatione testatur, verum etiam muranus Episcopus Gigli, quod maximum est, luculentissime testimonio, an. 1834, confirmavit.

Lapsu dein temporis Ecclesiam hanc aetate fatiscentem, penitusque fere collapsam quidam ex civitate avilianensi restituere cogitaverunt. Id ut perficere iure valerent instaurationis perficiendae veniam non a murana, sed a potentina Curia anno 1673 petierunt. Oratorum preces potentinam Curiam benigne excepisse patet ex sequenti rescripto, quod sub die 21 Iulii 1673 eo in tempore Vicarius capitularis edidit. < Li-
> ceat reaedificare petitam Capellani s. Cataldi dirutam ex
» eleemosynis privatorum. »

Constat insuper, quum anno sequenti de benedicendo

s. Cataldi simulacro ageretur, quod in restituta Ecclesia poni debebat, quemdam sacerdotem Carolum di Masa eam benedicendi veniam non a murano sed a potentino Episcopo petiisse et obtinuisse.

Huius vero simulacri effigies anno 1674 aere insculpta pro devotione Capituli avilianensis et in charta impressa fidelibus ad ruralem Ecclesiam undequaque concurrentibus die festo s. Cataldi quotannis distribuitur. Quin imo praedictum simulacrum s. Cataldi non in Murana, sed in avilianensi •civitate iugiter adservatur: quod, appropinquante die festo ab avilianensi clero in memoratam Ecclesiam solemniter defertur, Curia murana prorsus inaudita, quae tamen contra talem agendi rationem nihil umquam obmussitavit.

Hisce omnibus addi possunt avilianensis Ecclesiae statuta anno 1795 confecta, in quibus sermo est de iure patronatus Oapituli super Ecclesia s. Cataldi.

Nec praetereundum est penes potentinam Curiam agitatam esse quamdam quaestionem, quae circa celebrationem festivitatis s. Cataldi in Ecclesia, de qua agitur, inter clerum Aviliani et clerum terrae Roti exorta fuerat. Praedicta 'Curia, quin aliquid a Murana obiiceretur, die 16 Iulii 1831 de hac controversia sententiam edidit, qua declaravit, iuspatronatus dictae Capellae sub titulo s. Cataldi, nec non possessionem in ea exercendi sacras functiones in die decima Maii cuiusvis anni, in qua celebratur festivitas eiusdem sancti cura frequentia populi a vicinis terris cum devotione concurrentis stare pro rmo Capitulo civitatis Aviliani, nec ab alio posse turbari.

Quibus omnibus patere videtur tum.patronatum, tum sacrarum perficiendarum functionum iura in rurali s. Cataldi Ecclesia avillánense capitulum obtinuisse et centenaria praescriptione possedisse.

Quod autem possessio haec pacifice semper processerit «constat in primis ex dictis. Quum enim ea omnia agerentur, quae relata sunt, tacuit omnino murana Curia quin .aliquod ius in medium afferret, vel aliquid obiiceret.

Quin imo, quod maxime animadvertendum est in hac quaestione, non modo Episcopi murani nil unquam contra agendi rationem cleri avilianensis attulerunt, suoque potius silentio "eiusdem cleri iurium exercitium in tranquilla possessione reliquerunt, verum etiam Episcopus muranus Gigli iura, de quibus agitur, explicite recognovit, utque iam praescriptione firmata, suorum praedecessorum exemplo, habiit.

Quae cum ita sint, avillánense Capitulum iure pollere videtur tum patronatus, tum ea omnia peragendi in Ecclesia s. Cataldi, quae usque adhuc centenaria et pacifica possessione peragere continuo consuevit, quin in hoc iuris exercitio, saeculorum usu et possessione praescripto, turbari legitime possit.

Quibus ex utraque parte deductis, sequens enodandum propositum fuit

Dubium

An et cuius favore constet de iurisdictione in casu.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Cong. re discussa, sub die 17 Februarii 1883 censuit respondere:

Affirmative favore Episcopi murani, firmo tamen remanente iure Cleri avilianensis peragendi functiones iuxta solitum, exceptis confessionibus, pro quibus accedere debeat eiusdem Episcopi facultas et amplius.

Ex QUIBUS COLLIGES.

L Ius peragendi sacras functiones in Ecclesia alienae Dioecesis, absque Ordinarii loci licentia, servatum fuisse videri favore cleri avilianensis, ex immemorabili possessione; quae iuxta Card. De Luca *de benef, discept. 32, n. 2 et 4* meliorem praebet titulum de mundo, ita ut aequivaleat privilegio aut Apostolico indulto.

II. Ex consuetudine immemorabili vel pacifica possessione, quaelibet illa sit, haud acquiri potestatem impertiendi sacramentalem absolutionem eruitur ex *cap. Si Episcopus 2 de Poenitent. et Remission, in Sexto.*

III. Fert enim indoles et ratio iudicii, ut solummodo in subditos sententia feratur.

IV. Qua de re semper in Ecclesia persuasum fuit, atque uti verissimum a Tridentino *Sess. 23 cap. 17 de ref.* confirmatum, nullius esse momenti absolutionem a Sacerdote in eum prolatam, in quem ordinariam aut subdelegatam non habeat iurisdictionem.

TAURINEN.

DISMEMBRATIONIS KT ERECTIONIS

Die 17 Martii 1883..

COMPENDIUM FACTI. In Archidioecesi Taurinensi extat parochialis Ecclesia loci vulgo *Cornalense,* cui subsunt nonnulla oppidula, inter quae recensetur *Vallongo,* ubi quaedam Capella extructa est s. Carolo dicata, cui plures circumstant familiae, (385 animarum circiter), quibus grave est se conferre ad propriam parochialem Ecclesiam.

Huic difficultati occurrere volens Metropolitanae Taurinensis Canonicus poenitentiarius, simulque cupiens spirituali bono incolarum illius regionis consulere, in qua ipse ortum habuit ac pueriles annos egit, de nova Paroecia illic erigenda cogitavit statuitque proprio aere, una cum commoda Parochi habitatione, sufficientem Ecclesiam aedificare, nec non congruam dotem ad eiusdem Parochi sustentationem constituere.

Consultus hac super re Archiepiscopus a Canonico, eius votis annuens, die 14 Maii anni 1882 edictum contra *praetendentes* edidit, in quo, inter alia, fines determinavit novae Paroeciae erigendae.

Parochus sed vero pagi *Cornalense,* imo et patronus eiusdem Ecclesiae parochialis, comes Eugenius de-Maistre, et nonnulli incolarum contra huiusmodi erectionem insurrexerunt protestationesque in Curia archiepiscopali emiserunt, «x quibus facile deduci poterat eorum animos ita fuisse dispositos, ut ad simplex Archiepiscopi iudicium non acquiescèrent.

Huiusmodi igitur animorum dispositiones perpendens Canonicus poenitentiarius, nolens tamen iudicium Ordinarii declinare, ad S. C. C. recursum habuit. Archiepiscopus requisitus pro informatione et voto, audito Parocho, aliisque interesse habentibus, retulit: sese omnino conspicere in hoc facto extrema requisita a sacris canonibus pro erectione novae paroeciae.

B*Isteiȝtíatiosjnoptict»

EA QUAE FAVERE VIDENTUR ERECTIONI NOVAE PAROECIAE.

Ac in primis animadvertendum occurrit, quod quamvis dismembratio Parochiarum sit in iure res admodum odiosa, quippe quae alienationem sapit, uti tradunt *Ahias ad Cap. Ad audientiam in 1 notabilium de Eccles. aedi* ***f.;*** Lotter. *de re benef. lib. 19, 28 num. 4;* Rota *p. 7 Recent. Decis. 68 num. 1;* tamen si adsint gravissimae causae, quales sunt evidens Ecclesiae utilitas vel urgens necessitas, admittenda omnino est, iuxta *Cap. Sine exceptione 12 quae****st.*** *2.* Imo si tales adsint causae neque dissensus interesse habentium, neque ipsorum rectorum repugnantia tantam vim habere possunt, ut dismembrationem impedire valeant, ceu habetur in *Trident. Sess. 21 Cap. 4 de Ref.* et pluries docuit S. C. C. praesertim vero in *Ianuen. Dismemb. 25 Ianuarii 1879; in Neten. Dismembr, et iuris sacras peragendi functiones 26 Aprilis 1879* **(1).** Porro in themate huiusmodi necessitatis et utilitatis causae adesse nemo inficias ibit.

(1) Ianuen, habes Vol. XII, 287; Neten. Vol. XIII, 60.

Quoad primum enim plures necessitatis causae a dd. citantur: inter quas praecipue est • difficultas accedendi ad Ecclesiam parochialem ad percipienda sacramenta et divina officia audienda, ut patet expresse ex praeallegato decreto Concilii Tridentini.

Unde legitime infertur quod praeprimis distantia locorum necessariam causam dismembrationis et erectionis novae paroeciae constituit, ut ex *cit. cap. 4.* Et quamvis Io. Andr. Card. Abbas et alii videantur ad hoc exigere nimiam distantiam, vere tamen magna longinquitas, et viarum discrimen non requiritur, ut observat *Ant. de Butr. n. 3 in ver. distare cit. cap.* Sed solum requiritur talis ut propterea parochianis sine magno incommodo non pateat accessus ad maiorem Ecclesiam. Sufficit ergo pro causa divisionis, ut Paroecia Ecclesiae antiquae sit adeo ampla, ut populus praesertim adversis temporibus non possit sine magno incommodo illuc, horis congruis, ad divina officia confluere, ad tradita per Fagnanum in *Cap. Ad audientiam n. 18.* Unde iuxta communem sententiam canonistarum satis distare pro dismembratione existimatur regio illa, quae duplici lapide ab Ecclesia porochiali distat; ita S. O. C. in *Verulana Dismemo. IO Martii 1862* §. *Quae cum* Pyrhing *in ius can. cap. 16 num. 31 et Reclus, de re parodi, p. 1 c. 12 num. 87.*

Iamvero haec iuris extrema requisita ad constituendam necessitatis causam pro erectione novae Paroeciae, in themate reperiri abunde constare videtur ex attestatione tum canonici poenitentiarii, tum Archiepiscopi. Verum haec necessitas magis magisque augetur ex consideratione difficultatum, quae intercedunt ut fideles possint ad Ecclesiam parochialem horis congruis accedere ad sacramenta percipienda, atque ad divina audienda officia. Haec autem talia sunt obstacula, ut etiam absque distantia constituere possunt legitimam dismembrationis causam; Fagnanus in *Cap. Ad audientiam de Eccl. aedif. ?ium. 19.*

Praeterea non solum necessitas, sed etiam evidens Ecclesiae utilitas erectionem novae Paroeciae expostulare vi-

detur in casu. Sane omissa parumper ratione generalis utilitatis, quae semper alicui Ecclesiae obvenire solet ex proprii Parochi deputatione, loco mercenariorum Vicariorum; omisso etiam principio aequitatis, quod non sinit ut maior pars fidelium inserviat minori; hoc unum omitti non posse videtur in themate, ceu Archiepiscopus asserit, quod facilius pueri instructionem[1] religiosam recipient in nova Ecclesia erigenda. Etenim parentes sollicitiores mittent ad paroeciam propinquiorem filios, dum in praesenti haud curant ut veterem petant paroeciam, quae nimis distat. Haec sola utilitas luculentissime per se suadere videtur erectionem novae Paroeciae. Sed et aliae" adsunt in casu utilitates et quidem non spernendae, uti est illa, quae respicit associationem defunctorum, quae facilior evaderet in nova Paroecia.

Ex huc usque igitur adductis satis abunde constare videtur, tum de necessitate, tum de utilitate dismembrationis et erectionis novae Paroeciae. Verum si aliqua ambiguitas adhuc remaneat, omnem dubitandi viam praecludere videtur tum Archiepiscopus, qui aperte fatetur : omnia adesse extrema a iure volita pro erectione novae Paroeciae, tum factum incolentium *Vallon go.* Ii enim ut illis necessitatibus remedium aliquod pararent, iam decem abhinc annis Capellamím retinent.

Posito igitur superabundanti numero parochianorum pro nova Paroecia, et admissis causis quae suadent eiusdem erectionem, affirmativo responso dimittendum esse videtur dubium propositum. Atque hoc .eo vel magis, quia in themate exulare videtur illa odiositas, quae semper comitare solet dismembrationes. Profecto dismembratio in casu non modo nullum praeiudicium Parochi iuribus affert; quia per erectionem novae, dos veteris paroeciae haud imminuitur; sed insuper liberat Parochum ab onere administrationis partis Paroeciae, quae secumfert graviorem laborem sive ob maiorem numerum fidelium sive ob distantiam a residentia.

Quod si aliquod detrimentum patiatur Parochus ex diminutione redituum stolae, qui, computatione facta, quotan-

nis vix attingunt summam 45 libellarum, haec diminutio compensato per laboris subtractionem.

Neque dicatur absque dismembratione suppleri posse necessitatibus per deputationem Capellani curati, a Parocho dependentis. Sane omisso quod huiusmodi Capellanus semper provideri deberetur a Parocho, quod non verificatur in casu; tamen certum est quod, quando constat de necessitate dismembrationis, praesertim ob locorum distantiam et difficultatem accessus , Concilium Tridentinum diserte statuit in *Sess. 21 cap. 4 cit.* esse locum deputationi proprii Parochi. Insuper ministerium Capellanorum nonnisi raro et prudenter -adhiberi debet in cura animarum cum mens sit Concilii Tridentini in *Sess. 24 cap. 13 de Me f or m.* ut unaquaeque Paroecia, suum peculiarem et perpetuum Pastorem habeat, qui oves suas cognoscere valeat. Cui concinit S. C. C. in *Ianuen. Dismembrationis 25 Ianuarii 1878 §. Quin og geri* - ibi - *Hoc moderamen* (Capellani Curati) *nonnisi raro , prudenter ac non sine delectu, admitti debere ad tradita per* Van. Espen *lus. Eccl. p. 2 sect. 2 tit. 1 cap. 3. n. 30;* Ursaja *Discep. Eccl. tom. 1 p. 1 disc. 14 num. 93,* Card. De Luca *De decimis disc. 12 num. 12;* Rota in *Decis. 78 n. 52 cor. Ansaldo.*

Semel igitur admissa necessitate dismembrationis et erectionis novae Paroeciae, corruant pariter necesse est quaerimoniae tum parochi tum patroni, nec non parochianorum loci *Cornalense* iuxta *Conc. Trident, in cit. Sess. 21 cap. 4 et Alex. III in Constit. Ad audientiam c. 3, X de Eccl. aedi f. III, 48.*

Iudicium contra quod in honore haberi solet praesertim in huiusmodi quaestionibus est illud Ordinariorum: quandoquidem Episcopi praesumuntur magis informati de rebus et necessitatibus suae Dioecesis, ut Rebuf. *in praxi benef, part. C. 1 de erect. in Cur. et Paroch.* Cui concinit S. C. C. passim et praesertim in *Massanen. et Populoniae Dismembr. 23 Augusti 1879 §. Sed contra; in Ipporegien. Dismembr. 23 Augusti 1879 §. Sed contra.*

Quod si EE. VV. necessariam in casu existimabunt erectionem novae Paroeciae in pago *Vallon go,* sponte sua fluere* videtur dismembrationi obnoxias esse debere etiam portiones- alterius Paroeciae loci *Casanova,* designatas in Archiepiscopali edicto. Quandoquidem, licet Parochus illius Ecclesiae contradicat, asserens dismembrationem illarum portionum non esse necessariam; certum tamen est ex dismembratione maximam utilitatem illis obvenire, cum facilius pateat incolis accessus ad novam Paroeciam.

Cum igitur manifesta sit in casu sive utilitas sive necessitas erectionis novae Paroeciae iure meritoque concludi posse videtur "èsse locum dismembrationi. Idque eo vel magis, quia cum ex una parte nemini iuiuria inferatur, ex alia maximo fidelium bono et cultus divini incremento generositate Canonici poenitentiarii consulitur; quod enim alicui non nocet et alteri prodest fieri debere utrumque ius edocet.

EA QUAE ADVERSARI VIDENTUR ERECTIONI NOVAE PAROECIAE. Contra vero qui Parochorum et Patroni De-Maistre partes tuetur, septem argumenta adducit quibus demonstrare- nititur dismembrationi et erectioni locum omnino non esse in casu.

A primo capite igitur suae orationis exordiens certum exploratumque in iure asserit, dismembrationem omnino odiosam esse, utpote quae alienationem sapit; proindeque ad eam deveniendum non esse, nisi aliis antea remediis adhibitis, necessaria inveniatur; Fagnanus *lib. 3 Decret. Cap. Ad audientiam num. 14;* Bouix *Tract, de Parocho part. 2* cap. 4 prop. 1 ;* Card. De Luca in *Parte V annot. ad S. C. Trid. disc. 16 num. 2:* est enim dismembratio remedium extraordinarium et subsidiarium uti tradit Rota in *Leodien* Dismembrationis 1 Februarii 1412 coram Falconieri.*

Casum itaque dismembrationis a iure contemplatum tradit esse nimiam loci distantiam, si tamen huic alio modo mederi sit prorsus impossibile; RebufFus. *prax. beneficiorum part. 1. de erect. in Curat, et Paroch. n. 1.* Imo, duce;

Fagnano, omnes dismembrationis causas ad unicam reducit,, nimirum ad magnam difficultatem accedendi ad Ecclesiam matricem: Bouix *de Paroch. part. cap. 4prop.* i. et hanc sententiam Fagnani suum fundamentum habere dicit in *Conc. Trid. Sess. 11 cap. 4 de Reform,* et in *Cap. Ad Audientiam 3 de Eccl. aedi f.* ad quod, se refert Tridentina Synodus. Ex quibus liquere ait quod, ut necessaria dicatur dismembratio, probari debet quod sit impossibile adire parochialem Ecclesiam sine magno incommodo.

A iure vero ad facta descendens ex pluribus rationibus demonstrare contendit necessariam non esse dismembrationem in casu: ac imprimis propter distantiae difficultatem; quae talis est, ut itinere tertiae partis horae superari queat.. Porro haec distantia, subsumit defensor, non illa est quam. requirit Tridentinum pro dismembratione. Quandoquidem si in themate ratio habeatur sive regionis, in qua plura adsunt suburbia quae unam horam itineris distant a Paroeciis, sive qualitatis Parochianorum, qui agrorum et armentorum cultui addicuntur, nulla dici debet iuxta Card. De Luca in *Annot. Conc. Trid. disc. 16 num. 2.* Proinde, concludit cum Rota, nec est praesentandus novus Sacerdos, nec nova Ecclesia erigenda *Decis. 146 n. 2 coram Motines.*

Neque necessariam esse tradit novam Paroeciam ob difficultatem viarum. Siquidem amplae viae, aptae etiam pro curribus, ducunt habitatores loci *Vallongo* ad Paroeciam *Cornalense,* pluribus de hac re testantibus.

Praeterea necessaria non est nova Paroecia, prosequitur defensor, quia iam satis superque provisum est spirituali bono fidelium tum pagi *Cornalense,* ubi adest Parochus eiusque Coadiutor, tum aliorum vicorum in quibus nonnulli constituti inveniuntur Capellani ad incoi entium utilitatem procurandam. Necessitatibus vero Parochianorum loci *Vallongo* iam aliunde provisum autumat a testamento cuiusdam. Sac. Philippi Chicco, qui annuo reditu 50 libellarum relicto pro Cappella s. Caroli, alios reditus annuos constituit pro Missae celebratione in singulis diebus festis et pro christianae doctrinae institutione.

Demum dismembrationis necessitatem destruere conatur ex non ingenti numero Parochianorum: siquidem testantibus finitimis Parochis et Municipio, Paroecia habet 680 pa-^ roecianos.

Ad secundum caput suae defensionis descendens Patronum abesse contendit in casu illam utilitatis causam, cuius meminit Conc. Tridentinum, quamque semper S. O. O. postulat in qualibet dismembratione, et ex cuius defectu eam denegare solet, ceu videre est in *Anconitana Dismembrationis et reintegrationis 12 Februarii 1503, et in Asculana Dismembrationis 14 Ianuarii 1804.* Quod probat consensu parochianorum, qui asserunt nullo sub respectu utilem esse dismembrationem in casu. Nam hac peracta, Paroecia redigeretur ad 299 animas; dum illius Ecclesia continere valeat 1500 personas. Si itaque ex exiguo numero qui superest detrahantur etiam qui domi manere debent pro cura domesticarum rerum et armentorum, praefata Ecclesia, tempore divinorum officiorum, pene vacua manebit.

Insuper animadvertit defensor quod ex deputatione novi Parochi in *Vallon g o* non leve damnum obveniret aliis Paroeciis Taurinensis Dioecesis, quae licet sint maiori numero fidelium frequçntatae, nihilominus ob deficientiam Sacerdotuiii proprio sunt Pastore viduatae, teste Patrono De-Maistre et Archiepiscopo.

Ulterius progrediens tertio loco, observat defensor, dismembrationem esse prorsus perniciosam non tantum spiritualiter, sed etiam materialiter: nam Familia De-Maistre, quae necessitatibus cunctis paroecianorum consulit, hoc beneficio privarentur, qui ad aliam transirent paroeciam.

Damnum pariter dismembratio inferret Parochi iuribus ob privationem nimirum emolumentorum stolae, ut aiunt, nec non matrici Ecclesiae, quae in humiliorem statum filiali redigeretur, cum haec 385 animabus constaret, dum e contra matrix nonnisi 299 animas complecteretur. Neque minus perniciosam esse dicit dismembrationem pro Paroecia *Casanova.* Quandoquidem, avulso pago *di Fraschero rotto,* perampla

Ecclesia parochialis deserta remaneret absque cultu et decore utpote quae servaretur ac succurreretur fidelium oblationibus.

Ad quartum caput deinde transvolans orator suae defensionis, praemisso quod tradit Card. De Luca in *Disc. 16 ad Annot. C. T.* - ibi - « *Quandoque non expedit* (dismembratio) *quoniam frequens experientia docet, quod huiusmodi parochialium duplicitas scissuras ac factionarias aemulationes inter utriusque clerum et populum respective causare solet* » dismembrationem in casu utpote causam rixarum permittendam non esse arguit. Sane tum Parochi, tum proprietarii tum praesertim operarii pagi *Vallongo* aperte fatentur quod nova Paroecia erit rixarum et litigi omni fomes.

Huc oratione perducta, orator reiicere sategit novae Paroeciae erectionem ob impopularitatem. Cum enim huiusmodi causae populares sint, quilibet vices actoris gerere potest, Pi gn a teli i *tom. 5 cons. 2, 229;* Barbosa in *Conc. Trid. cap. 6 p. 53;* Rota in *Gerunden. Umbriis 20 Martii 1600.* Huiusmodi impopularitas evinci eliam potest per protestationes incolarum, in curia emissas, post dismembrationis decretum .

Hisce addit defensor quod ut dismembrationi sit locus in eam requireretur consensus Patroni, contrac:,u bilaterali intercedente, inter fundatorem Ecclesiae et Archiepiscopum. Sane eatenus pius fundator sibi onus imposuit Ecclesiam aedificandi, dotandi, eamque conservandi, quatenus erectae Paroeciae illud adsignabafur territorium, quatenus ille populus ei committebatur. Posito igitur manifesto Patroni dissensu nefas esse ait ab inito contractu resilire: quandoquidem « *In contractibus nominatis non licet poenitere, idest a contractu resilire, altera parte non consentiente* » *L. Sicut 5 c. de action, et obligat. ;* Ferraris Ver. *contract. n. 13.* Codex Italic, *n. 1123.*

Ultimo tandem loco animadvertit orator dismembrationem in casu iniuriosam esse respectu Patroni et parochianorum. Siquidem omnibus notam esse ait pietatem religio-

nemque eximii Patroni, *qui inhaerens* vestigiis suorum auctorum solertem dat operam, ut habitantibus Burgi suppeditentur omnia media pro faciliori legum ecclesiasticarum adimplemento, et pro christiana illorum educatione. Iniuriosam pariter eam esse dicit ipsis Burgi fidelibus, qui maxima prosequuntur benevolentia et studio beneficentissimum Pa~ tronum, prouti adducta monumenta testantur.

Hisce in utramque partem adductis, enodandum propositum fuit

Dubium

An sit locus dismembrationi paroeciarum locorum Cornalense *et* Casanova, *et erectioni novae Paroeciae loci* Vallongo *in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa, sub die **16** Martii **1883,** censuit respondendum:

Negative. (1)

(1) Ne pluries animadversa, et deducta quoad dismembrationem paroeciarum repetamus, placet tantum observare Emos Iudices forsan in sententiam negativamivisse, eoquod deesent in subiecta quaestione eausae canonicae, quas DD. redigunt ad magnam difficultatem accedendi ad Ecclesiam matricem. Quae difficultas in themate haud probata fuit; dum contra refertur a pluribus neque longum esse iter neque arduas esse vias quae ad Ecclesiam Paroeciae ducunt. Maximum autem habuisse pondus apud Emos Patres nobilis Patroni oppositionem ambigendum non est..

Recoli possunt quaestiones dismembrationis relatae. Vol. I, pag. 520 et 543;. Vol. III, pag. 390 Appendix VI de Parochi, populique consensu in paroeciarum dismembratione ; Vol. XII, 287; Vol. XIII, 60, 293, et 289 ubi adest Appendix VI de potestate Ordinariorum, deque iurisprudentia quoad Paroeciarum dismembrationem.

ADRIEN.

SPONSALIUM

Die i7 Martii Î883.

COMPENDIUM FACTI. Pacificus et Maria eiusdem civitatis, initis sponsalibus mense Martii 1879, tribus circiter annis mutuo amori indulserunt. Cum autem Maria, labente an. 1881, resciverit, Pacificum quodam morbo laborare, ac proinde perpenderet suos parentes huic matrimonio haud libenter fore consensuros, die 29 Decembris litteras eidem misit, quibus suam mentem ab inita obligatione recedendi pandebat; ipsum vero per litteras diei 31 eiusdem mensis assensum praebuisse Maria contendit. Constat tamen, quod Pacificus comperiens Mariam in votis habere matrimonium cum alio contrahere, die 3 Februarii 1882 penes Curiam institit, impedimentum sponsalium contra liberum Mariae statum obiiciens. Reclamantibus vero tum muliere, tum eiusdem parentibus, ac impedimenti remotionem postulantibus, Episcopalis Curia summarium processum instituit, eoque expleto, die 18 Augusti 1882 sententiam Pacifico amicam protulit, declarans: iuridice constare de existentia impedimenti impedientis sponsalium, oppositi a domino Pacifico matrimonio Mariae___

Animo haud fracta mulier ab adversa sibi sententia ad S. C. C. appellationem interposuit, efflagitans, ut Curiae sententia infirmaretur: quod si in suo vigore relinquenda foret, enixe exorabat, ut hisce rationibus a contractis sponsalibus dispensaretur : primo quidem ob ignorantiam in qua versabatur, ex privata matrimonii promissione publicum impedimentum exoriri: quia pro certo habet Pacificum sponsalium dissolution! assensisse: quia idem haud bona valetudine fruitur, ideoque parentes huic matrimonio pro viribus obstarent.

Episcopus autem processus acta transmittens exorabat Apostolicam Sedem, ut Maria de plenitudine potestatis sol-

veretur a sponsalium ligamine ex adductis causis. Addebat autem veritate niti, Pacificum haud perfecta frui valetudine; et adesse periculum, Mariam impelli posse ad matrimonium, quod aiunt civile. Ad quod, paucis post diebus, puellam inductam fuisse enarravit Antistes.

^disceptatio Sinóptica

INFIRMANDA VIDETUR SENTENTIA CURIAE. Curiae sententiam esse infirmandam plura suadere videntur. Recolere enim prae primis praestat, quod sponsalia, quamvis ad matrimonii sacramentum ineundum dirigantur, pactionis tamen et contractus humani limites vix excedunt, ac proinde ut alii contractus dissolvi possunt. Inter plures vero causas quibus sponsalia licite rescinduntur, mutuus utriusque partis consensus praecipue recensetur, *arg. cap. P r aeterea 2 de Sponsali}).* Et merito, quod enim solo consensu contractum est, contrario consensu dissolvi potest, cum *nihil tam naturale sit, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est,* ut ait Ulpianus *L. Nihil 35 ff. de Reg. Iur.* cui concinit *cap. Omnis res 1 de Reg. Iur. in 6.* Huiusmodi autem mutuum consensum in themate intercessisse ex processus actis prudenter arguitur. Maria enim iudicialiter requisita, et iusiurandum emittere disposita, idem autumavit. Plurimi autem faciendam esse Mariae depositionem haud ambigi potest, quia Episcopus eam retulit bonis moribus praeditam.

Accedit praeterea depositio Natalinae eiusdem germanae, et Santinae Cripaldi famulae, quae uti testes a Maria adductae iudicialiter auditae fuerunt. Natalina affirmavit reapse litteras conscriptas fuisse, quibus praestabat consensum pro sponsalium dissolutione, et nunc nescitur qua de causa laceratas esse. Quas depositiones iuramento se confirmare posse testatur. Cum itaque horum testium depositiones fide dignae et concordes videantur, merito argui potest revera Pacificum e sponsalitio foedere recessisse.

Neque posset opponi huiusmodi depositiones, utpote consanguineae et famulae, nullo in pretio habendas esse. Perpendendum siquidem est consanguineos, aniñes et domesticos uti testes admitti cum factum aliquod aliter quam per ipsos probari nequeat, *cap. Veniens de Testibus, cap. Venerabilis de Testib. colendis, L. Consensu 8 Cod. de Repudiis.* Quod adamussim in themate verificatur cum nullus alius testis de visu, praeter adductos habeatur.

Quin relevet quod Pacificus, transacto vix mense, ex quo litteras illas Mariae misit, sponsalium impedimentum penes Curiam opposuerit. Nam huiusmodi contradictio optime explicari posset ex eo quod Pacificus, facti poenitens, indignatione fuit affectus perspiciens Mariam statim cum alio viro et sponsalia contraxisse, et matrimonium iam esse inituram, quod ipse Praesul confirmavit.

Quod si hic mutuus consensus satis evidens haud appareat, ex alio capite sponsalia vim suam amisisse videntur. Et sane iuxta communem DD. sententiam gravis corporis infirmitas ab alterutro sponsorum contracta, post inita sponsalia, iuxtam causam alteri praebent ab illis resiliendi, *cap. Quemadmodum 25 de Iureiur.* Nemo enim cum tali persona gravi morbo laborante libenter contraheret, *Sánchez lib. i de Matrim. D. 57 n. 1.* et si ab initio illa infirmitas extitisset, vel alteri fuisset cognita, hic a coniugii promissione certe abstinuisset. Quod autem in casu Pacificus gravi morbo laboret in primis ex Mariae testimonio eruitur.

In cuius favore deposuerunt etiam Canonicus N. qui adfuit Pacifico dum aegrotaret, Medicus, qui eumdem curavit, et Pharmacopola, qui medicamenta praestitit. Ex istorum testimoniis colligitur gravi morbo Pacificum laborare, et matrimonii foedus eidem mortem inferre posse. Ex quo fit ut iusta adesset Mariae causa a sponsalibus recedendi.

Potiori iure id admittendum videtur cum Maria rescíverit plures ex familia Pacifici phthisi laborantes decessisse. Ex fide enim Parochi constat, illius patrem et duos fratres

hoc morbo diem obiisse supremum adhuc iuvenes. Cum itaque Maria perspexerit, Pacificum mense Decembris 1881 in ea valetudinis conditione versari, ut matrimonium contrahere non posset, ac insuper si non certitudinem, suspicionem tamen maximam extare, ipsum phthisi laborare, suo iure usam fuisse videtur sponsalitio foedere rescindendo, ideoque Curiae sententiam esse infirmandam apparet.

Dato sed vero, at non concesso Episcopalem sententiam suum vigorem exerere, sponsalium tamen dispensationem pluribus ex causis indulgendam esse videtur. Et in primis ob parentum dissensum," qui numquam permittent eorum filiam cum Pacifico matrimonium inire. Maria vero coram iudice deposuit alteram causam sui recessus a sponsalibus fuisse vehementem suorum parentum oppositionem. Dissensum autem parentum sponsi vel sponsae rationabilem causam praebere pro sponsalium dissolutione indulgenda, DD. communiter tradunt.

His adiungitur ex una parte deliberata ac firma voluntas in qua persistit Maria cum alio matrimonium ineundi, ita ut pene impossibilis sit reconciliatio cum Pacifico. Ex altera vero Pacificus potius quam intuitu, vel fiducia futuri matrimonii, magis ultionis spiritu permotus coniugium Mariae cum alio viro adversatur, prouti affirmat Episcopus.

Cum itaque matrimonia libera esse debeant, ne infelices exitus exinde sequantur, a quacumque coactione abstinendum videtur. Quae porro causae ad excludendam coniugii coactionem permagni a DD. et a Rota Romana penduntur; ceu videre est, praeter alias quamplurimas, in *Amerina Sponsalium S Februarii 1841 §. 6 coram Quaglia* - ibi - « Vicissim vero satis validae visae sunt causae per Vincentii » oratores adductae, ob quas reluctatur matrimonium con- » trahere. Occurrit animorum dissociatio exorta ante litis » initium, quaeque per hanc litem recrudescit; occurrit pro- » pinquorum, atque praesertim Vincentii matris harum nu- » ptiarum improbatio; ac demum occurrit, Vincentium ani- » mum adiecisse ad aliam mulierem, ac cum ea matrimonium

>• praeparasse, quae quidem causae etiam seiunctim satis sunt > ad excludendam coactionem perpendit Rota ».

Subest praeterea auctoritas S. C. O. quae profecto probe perpendens quam difficilis exitus sit censurarum remedio ad coactionem matrimonii devenire, pluribus in casibus dispensationis beneficium, ad graviora removenda mala, indulgere consuevit. Exemplo sunt *Pistorien. Sponsalium super dispensatione diei 7 Iunii 1856, Bisinianen. Dissolutionis sponsalium diei 19 Septembris 1841,* et praesertim *Nullius Ferentilli Sponsalium diei 29 Maii 1852* inter supplices libellos propositae. Quinimo si ex gravibus dissidiis., inter sponsos exortis etiam a matrimonio rato dispensatio indulgeri communiter solet, a fortiori in themate concedenda videtur. Demum cum Maria perversibus suasionibus allecta iam matrimonium civile cum alio viro contraxerit, nullum aliud medium suppetit ad eorum aeternae saluti consulendum, quam, dissolutis prioribus sponsalibus, matrimoniale foedus •coram Ecclesia inire.

CONFIRMANDA VIDETUR SENTENTIA CURIAE. At contra Pacificus tuetur, inita sponsalia in suo vigore permanere debere, nullamque dispensationis causam adesse. Et sane, quamvis certi canonis sit mutuo partium consensu sponsalium contractum dissolvi, huiusmodi tamen consensum minime interfuisse videtur. Pacificus enim absolute denegat praetensam scripsisse litteras Mariae; idque etiam evincere studuit trium testium depositionibus. Cum itaque in qualibet causa duo testes idonei ad legitimam probationem sufficiant, nisi aliter cautum sit, iuxta *cap. in omni 4 de Testibus* - ibi - *€ Ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum » cap. Licet 23 eod. cap. Si testes 3 caus. 4 quaeest. qu. 2 et 3,* cumque in casu tres idonei habeantur uno ore asserentes, Pacificum petitioni Mariae constanter renuisse, eorum depositiones plenam probationem inducere videntur.

Argumenta vero ex adverso allata parvi sunt pendenda. In primis enim est reiicienda Mariae depositio, cum nemo

in propria causa testis esse possit *L. Nullus 10 ff. de Testibus, L. Omnibus 10 Codic. eod.* - ibi - « *Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem iura submovertmt.* » *Cap. Si testes 3 caus. 4 qu. 2 et 3.* Seponendum pariter testimonium Natalinae sororis Mariae, quia iuxta communem DD, sententiam consanguinei illius, qui illos uti testes producit adversus extraneos, non sunt testes idonei. Ipsi enim ob naturalem affectionem erga suos consanguineos et affines nimis suspecti redduntur *L. Testium fides 8 ff. de testibus, cap. Si testes 3 caus. 4 quaest. 2 cap. Consanguinei 1, ca.p. Accusatores 2, et cap. Suspectus 4 caus. 3 qu.* "5 *cap. Absens per alium 18 caus. 3 qu.* 9. Demum ab ipso iudicii limine testis Cripaldi arcenda, cum famula ipsius producentis non sit testis ' idoneus *L. 3 Cod* de testibus* - ibi - « *Etiam iure civili domestici testimonii fides improbatur,* » cui consonat *cap. Si testes 3 caus. 3 qu. 2* ubi eadem verba adducuntur *L. Testes 24 ff. De Testibus.* Ex quibus satis evinci videtur assertionem Mariae de consensu a Pacifico obtento quocumque fundamento destitui.

Animadvertere demum praestat, haud admitti posse, quod Maria, si reapse literas receperit, scidérit documentum, quo ad exoptata vota transeundi quodlibet impedimentum amovebatur. Cum igitur Mariae incumbat huiusmodi factum evidenter ostendere, cumque id minime praestiterit, ab ad ver-? sario, iure meritoque, denegatur.

Quin validius effugium captet ex asserta Pacifici infirmitate, ne datam fidem solvat. Pacificus enim sese nullo morbo laborare plurium testium et praecipue duorum Medicorum declaratione, ostendere sategit. Quae peritorum conformes declarationes satis ostendere videntur a veritate absonum esse, Pacificum phthisi laborare.

Quoad depositiones vero Canonici perpendendum est, primo illas contradicere assertioni ipsius medici Polo. Praeterea Antonius Ansaldi testatur se initio anni 1881 pluries requisivisse Canonicum circa valetudinem Pacifici, et ab eodem

iuge responsum habuisse quod Pacificus nullo laboraret morbo. Denique indubium est unum testem, cuiuscumque sit dignitatis, ad legitimam probationem non sufficere, ita ut nulla iudicialis "controversia unius hominis testimonio quamvis legitimo, terminari possit, quod expresse statuitur tum ex divino iure *Deuteronom. cap. 15 vers. 17,* tum ex iure canonico *Can. Admonere8 caus. 22 quaest. 2 cap. Veniens 10, cap. Licet 23 et cap. Cum a nobis. De testibus;* tum denique ex iure civili *L. Iurisiurandi 9 Cod. De testibus:* hinc vulgatum adagium *dictum unius, dictum nullius...* Cum itaque Maria per unum singularem testem autumet Pacifici infirmitatem ostendere, sponte sequitur de ea iuridice minime constare.

Causae vero dispensationis indulgendae, aut deficere, aut non ita graves esse videntur, ut Pacificus iure ad matrimonium cum Maria ineundum acquisito privari debeat. Parentum enim consensus haud est absolute necessarius in filiorum familias nuptiis : in praesenti vero controversia irrationabilis apparet. Statim enim ac quis devenerit ad pubertatis annos non est amplius sub potestate alterius, si sit liberae conditionis, quantum ad ea quae ad personam suam spectant, subindeque etiam invitis parentibus valet connubium inire vel religionem ingredi. Quam filiorum familias libertatem Tridentina Synodus *cap. 1 Sess. 24 de Reform, matrim.* solemniter confirmavit. Et S. C. facultatem concessit nuptias ineundi licet reluctassent mater, ceterique consanguinei, uti videre est in *Florentina 12 Ianuarii 1726,* et obsistente patre in *Melevitana 20 Martii 1880* (1). Huiusmodi vero parentum dissensus irrationabilis videtur cum Pacificus sit honestae conditionis neque dedecus ullum familiae Mariae ex hoc connubio obvenire posset, ideoque eorum oppositio nihili facienda foret.

Neque potior ratio ex Mariae repugnantia est desumenda: cum obligatio ex sponsalibus orta gravis sit, *D. Thomas in 4 dict. 27 quaest. 2 art. 1,* Covar, *part. 1 De sponsal.*

(1) Recolé hanc quaestionem Vol. XIII, pag. 440.

cap. 4 n. 2, Sánchez *lib. 1 De sponsal. disp. 27 num. 2,* Layman *lib. 5 tract. JO part. 1 cap. i. num. 3,* ideoque alterutri partim facultas non inest a data fide resilire. Cum igitur sponsalium existentia in dubium adduci nequeat, nec ulla rationabilis causa suppetat illa dissolvendi, satis evinci videtur, Mariam teneri fidem Pacifico datam per matrimonium liberare, et ad hoc praestandum etiam iuris remediis cogi posse.

Ex eo vero quod spreta Ecclesiae auctoritate cum alio viro in legali concubinatu versetur, dispensationis gratiae obtinendae est potius indigna. Non enim se Ecclesiae legibus, ut par esset, accommodare, sed Ecclesiam sibi inservire quasi per vim cogere maluit. Cum itaque in gratiarum dispensationibus habenda prae oculis sint adagia ex ss. Canonibus statuta *non esse malitiis hominum indulgendum; neminem ex malitia sua commodum reportare debere:* consequi sponte videtur petitam dispensationem haud esse largiendam.

His igitur utrinque animadversis EE. PP. iudicio proposita fuere enucleanda

Dubin

I. *An sententia Curiae Episcopalis Adrien, sit confirmanda, vel infirmanda in casu.*

Et quatenus *affirmative ad primam partem, negative ad secundam*

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu'*

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio, re discussa, sub die **17** Martii 1883, respondere censuit:

Ad I. *Providebitur in secundo.*

Ad II. *Affirmative, praevia separatione per tempus Ordinario benevisum et imposita salutari poenitentia.* **(1)**

(1) Recolé Vol. IX, pag. 124; in quo relata fuit alia quaestio de dissolutione sponsalium. Confer Vol. X, 185 et 195 in nota. Ibi enim animadvertimus quod saepe s. C. Concilii SSum. Patrem rogat pro dispensatione sponsalium, de quorum validitate disceptatum est; etsi eadem sponsalia requisita omnia exhibeant per quae valida declarari possent. Ecclesia in his casibus praefert tolerare contravenientem, quam illum praecisa coactione ad matrimonium adigere; praesentiens huiusmodi coactiones haud expedire fini s. vinculi.

Expedit enim Ecclesiam minus malum permittere, ut maius vitet: maius malum est scandala et perpetuas inimicitias oriri, quam fidem sponsalium frangere. In themate quilibet videt mala quae iam imminebant incautae Mariae quatenus a data sponsalium fide Papa non dispensavisset. Ipsa enim vinculo civili iam devinciebatur alii viro; qui iudicialiter eam convenire' poterat ut cum eo conviveret putido concubinatu.

ée-

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

GALLIARUM.

DECRETUM, quo constituitur s. Vincentius a Paulo patronus omnium societatum caritatis, quae in (rallia vigent et ab eodem promanarunt.

Praeclarum misericordiae erga pauperes exemplar et christianae caritatis operibus late provehendis veluti ducem insignem dedit Divina Providentia Sanctum Vincentium a Paulo, qui ad hoc omnibus omnia factus pertransiit benefaciendo, et Presbyteros a se institu-

tae Congregationis Missionis, Puellasque a caritate nuncupatas sui spiritus uti haeredes effecit. Hisce dein sese adiunxerunt laici perplures, qui eodem beneficientiae amore acti , Vincentii patrocinio suffulti in pauperum et infirmorum sublevationem eximia misericordiae tam spiritualis quam corporalis opera , nullis neque laboribus , neque curis neque impensis parcendo, alacriter aggressi sunt.

Ex quibus derivavit illud insigne Sodalitium vulgo *Conferentiae* vocatum, quod anno MDCCCXXXIII Parisiis ortum, fere per totum orbem, quo catholicum pervenit nomen, mirifice diffusum est, uberesque edidit salutares fructus. Itaque huiusce Sodalitii socii annum quinquagesimum a fundatione sua modo recolere gestientes sibi in votis etiam esse significarunt, ut Sanctus Vincentius, quem iam proprio veluti iure tamquam magistrum et protectorem habent, Apostolicae Sedis auctoritate sibi daretur et constitueretur. Hisce votis sua coniungentes Rmi. dioecesum G-allicarum Praesules a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII idipsum effiagitarunt: favore omnium huiusmodi Societatum caritatis operibus in Galliae regionibus incumbentium. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario , preces istas et postulata peramanter excipiens, Sanctum Vincentium a Paulo ceu peculiarem Societatum omnium caritatis ab eodem, ut supra, quomodocumque promanantium, earum scilicet tantum quae in Gralliae ditione vigent, apud Deum Patronum declarare et constituere dignata est: iussitque praeterea de hoc Apostolicas litteras in forma Brevis expediri. Die 26 Aprilis 1883.

D. CARD. BARTOLINIUS, **P**RAEFECTUS

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

Valentina Beatificationis et Canonizationis ven. servae Dei Sor. Iose phae Mariae a sancta Agnete, vulgo Ines de Beniganim sanctimonialis professae Ordinis Eremitarum Excalceatorum s. Augustini.

Quum die 8 proxime praeteriti mensis Martii a Sanctissimo Domino Nostro **L**EONE **P**APA XIII concessum fuerit, ut in Congregatione sacrorum Rituum ordinaria ageretur, absque interventu

et -voto-Consultorum, de valitate processus Apostolica Auctoritate constructi in Curia Ecclesiastica Valentina super miraculis per intercessionem praefatae Ven. Servae Dei Sor. losephae Mariae a sancta Agnete , uti fertur, a Deo patratis; Emus *et* Rmus Dominus Cardinalis Lucidus Parocchi, loco et vice infrascripti Cardinalis eidem Sacrae Congregationi Praefecti, huiusce Causae Ponentis, instante Rmo Domino Silvestro Rongier y Fullerad Antistite Urbano ac Rectore Regiae Ecclesiae Hispanicae Sanctae Mariae Montis Serrati de Urbe, Causae istius Postulatore, in Ordinario speciali Coetu ipsius Sacrae Congregationis iuxta peculiares dispositiones eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, sub die 20 Novembris editas, constituto, ac subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium proposuit; nimirum ***a*** *An constet de validitate processus » Auctoritate Apostolica iu Civitate et Dioecesi Valentina con-* **•*n*** *structi super Miraculis; testes sint rite ac recte examinati; » et iure producta legitime compulsata, in casu et ad effectum » de quo agitur?* ***n***

Sacra porro eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribere rata est: *Affirmative.* Die 5 Iunii 1883.

Pacta autem de his Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit die 14 iisdem mense et anno.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS S. R. E. PRAEFECTUS.

Loco **£33** Sigilli

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. SECRETARIUS.

DECRETUM

RHEGINEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Iesualdi a Rhagio Sacerdotis Professi Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum.

Quum ad instantiam Rev. Patris Fr. Amedei ab Urbeveteri Sacerdotis Professi, et Postulatoris Generalis Causarum Beatifica-

tionis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII die 23 Iunii anno 1881 iam benigne indulsisset, ut de Eama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praedicti Ven. Servi Dei Er, lesualdi a Regio agi valeret in Sacra Rituum Congregatione Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Thomas Maria Martinelli , loco et vice Emi et Rmi Cardinalis Pan ebianco huius Causae Ponentis, sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, nimirum: ***a** An constet de validitate et relevantia Processus Apostolici in Civitate Rheginen, constructi super Fama Sanctitatis, Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei in casu, et ad effectum de quo agitur'?* ». Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi , omnibus maturo examine perpensis , auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : ***u** Affirmative seu Constare, et supplicandum Sanctissimo pro sanatione defectus sex priorum Sessionum ob omissionem Vicarii Generalis in prima Sessione, **rr*** Die 9 Maii 1883.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit, petitamque sanationem benigne concessit die 10 iisdem Mense et Anno.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. PRAEF.

Loco gg Sigilli

LAURENTIUS SALVATI *S. R. C. Secretarius,*

APPENDIX VIII

in qua colliguntur, in historiae commodum nonnullae Litterae, quoad res Ecclesiae, Pontificis Leonis XIII ad Germaniae Imperatorem, et huius responsa.

Lettera di Guglielmo I Imperatore a Leone XIII Romano Pontefice.

Berlino 22 décembre 1882.

u Ringrazio Vostra Santità per la lettera che Ella mi ha diretto il 3 di questo mese , e di tutto cuore contraccambio la sincera benevolenza che Ella mi dimostra. Questa lettera mi conferma nella speranza, che Vostra Santità attingerà nella soddisfazione che risente con me pel ristabilimento e per l'esercizio della mia legazione presso il Vaticano, un nuovo motivo di corrispondere con pari ravvicinamento ai passi fatti dal mio governo, che hanno reso possibile ***V*** occupazione della maggior parte delle sedi vescovili.

u Son di parere che tale ravvicinamento, se avesse luogo sul terreno della designazione delle nomine ecclesiastiche, sarebbe ancor più vantaggioso per la Chiesa che per lo Stato, perchè offrirebbe la possibilità di provvedere alle vacanze avvenute nei benefizii ecclesiastici.

Literae Guillelmi Imperatoris ad Leonem XIII Rom. Pontificem.

Berolini XI Kal. Ianuarii anni D. MDCCCLXXXIIL

Est gratia Sanctitati tuae ob literas, quas ad me III Non. Décembres mittere Tibi placuit; libentique animo sincerae in me benevolentiae tuae reddo vicem.. Hae literae me in optima spe confirmant, fore ut e voluptate, qua ambo afficimur ob instauratam in Vaticano legationem meam, novum suscipias incitamentum ad respondendum consensu pari iis, quae imperante me hic gesta sunt, quibus factum est ut pleraeque Episcoporum sedes facile a catholicis occupatae sint.

Equidem arbitror, hoc amicitiae foedus, nuper inter nos instauratum, si locum haberet in designatione nominationum eorum qui muneribus ecclesiasticis sunt destinandi, utilius fore Ecclesiae quam Imperio : quia hoc foedere constituto, Beneficiis ecclesiasticis vacuis consulaidi facultas fieret.

« Se in seguito ad un primo passo dei Clero in questa materia , io potessi avere la convinzione che la premura per un riavvicinamento fosse reciproca, io darei opera, perchè siano sottomesse a nuovo esame del Parlamento della mia monarchia, quelle leggi che erano utili in un periodo di lotta per difesa dei diritti contestati dello Stato, senza che perciò fossero necessarie in un modo permanente in tempo di relazioni pacifiche.

Si actu quopiam Cleri hac in re mihi ipse persuadere possim, curam comparandae animorum conciliationis reapse mutuam esse, Ego libenter operam darem, ut eae leges, quae quidem fervente dissidii aestu, tuendis Imperii iuribus in discrimen vocatis, utiles erant, haud tamen necessariae cum amicitiae officia ultro citroque intercedunt, supremo Dominationis meae Concilio, legibus condendis adlecto, iterum cognoscendae subiiciantur.

a Colgo volentieri questa occasione per assicurare nuovamente Vostra Santità della mia devozione e venerazione personali.

Hanc opportunam occasionem arripio obsequium et reverentiam in te meam etiam atque etiam confirmandi.

u *Firmato.* GUGLIELMO

« *Controfirmato,* DE BISMARCK.

GUILLELMUS

DE BISMARCK

A Sua Maestà Imperiale e Reale Guglielmo I Imperatore di Germania, Re di Prussia.

Leone Papa XIII.

Maestà,

Nella recente inaugurazione del *Landtag* Prussiano; l'Imperiale Reale Maestà Vostra si è compiaciuta manifestare al suo popolo la gioia che provava nel cuore pel consolidamento dei suoi rapporti amichevoli col Capo della Chiesa Cattolica, mercè la ripristinazione delle relazioni diplomatiche. Queste espressioni,

Guillelmo Germaniae Imperatori Borussiae Regi

Leo Papa XIII.

Aruspicanti nuper Imperiali Regali Maiestati tuae Borussiens'em Conventum, quem Landtag *vulgo appellant, placuit laetitiam, qua eadem Maiestas tua ob confirmatum cum Catholicae Ecclesiae Capite • amicitiae foedus, mutuis relationibus instauratis , afficitur , sibi servientibus populis in concione patefacere.*

cotanto cortesi per Noi, Ci sono giunte oltremodo gradite e Ci inducono a renderne a Vostra Maestà speciali azioni di grazie, il che facciamo con viva soddisfazione dell'animo Nostro.

Huiusmuxli sensuum tuorum, Imperator, manifestatio nobis pergrata fuit, nosque ad gratias quam maximas Tibi agendas vehementer provocat cogitque , quod quidem nunc Iubenti animo facimus.

Noi fin dai primordi del Pontificato avevamo riposto nei nobili e generosi sentimenti di Vostra Maestà la fiducia di vedere ridonata la tranquillità delle coscienze e la pace religiosa ai popoli che obbediscono al potente Suo scettro: ed ora il fatto stesso dei rapporti diplomatici ristabiliti e P interesse che Vostra Maestà pone al conseguimento di uno scopo così alto e così vantaggioso, souo venuti a rafforzare la Nostra fiducia.

Nos ipso Pontificatus exordio in magnanimis generosisque Maiestatis tuae sensibus spem posueramus, fore ut conscientiis tranquillitatem, pacem libertatemque Religionis catholicae amplectendae ac colendae populis Tibi servientibus restitutam tandem Nobis videre contingeret : nunc vero relationes ipsae inter nos nuper instauratae, demum cura atque studium,quo Maiestas Tua satagit utfinem tam praeclarum tamque proficuum assequatur, spem nostram mirifice confirmarunt.

La Maestà Vostra nell'alto Suo senno e nella Sua lunga esperienza, sente quanto grande sia il bisogno di ricondurre i popoli, mercè l'osservanza dei doveri religiosi, all'adempimento di quelli che loro incombono come cittadini e come sudditi, ora specialmente che la società è scossa nelle sue stesse basi. Possiamo assicurare Vostra Maestà che la Chiesa cattolica è pienamente animata di questo spiritose possiede, ove non incontri ostacoli, la forza preziosa d'insinuarlo ed espanderlo dappertutto. Quindi **fu** sempre Nostro vivissimo de-

Maiestas tua profecto eximia qua praedita est, sapientia, longâque rerum experientia probe novit quam deceat atque oporteat, populos per officiorum religiosorum observantiam ad ea perficienda reducere, quae debent sive ut cives, sive ut subditi , id temporis praesertim, cum fundamenta ipsa, humanae societatis concuti quodammodo exagitarique videntur.

Possumus equidem Maiestati tuae certum facere, catholicam Ecclesiam hoc ipso spiritu plenissime informari, vimque praeclaram possidere spiritum ipsum,

siderio di veder la Chiesa spiegare liberamente dovunque la sua virtù a vantaggio dei popoli e dei governi, e di stringere con questi a tal uopo rapporti di iamicizia e di pace.

nisi illa obicibus interpositis praepediatur , insinuandi diffundendique per orbem. Hoc igitur ardens nobis semper votum fuit, ut Ecclesiae Catholicae fas sit virtutem suam populis Guberniisque libere explicare , et cum iisdem amicitiae pacisque foedera inire.

Che se gl'imperiosi doveri del Ministero Apostolico, pieno di responsabilità d'innanzi a Dio e agli uomini , ci obbligano a domandare che la nuova legislazione ecclesiastica in Prussia , almeno nei punti essenziali per l'esistenza e per la vita della religione cattolica, venga in maniera definitiva addolcita e corretta, Vostra Maestà lungi dall'ascriverlo a difetto di buone e concilianti disposizioni da parte nostra , vorrà anzi riconoscere che lo domandiamo nell'interesse stesso della pace , la quale non potrebbe esser vera e durevole, se non fosse stabilita sopra solide fondamenta. Questa pacificazione, mentre farà pago uno dei desidera più ardenti del Nostro cuore , e stringerà con più forti vincoli al trono della Maestà Vostra gli animi di tutti i suoi sudditi cattolici , formerà senza fallo anche la più bella e pre-

Si officiorum causa, quae Apostolicum nobis munus imponit? quibusque sacra sumus coram Deo et hominibus sponsione obstricti , ad postulandum adducimur, ut nova in Borussia legislatio (quod ad Ecclesiam pertinet), saltem in iis quae praecipua sunt, quaeque natura vitaque ipsa catholicae religionis in primis exigit, per ratum, certum atque immutabile iudicium'temperetur et corrigatur , id nequaquam Maiestas tua suspectae voluntati nostrae tribuat, quasi vero nos ab ineunda conciliatione alienum animum geramus ; sed potius agnoscere velit, nos illud causa ipsa *pacis expostulare, quae quidem nec vera nec stabilis esse potest, nisi satis firmo fundamento innitatur.*

Hac igitur mutua animorum conciliatione et ardentibus cordis nostri votis affatim satisfiet, et validioribus vinculis omnium Catholicorum Tibi servientium animi praeclarissima Maiestatis Tuae Solio obstring entura et denique fulgentissima omnium

ziosa corona del lungo e glorioso Suo Regno.

Con questa speranza, innalziamo al cielo i più fervidi voti per la prosperità della Maestà Vostra e della Sua Imperiale Reale Famiglia.

Dal Vaticano 3 Dicembre 1882.

ac pretiosissima longi gloriosique Regni tai Corona Tibi istic certissime perficietur»

Hac spe innixi Maiestatis tuae atque Imperialis-Regalis familiae prosperitati ferventia Deo vota facimus.

Datae in Vaticano III Non. Dec. an. D. MDCCCLXXXII.

A Sua Maestà Imperiale Reale Guglielmo I Imperatore di Germania e Re di Prussia.

Leone Papa XIII.

Maestà,

La lettera che l'Imperiale Reale Maestà Vostra Ci ha fatto rimettere nel dicembre p. p. per le mani del signor Schlözer, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario di Prussia presso la Santa Sede, ha confermato in Noi la speranza, lungamente nutrita, di vedere risolute con un completo accordo le vertenze religiose nel Regno di Prussia. L'augusta parola di Vostra Maestà, che si mostra disposta a prestar la sua mano per una revisione dell' attuale legislazione ecclesiastica, Ci fa scorgere non lontana la conclusione dell' accordo. Per tale favorevole disposizione Ci dichiariamo alla Maestà Vostra grati e soddisfatti.

Guillelmo I.
Germaniae Imperatori
Borussiae Regi

Leo Papa XIII.

Literae, quas Imperialis-Regalis Maiestas tua D. Schlözer Legato extraordinario, Oratori cum liberis mandatis penes S. Sedem, ad Nos mittendas dedit, spem Nobis, iamdiu conceptam , confirmarunt, religiosas quasque controversias in Borussiaco Regno numeris omnibus absoluta Conventione diremptas iri. - Augustae Maiestatis tuae sermo , quo se ad praesentis ecclesiasticae Legislationis recognitionem ineundam in Concione paratam esse affirmavit, Nos in spem adducit fore, ut eiusmodi Conventio quam citissime absolvatur:

Ob istud praecellentis animi tui projsositum atque consilium nobis aequum apprimeque propitium, et gratias Maiestati tuae quam maximas habemus, et laetitia affectos Nos esse testamur.

In seguito di ciò abbiamo fatto scrivere dal Cardinale Nostro Segretario di Stato al signor Schlözer una nota, che crediamo sia già stata portata a cognizione del governo di Vostra Maestà. In essa abbiamo voluto che nuovamente si assicurasse il R. Governo della ferma Nostra Volontà, anche altre volte manifestata, di permettere ai Vescovi la notifica dei titolari da nominarsi ai beneficii parrocchiali. E per avvicinarci il più possibile alle viste e ai desiderii della Maestà Vostra, abbiamo fatto conoscere anche la disposizione in cui siamo di non attendere la completa revisione delle leggi vigenti per provvedere con la richiesta notifica le parrocchie, attualmente vacanti.

Huius rei gratia Cardinalt Nobis totius Ditionis nostrae ***a*** *secretis ad extranea mandavi' mus, ut hac super re D. Schlözer publicas literas daret, quas a praeclarissimis Imperii tui Administratoribus acceptas iam atque perlectas esse arbitramur. In iis Uteris voluntatem nostram pandimus,, ut summis Magistratibus Regnique Rectoribus nostrum consilium atque propositum, alias per Nos patefactum, denuo confirmaretur: videlicet ut Episcopis permittatur Notam eorum exhibere, qui ad ecclesiastica munia sunt nominandi. Atque ut ad Maiestatis tuae consilia votaque, quo propius Nobis liceret, accederemus, notum etiam fecimus propositum nostrum, absolutam legum vigentium quas modo meminimus, recognitionem nequaquam expectandi, quominus expetita Notae ipsius nominandorum virorum exhibitione, Parochiis in praesentia vacuis provideatur.*

Abbiamo però domandato che contemporaneamente vengano a modificarsi le misure che ora vincolano 1' esercizio del potere e del ministero ecclesiastico, 1' istruzione e l'educazione del Clero, giacché tali modificazioni crediamo indispensabili per la vita stessa della Chiesa cattolica.

At vero eodem tempore expostulavimus, ut leges atque statuta, quibus ecclesiasticae auctoritatis et Ministerii exercitium, instructio atque educatio Cleri compeditur, opportune temperetur; id enim vitae ipsi catholicae Ecclesiae omnino necessarium arbitramur. Haec quippe exigit, ut Episcopis facultas sit, Ministros sacros instruendi,

Essa esige ehe i Vescovi abbiano facoltà d'istruire e di formare sotto la loro vigilanza e conforme agl'insegnamenti e allo spirito della stessa Chiesa i sacri ministri. Lo Stato non potrebbe richiedere meno di questo pei suoi funzionari. Parimenti è elemento essenziale di vita una ragionevole libertà nell' esercizio del potere e del ministero ecclesiastico pel bene delle anime. Sarebbe indarno, che si nominassero alle Parrocchie i nuovi titolari se questi si trovassero poi impediti di agire in conformità dei doveri che impone 1' officio pastorale.

Stabilito P accordo su questi punti , sarà facile , mediante il reciproco buon volere , d'intendersi anche sulle altre condizioni necessarie per assicurare una pace vera e durevole , scopo finale dei comuni Nostri desideri.

Intanto preghiamo la Maestà Vostra di accogliere la reiterata espressione dei fervidi voti, che non cessiamo di fare per la piena prosperità della stessa Maestà Vostra e della I. R. Famiglia.

Dal Vaticano , 30 Gennaio 1883.

eosque propria cura et directione, iuxta Ecclesiae instituta ac spiritum, quo ipsa animatur, informandi: profecto Regni atque 'Imperii Administratores , pro iis qui muniis publicis praeficiuntur , minus expetere non possent.

Item elementum est ad ipsam rei naturam pertinens, quaedam cn auctoritatis et Ministerii exercitio prudens libertas, ut iis qui sibi commissi sunt, Episcopi natis consulere possint. Supervacuum enim foret, Sacerdotes, qui nuper nominati sint, Parochiis regendis destinare , si hi in fungendis muneribus, quae pastoralis dignitas postulat, compeditos se esse senserint.

Super his quae disputata sunt, conventione stabilita,facillimum erit, ***bona*** *utrinque voluntate favente, etiam in ceteris conditionibus convenire, ad veram stabilemquepacem, quae quidem communis votorum nostrorum scopus est,confirmandam omnino necessariis.*

Interim Maiestatem tuam rogamus, ut saepius repetitum benevolentis animi nostri, quo omnia eidem Maiestati tuae atque Imperiali-Regali Familiae prospera ominamur, manifestationem excipere dignetur.

Datae in Vaticano XXI Kal. Feb. an. D. MDCCCLXXXIII,

Sig. Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario presso la S. Sede.

19 Gennaio 1883.

La risposta diretta da S. M. l'Imperatore di Germania al S. Padre, il 22 del decorso décembre fa accolta con sensi di speciale gradimento e di lieta speranza; perchè essa non "solo manifesta nuovamente le concilianti e benevole disposizioni di S. M. e del suo Governo, ma è altresì un nuovo passo che si fa verso la concordia.

La maggior difficoltà che a questa si oppone è la legislazione Prussiana nei punti che sono in con tradizione con la divina costituzione della Chiesa Cattolica. Ora essendosi S. M. compiaciuta di dichiarare che potrebbe prestare la sua cooperazione, perchè dai corpi legislativi si prendessero nuovamente in considerazione de suddette leggi, quante volte si concedesse la notifica delle nomine ecclesiastiche, non può a meno di riconoscersi che un riavvicinamento si è prodotto tra i desideri della S. Sede e le viste del Governo di Berlino.

Publicae Literae {vulgo Nota) *Emi D. Cardinalis Iacobini, Papae a secretis in negotiis ad extranea, eximio viro Schlözer Borussiae Legato extraordinario, atque Oratori cum liberis amplissimisque mandatis penes S. Sedem.*

Datae XIV Kal. Februar, an. D. MDCCCLXXXIII.

Ex eme. Domine

Responsum a Magnifico Germaniae Imperatore ad Rom. Pontificem XI Kal. Ianuarii proxime elapsi per literas datum eximiae prorsus laetitiae ac festivae spei sensibus acceptum fuit: his enim Uteris non modo Imperatoris eiusdem, r eique publicae Administratorum animus apprime benevolus, atque ad conciliationem ineundam propensissimus denuo comprobatur, verum etiam novus quodammodo ad conventionem sanciendum gradus nobis factus esse videtur.

Quod maxime omnium huic conciliationi opponitur, eae Borussiaci Imperii leges sunt, quae divinis catholicae Ecclesiae institutis contradicunt. Nunc vero quum Magnificus Imperator benigne spoponderit, se operam daturum, ut publici Imperii Regnique Conventus, condendis legibus constituti, easdem illas leges iterum cognoscendas suscipiant, dummodo sive eidem Imperatori, sive Episcopis istic per nos liceat eorum nomina exhibere, quibus ecclesiastica munia tradenda sunt, Borussiaci Imperii consilia votis SSmi Patris accedere, et amico quodam foedere iam convenire coepisse satjs in comperto est.

Il S. Padre nella nota lettera (1) a Mons. Arcivescovo di Colonia già aveva manifestata la sua volontà di permettere, che avesse luogo la detta notifica, quando sul terreno legislativo si fossero portate a compimento ìt convenienti riforme. Ora poi volendo S. S. dimostrare l'alto pregio in cui tiene le pacifiche dichiarazioni contenute nella lettera Imperiale, e quanto viva sia in Lui la brama di far cessare con ogni prontezza le ragioni del dissidio, anche senza attendere l'esame completo di tutte le disposizioni pregiudizievoli alla Chiesa, è disposta a consentire, che questo per ora si limiti ad alcuni punti solamente, e che la concessione della notifica proceda di pari passo con la revisione delle Leggi. Ha quindi ordinato al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato di dichiarare, che si daranno ai Vescovi le opportune istruzioni per la notifica al Governo dei nuovi titolari di tutte le parrocchie ora vacanti, i quali debbano esserne investiti con la canonica istituzione, quando, proposte che sieno ai corpi legislativi le misure valevoli a garantire efficacemente il libero esercizio della giurisdizione ecclesiastica, non che la libertà della educazione ed istruzione del Clero, gli stessi corpi legislativi avranno manifestato la loro adesione. La notifica che per ora

SSmus Pater in Epistola satis nota, ad Archiepiscopum Coloniensem data, iam suum propositum patefecerat permittendi ut exhiberetur Nota eligenclorum ad munia ecclesiastica, quum ii qui legibus condendis conveniunt ea legum ad Ecclesiam pertinentium temperamenta, quae decent, sanciissent.Nunc vero idem SSmus Pater, ut ostendat quanti ipse faciat pacis consilia, quae Uteris Imperatoris continentur,, quamque percupiat, ut dissidiorum causae citius removeantur, etiam antequam omnium earum legum, quae istic Catholicae Ecclesiae adversantur, recognitio absolvatur, consentire paratus est-, ut eiusmodi legum recognitio, interim de nonnullis tantummodo fiat, quae praecipua sunt ; atque concessio de publicandis exhibendisque eorum Virorum nominibus, qui modo vacuis Parochiis sunt praeficiendi, pari gressu cum ipsa legum recognitione facienda procedat et vigeat.

Mandavit igitur hic subscripto Cardinali Sibi a secretis ad extranea ut edicat, datum iri Episcopis opportunas instructiones ad hanc nominum exhibitionem Imperatori peragendam, eorum Virorum Ecclesiasticorum., qui parochialibus muneribus destinandi sunt : hi profecto iuxta ss. Canonum praescripta atque statuta in suorum quique munerum possessionem immutentur, quum, propositis in publico Oratorum Conventu, condendis legibus adlectorum, consiliis, quae ad absolutum ecclesiasticae auctoritatis exercitium, libertatemque instruendi informandique ***Cleri***

(1) **Relata fait epistola haec Vol. XII pag. 481.**

sarebbe temporanea, limitata al caso delle vacanze attuali, acquisterà un carattere stabile per l'avvenire, nei modi da determinarsi di comune accordo, appena sara compiuta la revisione delle Leggi.

Il Santo Padre profondamente riconoscente a S. M. pei sentimenti di conciliazione, che gli ha manifestato, nutre.la persuasione che la stessa S. M. vorrà apprezzare 1' esposta determinazione, come un nuovo argomento di quello spirito di amicizia e di moderazione, onde furono animati tutti i suoi; atti verso l'Impero Germanico sin dal principio del suo Pontificato; e che il Governo di S. M. associandosi ai generosi intendimenti, di esso , vorrà con lui camminare di passo uguale e deciso verso la bramata meta della concordia. S. Santità è nell'intimo convincimento che questa concordia sarebbe feconda di grandi vantaggi per gl'interessi più vitali della Chiesa e dello Stato, e stringerebbe le popolazioni cattoliche con vincoli di sempre più inviolabile fedeltà al Trono del loro Sovrano.

Tanto lo scrivente Cardinale ha l'onore di partecipare all'È. V.

nobis confirmandam apta sint, iidem Oratores, reique publicae Administratores consenserint atque adstipulati fuerint.

Haec porro eadem nominum candidatorum Ecclesiasticorum publicatio atque exhibitio, quae modo temporanea' est, atque ipse Parochiarum in praesenti vacuarum videlicet numero definita , stabilis posthac futura est, mutuo consensu statuenda ac moderanda, vix absoluta legum , quas meminimus, recognitione.

SSmus Pater maximas Imperatori gratias agens, quod animum aa mutuam conciliationem ineundam propensum ostenderit , confidit fore, ut ideni Magnificus Imperator hoc Rom. Pontificis propositum ac voluntatem libens favensque excipiat velut novum aequi ac benevolentis animi sui testimonium, quo se ab inito Pontificatu erga Germanicum Imperium continenter gessit ; summique istic rei publicae Administratores , collatis cum Rom. Pontifice studiis atque consiliis, ad conciliationem adeo expetitam peragendam pari g r actu cum Eodem incedere velint.

Idem SSmus Pater sibi ipse omnino persuadet, hanc conventionem cum Catholicae Ecclesiae, tum vero etiam Imperio ipsi, in iis quidem quae ad utriusque naturam vitamque propius attinent, maximam allaturum esse utilitatem , atque ipsas Catholicas gentes Regi suo arctioribus observantiae vinculis obligaturam.

Haec , scribens Cardinalis , sibi duxit honori praeclarae Excellentiae tuae significarle, ea

perchè voglia portarlo a notizia del suo Governo, e ben Le rinnova i sensi della più distinta considerazione.

L. CARD. JAOOBINI.

A. S. Eminenza
il cardinale segretario di Stato
Jacobini.

a Roma é marzo 1883.

Eminenza

n Circolano qui delle voci atte a mettere sotto una falsa luce la Prussia, e che potrebbero turbare le buone relazioni del mio governo colla s. Sede.

» Reputo mio dovere smentire queste voci ed esporre il vero stato delle cose , nell' interesse dell'accordo esistente fra la Prussia e la Curia romana.

« Fra le voci di questo genere, calcolo l'asserzione diffusa da parecchie persone , che la Prussia abbia conchiuso un accordo col governo italiano , in virtù del quale S. E. il cardinale Ledochowski, non appena si mostrasse fuori del Vaticano, dovrebbe essere arrestato e consegnato alla Prussia.

» Mi permetto di dichiarare ufficialmente a Vostra Eccellenza, quanto segue contrariamente a ciò.

» S. E. il cardinale Ledochowski venne a suo tempo condan-

quae Idem rogat velis summis Imperii Regnique Administratoribus nota facere, dum observantiae atque existimationis etiam atque etiam Tibi sensus expromit.

Ludovicus Card. Iacobinius.

Literae publicae D. Schlözer ad Cardinalem L. Iacobini totius Pontificiae Ditionis a Secretis ad extranea.

Dat. Romae VT. Non. Martias anno MDCCCLXXXIII

Eminentissime Vir

Circumferuntur hic rumores, quibus falsa ingeritur Borussiaci Imperii existimatio, quaeque optimas inter Imperium ipsum ac s. Sedem relationes exturbare facile possent.

Existimo igitur officii mei esse has voces , tuendae amicitiae causa inter Borussiacum Imperium Romanamque Sedem, falsas arguere ac demonstrare.

Inter id genus rumores ille mihiinprimis occurrit a quibusdam in vulgus perlatus, sparsusque Borussiense Imperium cum Italico Regno conventionem peregisse, qua statuitur, ut Emus Vir Cardinalis Ledochowski,vix dum extra Vaticanum se prodat, comprehendatur, atque Borussiensi Magistratui tradatur.

Liceat mihi haec quae subiicio, pervulgatis opposita, ***ea qua*** *praeditus sum auctoritate, Eminentiae tuae patefacere.*

Emus Card, Ledochowski ob violatas Borussiaci Imperii leges, variis sub inde iudiciis poenisque damnatus fuit; atque indidem summi rerum publicarum Administratores hasce sen-

nato a varie pene da diversi tribunali di Posen per violazione delle leggi prussiane, ed il mio Governo fece pervenire regolarmente queste sentenze al Cardinale per mezzo delle autorità italiane.

» Il mio governo però non ha potuto mai avere l'idea di proporre al governo italiano un arresto ed estradizione di **S.** E. il cardinale Ledochowski, e le autorità italiane non potrebbero aver accettata questa proposta, poiché il trattato di estradizione prussiano-italiano non è in verun modo applicabile alla categoria di reati, dei quali fu accusato il cardinale Ledochowski.

» Mi permetto quindi di dichiarare nuovamente ed in modo ufficiale:

n Che il mio governo non ha mai proposto l'arresto e l'estradizione del cardinale Ledochowski, e che quindi **S.** E. il Cardinale Ledochowski può lasciare il Vaticano senza temere menomamente di venire arrestato a Koma, ed in genere in Italia, e consegnato alla Prussia, ovvero di suscitare alcun conflitto, pei fatti suaccennati in Prussia, colle autorità italiane.

» Gradisca l'E. V. la rinnovata assicurazione della mia alta stima **-e** devozione.

» firm. **S**CHLOZER »

tentias ad eumdem Cardinalem per Italici Regni Oratores Rectoresque, iuris publici ordine seroatOf mittendas curarunt.

At vero numquam iisdem Borussiaci Imperii Administratoribus mens fuit Itali Regni Oratoribus Rectoribusque mandare aut suggerere, ut Cardinalis Ledochowski comprehenderetur atque Imperatori nostro traderetur; quam quidem propositionem nequaquam hi ipsi Italici Regni Oratores Rectoresque exequendam suscipere potuissent: conventio enim Borussiaea-Italica de tradendis profugis, ea facinora, de quibus accusatus fuit Card. Ledochowski nuspiam meminit.

Fas igitur mihi sit iterum, et quidem qua polleo auctoritate, edicere, Borussiacum Imperium cui servio, numquam sive praecepisse , sive suggessisse, ut Card. Ledochowski comprehendatur ac tradatur; ideoque eumdem Emum Virum sinendum esse, quoad ipsi libeat,- in Vaticano degere, quin sive Romae, sive ubivis in Italia comprehendi se posse metuat, tradique Borussiae Magistratui, aut confictum quempiam ob ea facta quae hic per me exposita sunt, cum Italico Regno in Borussia aliquando excitum iri.

Atque hic repetitam observantiae erga te meae exhibitionem confirmationemque, Eminentissime Vir, libens excipite.

SCHLOZER.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XV CONTINENTUR

LITTERAE MOTU PROPRIO ET CONSTITUTIO R. PONTIFICIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONG. CONCILII

EX S. CONG. EP. ET REG.

EX S. CONG. RITUUM

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

EX S. CONG. S. R. U. INQUJSIT.

EX S. POENITENTIARIA APOST.

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

EX S. CONG. INDICIS

EX S. CONG. ECCL. NEGOTIIS EXTRAORDINARIIS PRAEPOSITA

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAS IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur t

Canonicus theologus

Apprime respondet menti s. Trident. Synodi, quod lectiones s. Scripturae ad Cleri populique instructionem, habeantur in Cathedrali vel Collegiata, ***pag.*** 467.

Harum vero lectionum materiam esse debere ss. Scripturarum explanationem, colligitur ex pluribus resolutionibus s. C. Concilii, editis praecipue post. Encyclicam *Inter praecipuas machinationes.* Gregorii XVI. *ibid.*

Huic iugi observantiae haud refragatur resolutio in themate: nam eadem servatur lectionum materia, et tantum indulgetur *in casu de quo agitur,* ut, lectiones habeantur- in Seminario, attentis forsan peculiaribus loci circumstantiis, *ibid.*

Concursus

Solius Episcopi iudicio commissum est renuntiare digniorem inter approbatos ; ita ut eidem liceat, aliqua ex parte, examinatorum reformare iudicium, declarando esse digniorem, etiam illum qui ab eisdem uti tantum dignus vel idoneus declaratus fuerit, ***pag.*** 370.

Ex huiusmodi ergo iurisprudentia dicendum , per concursum, actum collationis non perfici, sed ad illum dumtaxat disponi et praeparari, *pag.* 371.

Ideo nemo ex concurrentibus ius ullum acquiret ad. obtinendum bene-

Confraternitas

Congregationes Romanae

ad coemeterium publicum, absque parocho, *ibid.*

Dispensationes Apostolicae

Incurrit excommunicationem latae sententiae, (quae in suo robore esse videtur etiam post Constitutionem *Apostolicae Sedis)* officialis qui praesumat aliquid muneris aut stipendii accipere aut exigere pro executione dispensationum Apostolicarum, *pag.* **M8.**

In dispensationibus autem , in forma pauperum expeditis, huiusmodi excommunicatio Summo Pontifici reservatur, et dispensatio, hoc vitio peracta, nullius declaratur roboris aut momenti, *ibid.*

Qua de re nulliter contrahuntur matrimonia, pro quibus concessa fuerit dispensatio in forma pauperum, quoties officiales pro illius dispensatione aliqua munera vel praemia exiguerint vel acceperint, *ibid.*

Verba Litterarum Apostolicarum, adiectio excommunicationis ipso facto incurrendae, et invalidatio ipsius dispensationis, in forma pauperum , cum hoc vitio expeditae, satis innuunt verum praeceptum, firmamque Principis, id praecipientis, voluntatem, *ibid.*

Quum autem Principis interdictum de non recipiendo aut aliquid exigendo toties iteretur, quoties Litterarum Apostolicarum executio committitur, ideo ex iure omnis contraria consuetudo inchoari nequit, cui inniti et per quam defendi possit factum officialium, aliquid accipiendum, *ibid.*

Ex notissima quoque taxa Innocentiana praecipitur, Episcopum,eius vicarium generalem, et quemlibet ex eiusdem officialibus nil recipere posse, etiam oblatum sub specie muneris, in executione dispensationum Apostolicarum in causis matrimonialibus, *ibid.*

D stributiones

Ceu alias innuimus ex iure certum est, negligentes vel residere contemnentes, suas facere non posse quotidianas distributiones, quae interessentes tantum conceduntur. *pag.* Si.

Ab hac iuris sanctione excipiuntur tantum illi, quos infirmitas, seu iuxta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excuset ; quae tamen iusta causa Episcopo cognita esse debet. *ibid.*

Iuxta De Luca *Adnot. ad Concil. Trid. disc. 15 n. 15* commendabilis est mentique Tridentini consona consuetudo « reducendi o'rnnes praebendas, totumque mensae capitularis assem ad formam distributionum, *ibid.*

Personis capitularibus, quibus imminet cura animarum, quotidiane conferri debent distributiones, si divinorum tempore parochialia munia exerceant, *pag.* 109.

Idque ex Tridentino ipso scatet *Sess. 22 cap. 3 « quodsi alicui ex praedictis Dignitatibus. . . cura animarum immineat. . . tunc pro*

tempore quo in curata Ecclesia resederit ac ministraverit, tamquam praesens sit, ac divinis intersit in Ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis habeatur. » ibid.

Cui inhaerendo sanctioni S. CC. pluries declaravit, canonico habenti curam animarum, etiamsi divinis **non** intersit, deberi quotidianas distributiones, si tempore quo divina officia celebrantur, audit confessiones vel alia ad ipsam curam spectantia exerceat, *ibid.*

Qua de re haud mirum videtur si veluti praesens in choro habeatur parochus, cum statum animarum perficit, aut Evangelium explanat; **nam** ex praecepto divino debet ille *oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione et bonorum omnium operum exemplo pascere, pag.* 110.

Eadem dici posse de coadiutoribus Parochi nullum est dubium: ipsi enim parochi absentis, aut morbo impediti vices implent ; et ideo *ubi eadem est ratio ibi eadem, legis dispositio esse debet.»ibid.*

Cum autem determinari non possit, quoties gerentes animarum curam lucrari valeant distributiones, licet absentes a choro, seu qui legitima excusantur causa , ideo **S.** C. C. adiicere solet - *onerata corum conscientia* - ut innuat, eosdem hoc privilegio uti posse pro diebus et horis, in quibus anima**liim** bonum pastores aliunde di- si ri c te vocat. *ibid.*

Quum laborantes in vinea Domini denario defraudan non debeant: ideo ex dd. sententia lucrari possunt duas tertias distributionum paries Magistri qui beneficia possident quae in distributionibus tantum consistant, *pag.* 427.

Episcopus quoad s. Visitationem

Privilegium exemptionis haud includit exemptionem a visitatione Ordinarii ; ceu colligitur ex variis resolutionibus **S.** C. C. in quibus, si ex una parte exemptionis privilegium haud denegatum fuit, ex altera tamen recognitum fuit in Episcopo ius visitandi, *pag.* 432.

Hinc simplex exemptio alicui Ecclesiae aut loco pio concessa, haud eximit eamdem a visitatione Episcopi, nisi de ea specialis et expressa mentio fiat; et in dubio an vera adsit exemptio, standum est pro iurisdictione Episcopi, *ibid.*

Quum ius visitandi, ad Episcopos pertinens, sancitum firmatumque fuerit per Tridentinum, contra quod plures docent non dari praescriptio, ideo contraria observantia, ad illud infringendum, haud proficeret, etiam quia ex non exercitio actus facultativa ius positivum amitti nequeat, *pag.* 433.

Antistites ita iure fulciuntur quoad s. visitationem» Ecclesiarum locorumque piorum, ut si aliquam Ecclesiam iure ordinario visitare nequeant, id facere valeant iure delegato, seu tamquam Delegati Apostolici, *Trid. Sess. 7 cap. 8 de ref.ibid.*

Irregtilaiitas

Ecclesia vult clericorum ministerium esse *utile* et *honorabile :* hinc exclusit nonnullas personas, quorum ministerium in alterutro, vel in utroque deficeret, eosque constituit esse irregulares, *pag.* 455.

Ordinatos enim in quadam constitui dignitate prae aliis , ambigi •nequit ; ideo etiam illegitime nati a susceptione ordinum repelluntur, quia vitiosa eorumdem origo claritatem inficit, in hominum aestimatione. *ibid.*

Illegitime nati, per Apostolicam dispensationem ad ss. Ordines promoti iubentur, ut plurimum, sacrum exercere ministerium in locis quibus defectus ignoretur « *ut paternae » incontinentiae memoria a locis » Deo consecratis longissime arcea- » tur; Trid. Sess. 25 cap. 15. » ibid.*

Iurisdictio

Ecclesiastica iurisdictio duplici tiiulo vindicari potest: nempe titulo *expresso* qui ex diserto privilegio Apostolicae Sedis promanet; vel titulo *praesumpto* qui ex possessione centum annorum , aut ex immemorabili gignitur. 177.

In delectu tituli expressi, quivis possessor, titulo praesumpto innixus, valet allegare, uti aiunt forenses , titulum *meliorem de mundo,* ad rem vel iurisdictionem sibi retinendam ; quam ipse •eiusque antecessores tamdiu sine quaerela retinuerint, *pag.* 178»

Titulum possessionis praesumptum ex centenaria, aut immemorabili partum deleri non potest, nisi per aliam centenariam, omnibus numeris absolutam, *ibid.*

Ex consuetudine immemorabili vel pacifica possessione, quaelibet illa sit, haud acquiri potestatem impertiendi sacramentalem absolutionem eruitur ex *cap. Si Episcopus 2 de Poenüent. et Remission, in Sexto. pag. 569.*

Fert enim indoles et ratio iudicii , ut solummodo in subditos sententia feratur, *ibid.*

Qua de re semper in Ecclesia persuasum fuit, atque uti verissimum a Tridentino *Sesses. 23. C. 17 de ref.* confirmatum, nullius esse momenti absolutionem a Sacerdote in eum prolatam, in quem ordinariam aut subdelegalam non habeat iurisdictionem, *ibid.*

Ius deferendi crucem

Unicam crucem in funeribus ducemus esse deferendam , illamque esse debere Ecclesiae ipsius ad quam corpus transfertur , certum est in iure, et in resolutionibus ss. Congregationum , nisi aliter longaeva statuat consuetudo, *pag.* 185.

Nullum ideo superesse potest dubium quod parochi iure polleant extollendi crucem in funeribus parochianorum suorum , qui ad paroecialem Ecclesiam deferuntur, *ibid.*

Iuxta vero **SÍ**?. Congregationum resolutiones, ab hac reguia excipitur

Ius funerandi

Iuspatronatus

Statuta capitularia, quae tanto maiori praestant -auctoritate, quanto antiquiori aevo condita sunt. *ibid.*

Nominationes a Papa peractae etiam per saecula, patronorum iuribus non praeiudicant, *ibid.*

Odium inhuiusmodi iurium exercitio non habetur, eo quod contra Episcopos servitutem constituant: cum qualitas patronalis canonicorum in Cathedralibus modum potius quam substantiam afficere videatur. Etenim loco simultaneae, electiones canonicorum Capitulo, Episcopo vero electorum confirmationes reservantur, *ibid.*

Quum ad acquirendum iuspatronatus ex lege ss. canonum requirantur fundatio, constructio vel dotatio Ecclesiae, unde versus tritus: *« patronum faciunt dos, aedificatio, fundus»* sequitur nullum ius Capitulum exerere posse in praebendis illis, in quarum constitutionem nihil contulit, *pag.* 350.

Verumtamen patronorum iura, quorum primum est facultas praesentandi clericum ad beneficium vacans, tamdiu subsistunt, quamdiu res iuspatronatus obnoxia in suo esse perseverat, *ibid.*

Ambigi non potest, praebendas canonicales in themate, doles amisisse tum compilatione Fisci, tum patronorum socordiâ; qui nihil egerunt ut eaedem servarentur; hinc periisse dicendum est de facto, si non de iure; ast in re quae esse desiit nemo ius exercere valet. *ibid.*

Matrimonium

Vulgatum est, quemlibet habere posse non duo tantum, sed etiam plura domicilia, singulorumque iuribus et praerogativis frui. *pag.* 228.

Iuxta dd. videtur ex mutatione accidentali, absque animo deserendi domum paternam, et absque voluntate alibi perpetuo manendi, non cessare iurisdictionem Parochi primi domicilii, *ibid.*

Ex Benedicto XIV *de Synod* Dioec. lib. 13 cap. 23 n. 5.* dubitari non potest de validitate matrimonii contracti coram Parocho, qui etsi alio nomine accersitus, tamen a contrahentibus uti Parochus adhibitus fuerit, *ibid.*

Etenim ex *cap. De eo qui cognov. cons.* eruitur, publicum et notorium esse debere aut idoneis testibus probatum impedimentum dirimens, ut validitas matrimonii impeti possit, *pag.* 423.

Neque ex rumore viciniae aut ex coniugum confessione, propriam turpitudinem revelantium, probatio sufficiens semper eruitur ad irritandum matrimonium; eoquod qui se accusat agi videtur ab errore vel a dolo. *ibid.*

Etsi non requiratur quod testes tales sint, ut factum de visu agnitum referant, quod saepius impossibile esset; tamen tales esse debent ex iure, qui circa indicia vel circumstantias ita referant, ut per inductionem actus comprobetur, *ibid.*

Etiam ex divo Thoma *in 4 dist. 29 quaest, unie, art. 3 quaest. 1 in corp.* matrimonium, metu gravi iniuste incusso, initum in utroque «ure nullum irritumque fit. ***pag.*** 444.

Attamen standum est pro validitate matrimonii, quatenus, omnibus consideratis, dubium supersit, -an metus iniuste ad matrimonium contrahendum incussus, gravis considerandus sit nec ne; vel quatenus gravis extiterit, sed concludenter probari *nequmt.Hbid.*

Etenim, praeterquamquod cum •contractus celebratus est, possessio, seu praesumptio stat pro eius valore, idem exposcere videntur tum reverentia sacramento debita, tum respublica , prolesque educanda , quarum interest ut matrimonia non solvantur, *ibid.*

In themate videtur aut nullimode .adfuisse vim metumque ad matrimonium ineundum; aut, si adfuit, rite probatam non fuisse, *pag.* 445.

Missa quoad applicationem

Regula est generalis, quamplurimis confirmata S. C. C. resolutionibus, eum qui beneficium fundavit , Missaeque celebrationem iussit, voluisse quoque eamdem «ibi applicari, ***pag.*** 200.

Nam ex regula ***114 ff. de reg. iur.*** *« In obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. » ibid.*

Haec verisimilitudo eiusmodi •est , quae ad nihilum redigi nequeat, nisi gravissimae adfuerint praesumptiones in contrarium; quod scilicet fundator missarum praecipiens celebrationem, liberam reliquerit applicationem, *ibid.*

Optio

Iuri communi haud innititur ius optionis, sed invehitur statuto, consuetudine aut Apostolico privilegio. *pag.* 64.

Invehí consuetudine ius huiusmodi colligitur ex ***cap. IV de consuet.*** ubi Bonifacius VIII ait: « *Cum in tua Ecclesia, in qua consuetudo habetur quod antiquiores Canonici gradatim meliores, si voluerint, possint, cum vacant per se vel per alios optare praebendas....» ibid.*

Ius hoc tamen exercendum esse intra viginti dies ex iure communi eruitur, aiente Bonifacio VIII. eod. c. *Ne praetextu eiusdem consuetudinis, provisiones... ultra debitum differatur, statuimus ut executores... optare volentes per viginti dies dumtaxat expectent... ibid.*

Ius optionis consentaneum est iustitiae et aequitati : docet enim ut qui prae ceteris laboris diurnique servitii onera tulerint, prae ceteris quoque remunerationis commodum persentiant, ***pag.*** 65.

Optandi consuetudinem haud tolli per non usum plures autumant auctores: quum enim optio concedatur facultative, *si voluerint,* conditio haec contemplatur etiam potestatem non optandi; veluti liberae

actiones, quae in faciendo vel non faciendo consistunt ; ideo iura facultatis imperscriptibilia dicuntur. *ibid.*

Parochus quoad paroeciam

Decernitur ex *Trid.Sess.24 cap. 13 de ref.* populos in certas propriasque paroecias distinguendos esse; et unicuique Ecclesiam propriam, et peculiarem, perpetuumque parochum esse assignandum, qui oves suas cognoscere valeat et *a* quo solo oves propriae sacramenta suscipere debeant, *pag.* 325.

in themate dubitari non potest duas esse paroecias, iam tum distinctas per Ordinarium, quum executus fuerit decretum Visitatoris apostolici ; quod evincitur per institutionem duorum vicariorum, qui postea omni in aevo, per concursum et per canonicam investituram libere electi ab Episcopo fuerunt, independenter a" Capitulo Cathedralis. *ibid.*

Etsi cura habitualis apud Capitulum maneat, gerens tamen actualem animarum curam offerre debet sacrificium pro populo ex *Trid. Sess. 23 cap. 1 de ref.* ex Bened. XIV *Constit. Cum semper oblatas,* aliisque Pontificum constitutionibus; neque per Missae conventualis celebrationem huic oneri satisfacit parochus: quum duo sint onera inter se distincta, *ibid.*

Consuetudines huiusmodi oneribus contrariae invectae, semper habentur ceu abusus et corruptela omnino proiicienda. *pag.* 326.

Neque ambigere paulisper licet, animarum pastores pabulo verbi Dei reficere debere oves sibi concreditas , diebus festis, quum pat *h* sit censura Tridentini *Sess. 5 cap* **2** *de ref.;* et RR. Pontifices pluries per Constitutiones , ad hoc editas institerint pro huius dispositionis observantia, nihil obstante contraria consuetudine, etiam immemorabili» *ibid.*

Pariter onus docendi puerosfidti rudimenta, dominicis aliisque diebus festis, in singulis paroeciis, parochis committitur ex Trid.*Sess.24* ***cap.*** *7;* absonum tamen non est, sed omnino commendabile , ut alii quoque operam suam praestent ad hoc opus, sub directione tamen parochorum. *ibid.*

Episcopi, generaliter loquendo, adigere non possunt Sacerdotes, animarum curae minime addictos, ad christianam doctrinam docendam: possunt tamen ex *Constit. Etsi minime* clericis denegare ascensum ad ordines maiores, et Sacerdotibus beneficia, si parochis operam suam commodare neglexerint in tradenda doctrina christiana, *ibid.*

Ius administrandi sacramenta Matrimonii et Eucharistiae pertinet, privative ad parochos qui curam actualem gerunt; ideoque nema ius hoc sibi vindicare valet, etiamsi sit canonicus illius capituli, cui adsit cura habitualis, *ibid.*

Episcopi ex *Trid. Sess.* ***21***

Paroecia quoad unionem

Pensio

Permutatio et resignatio

requiritur iusta causa, quae est necessitas vel utilitas Ecclesiae. Utilitas quoque permutantium pro iusta •causa haberi potest, dummodo et in •ea utilitas Ecclesiae reperiatur, *ibid.*

Ad permutationis negotium explendum mensis datur Episcopis aliisque collatoribus, intra quem permutationem vel accepto habere vel reiicere coguntur. Utili mense transacto, illico dispositio permutatorum beneficiorum ad s. Sedem devolvitur, quae eadem aliis idoneis concedendi sibi ius reservavit. *ibid.*

Usquedum s. Sedes de beneficiis resignatis, permutationis causa, non disposuerit, eadem vacantia manent: et nemini licet de iisdem beneficiis disponere, *pag.* 38.

Partium renuncialiones, precibus iam s. Sedi oblatis, iura eiusdem s. Sedis quaesita haud laedunt, et pro non existentibus habendae sunt; fortius cum ex metus incussione vi -extortae sunt. *ibid.*

De beneficiis, quorum dispositio s. Sedi devoluta est, novae resignationes nullae intrinsecus sunt, nominationes et collationes attentatum continent, quod intrinseca nullitate eas afficit, *ibid.*

Resignationes etiam in favorem «editae coram Ordinariis nullae sunt habendae, *ibid.*

Idem dicendum est de resignastionibus,quibus simoniacum pactum •accessit, *ibid.*

Idem de resignationibus quarum intra tres menses publicatio defuit: deficiente en m publicatione , beneficia ipso iure in Curia vacantia fiunt, et sunt reservata Papae. *ibid.*

Beneficii cuius collatio nulla decernitur , fructus lite pendente percepti restituendi sunt. *ibid.*

Restitutio locum habere debet a die quo beneficiatus litis pendentiae notitiam habuit, nam ea die bonam fidem cessasse tenendum est. *ibid.*

Fortius ad restitutionem tenetur beneficiatus, si neque choralibus officiis adfuit, nam ei haud opitulatur praestiti servitii ratio. *ibid.*

Communis regula, fructus ab antecessore haud perceptos successori in beneficio adscribit, vel Capitulo ex iure accrescendo *ibid.*

Verum hisce in casibus plurimi facienda est loci observantia ad cuius normam in fructuum perceptionibus proceditur, *ibid.*

Iuxta Constitutionem s. Pii V. *Quanta Ecclesiae Dei* Episcopi possunt recipere et admittere resignationes eorum dumtaxat, qui aut senio confecti aut corpore impediti vel vitiati , aut crimini obnoxii, aut censuris ecclesiasticis irretiti sunt. *pag.* 122.

Hinc ex praecepto Ecclesiae, seu ex iure humano positivo a nemine resignationes fieri possunt absque legitima causa. *ibid.*

Inter alias habetur uti legitima causa corporis debilitas seu infirmitas ; quo in casu cedere debet lex humana legi naturali, a qua praecipitur valetudinis ac vitae ipsius, conservatio, *ibid.*

Professi votorum simplicium quoad officium divinum

Professi votorum simplicium cuiuscumque ordinis, haud exceptis Minoribus, non tenentur ad recitationem privatam divini officii.*pag.* 257.

Nam ff. Minores, obligantur ad recitationem divini officii ceu obligantur Dominicam , Benedictini , Augustiniani; hinc si alii ab onere divini officii liberantur, etiam Capuccini dispensatijfuerunt cum aliis a Summo Pontifice per resolutionem anni 1858. *ibid.*

Retributio

Ex Tridentino *Sess. 24 cap. 3 de Ref.* scopus praecipuum peragendae s. Visitationis ab Antistitibus is est, ut orthodoxa inducatur doctrina, boni mores serventur, pravi corrigantur, populusque fidelis ad religionem, pacem et innocentiam accendatur, *pag.* 85.

Attamen, omnia haec expleri *m* s. Visitatione opus est *paterna charitate...... . modesto equitatu, et famulatu,* ne visitantes inutilibus sumptibus 'cuiquam graves onerosive fiant. *ibid.*

Hinc districte praecipitur ne ipsi Praelati aut quisquam suorum quidquam pro visitatione. .... . nec pecuniam, nec munus quodcumque, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, *ibid.*

Nihil esse accipiendum, praeter victualia, s. Visitationis causa , ita rigorose praeceptum fuit, ut minime proficiat contraria consuetudo, etiam immemorabilis; quinimo a visitantibus omnino servanda j ubi viget, consuetudo non recipiendi victualia, pecuniam aut quidquam aliud, sed omnia gratis faciendi, *ibid.*

Sponsalia

Non quolibet indicio populive rumore evincitur sponsalium existentia; sed concludentissima requiruntur argumenta, quae viri et mulieres voluntatem patefaciant; nam sponsalium contractus liberam in matrimonio voluntatem contrahentium coarctat, *pag.* 494.

Ideoque in foro extèrno standum est pro nullitate sponsalium, seu libertati contrahentium favendum est, quoties verba aut indicia dubia sint, aut plenam non faciant probationem, *ibid.*

Probationes *ex integro* per depositiones unius testis haud perficiuntur; quia dictum unius est dictum nullius ; et quia *nec evangelium, nec ulla divina humanoque lex unius testimonio, etiam idoneo, quempiam condemnat nec .iustificat, ibid.*

Statutum

Inspecto iure communi, ius condendi statuta , respicientia statum Ecclesiae, divinum cultum ,-ordinationem chori, et .Servitium Cathedralis pertinet ad Episcopum et Capitulum; *Rota p. .4 t. 1 decis. 494 n. 6 recent, pag.'* 214.

Qua de re statuta, veluti privata lex, religiose serranda sunt per quoscumque de gremio Capituli existentes, quia ad rectum conferunt Capituli regimen, *ibid.*

Vox in Capitulo

Novi canonici, et extra capitularem massam positi sese ingerere non possunt in particularia negocia veterum canonicorum primae constitutionis, ceu pluries resolvit s. C. Concilii, *pag.* 132.

Episcopi possunt de consensu capituli novas erigere praebendas canonicales; quibus adiici possunt a fundatore vel a Capitulo quaedam conditiones ac reservationes, tum quoad distributiones, tum qnoad iura et praeeminentiam in choro. *vag.* 475.

Doctores communiter iugisque s. Congr. Concilii praxis fert quod canonici novae erectionis servare debeant conditiones et reservationes quae adiectae fuerint in limine fundationis, *ibid.*

Quas reservationes, quatenus etiam respicerent ius participandi de distributionibus, aliisque capituli emolumentis, iam acquisitis antiquioribus canonicis, s. C. Congregatio ratas habuit, probavitque exclusionem novorum, seu novae erectionis, *ibid.*

Ratae quoque habentur ab eadem **s.** Congregatione conditiones adiectae quoad praecedentiam: nam in iure haud reprobatur quod canonici novae erectionis ultimas in choro sedes occupent, iureque praecedentiae careant cum antiquioribus canonicis, *ibid.*